










PARS TERTIA.

)CTRINA DOGMATICA.





BAPTISMATIS

EXPOSITIO

BIBLICA HISTORICA DOGMATICA.

SCRIPSIT

CONR. STEPHANUS MATTHIES.



COMMENTATIO A THEOLOGORUM ORDINE BEROLINENSI S. V. ORNATA PRAEMIO AUCTA NUNC NOVISQUE CURIS RECOGNITA.

BEROLINI

SUMTIBUS FRID. LAUE.

MDCCCXXXI.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Lectori benevolo

S.

Singulorum christianae fidei articulorum fundamentum, quo firmiter nituntur, sive fons, ex quo omnes omnino manarunt, christiana est religio, quae in illis cum naturam patefecit suam dilucidius et accuratius, tum veritatem apertius declaravit divinam. Sed Christi religionem si ex hominis negamus proficisci arbitrio indeque pendere, si deum, qui in eadem est vivus, verum ejus putamus esse auctorem, nonne item fatendum erit, illam sicut summam continere veritatem, ita totum quoddam constituere, quod partibus cohaereat suis? Quicquid enim a deo proficiscitur, et verum sit oportet, et justum habeat concinnumque connexum. Neque minus, credo, liquet, singulis istis articulis, quippe qui nihil aliud, nisi unam illam religionem, sive totum illud, ex integris suis partibus conformatum,

complectantur, et veritatem inesse, et internam eandemque necessariam cohaerentiam; qua si carent, videndum sit, ne christiano quoque egeant spiritu, religionique extrinsecus tantum sint annexi. Jam christiani quidem hominis est, religionem illam, quemadmodum singulis suis concluditur articulis, mente animoque firmissima amplecti fide, quo fit, ut summae sit particeps veritatis, vitaque ejus, si strenue simul religionis praecepta ultro atque amore ductus persequitur, non solum judicetur humana vel terrestris, verum etiam divina et sancta. At si christianae illi religioni satisfactum est fide et amore, quaeri saue licet, numne Theologo christiano nihil sit aliud faciendum, nisi ut fidem, factis amore que comprobatam, pectore pio teneat inclusam? id quod non possumus non addubitare. Nam etsi Theologus fide est Christianus, nequaquam tamen propter fidem solam Christianus potest appellari Theologus, quem tam fidem pectore tenere, quam fidei naturam intellectu decet comprehendere. Ut exegeticae Theologiae historicaeque praetermittamus necessitatem, gravitatem, finem, dogmatica eo maxime tendat necesse est, tum ut religionis argumentum totum ab omni parte exploretur verumque esse demonstre-

tur, tum ut interior ejus nexus perspicue intelligatur. Quod vero Theologia christianae religionis veritatem sedulo continuoque comprobat, ex eo scientia prodit dogmatica; nec minus quoniam Theologia occultam istam aperit cohaerentiam, interius per singulos quosque articulos expressam, systema apparere opus est dogmaticum. Quamvis igitur religio hominem, veluti inscium, ad veritatem ducat — nam extra religionem nulla est salus, nulla veritas, ideoque etiam Theologia, quo vera sit, ipsam largam continet religionis copiam —, tamen Theologiam, longius provectam, eos, qui fide christiana jam sint imbuti, ad cognoscendam religionis itemque dei naturam adducere, neminem fugit. Maxumopere vero ab ista vana abstinendum est futilique opinione, quod Theologus fabricetur demum veritatem et systema seu internam christianae doctrinae cohaerentiam; etenim utrumque ipsa dei filii religione divinitus totum jam latet. Quod quum ita sit, scientia quoque rerum divinarum seu dogmatica doctrina unam istam totamque fidei summam non aliter potest exponere, nisi ut simul systema teneat ab omnibus partibus absolutum, cujus singula quaeque momenta sive dogmata, ex uno toto isto, quae religio est, pro-


deant, atque sese explicent necessario. Itaque quum totum insit vivum partibus suis, partes non minus inter sese cohaerere, apparet, per totum, excludereque omnia, quae ab earum ingenio sint aliena. Si vero alterum alteri accurate esse conjunctum dogma intelligitur, ita ut reliquis omnibus apprime connectatur, mirari sane licet, qui possit singulum quoddam dogma, nisi mancam velis atque debilem ejus exhibere expositionem, apte omnino pertractari. Recte quidem in christianae rerum divinarum doctrinae systemate singulum dogma, id quod in ipsa hac scriptione nostra fusius exposuimus, partem tantum efficit; sed quoniam pars ea ad systematicum pertinet totum, ipsa simul est totum quoddam; nam necessarium quodlibet momentum, ortum ex toto, libere sese explicante secundum certam legem, non particula est aliqua discissa, sed ipsum exstat totum, quod, copiam justam et integram complectens, per se valet. Potest ergo vel debet adeo singulum quodque dogma pertractari tamquam totum, et nisi forte leviter tantum de ejus natura disseritur, ipsa interior rei explicatio necessaria est, quae, quam rationem habeat ad sacram scripturam et historiam, deinceps ostenditur. Quamquam vero nos, quodvis dogma e scientiae legibus

et systematice, quo veritas ejus comprobetur internusque connexus, pertractandum esse putamus, multa tamen nobis in hoc genere esse neglecta, ecquis est, quem fugiat! Atqui id noli nobis crimini dare, quod ulterius baptismatis explicationem extendimus; nam partim quaedam tangeremus dogmata necesse erat, quae cum baptismate arcte cohaerent, partim alias res quasdam, a proposito nostro paulo remotiores, tractavimus, ut scriptio haec aliquanto latius pateret; quo inprimis referas dogmatum historiae, quam vocant, et singularum religionum ideae expositionem (ann. 91. p. 244 sqq. et p. 303 sqq.). Neve opprobrio vertat quisquam, quod rei solius studio et oblectatione ducti, in probando nostro judicio palam et libere nonnunquam Theologorum, qui magno honore sunt celebrandi, sententias conabamur refutare. De sermone denique timeo, ne multi multa desiderent; atque dolemus sane, quod, quum primum commentationem latina oratione conscribere cogeremur, etiam in hoc libro, denuo prorsus elaborato, eandem adhibere constituimus. Nam latina lingua, quum ad res maxime spectet visibiles corporeasque et ad quotidianae vitae conditiones, magna in hoc genere vocabulorum copia abundat; at ubi, ulterius paulo progressi, ad cogi-

tationes, rerum naturam invisibilem respicientes, trahimur earumque significationes, destitutos nos videmus atque relictos identidem ab omni verborum commoditate. Quare noluimus anxii esse in vocabulis eligendis, etsi non ignoramus, orationem nostram saepius non esse prorsus accommodatam ad latine loquendi rationem.

Hae vero studiorum nostrorum primitiae, qualescunque sunt, ut aequos inveniant et benignos judices, ex animi sententia oramus atque rogamus.

Dabamus Berolini d. XXV. m. Maji MDCCCXXXI.



BAPTISMATIS

EXPOSITIO

BIBLICA HISTORICA DOGMATICA.

SCRIPSIT

CONR. STEPHANUS MATTHIES.



COMMENTATIO A THEOLOGORUM ORDINE BEROLINENSI S. V. ORNATA PRAEMIO AUCTA NUNC NOVISQUE CURIS RECOGNITA.

BEROLINI

SUMTIBUS FRID. LAUE.

MDCCCXXXI.

orta est, quibus religionis christianae sectatores et a judaicis et ab ethnicis populis sese disjungebant. Atqui nunc per illum spiritum, qui aeternus in ecclesia est dei filius, omnes Christi imitatores unum totum constituunt et alter alteri par est, ita ut neque unus sit dominus neque alter servus, sed omnes ipsi sint tam servi quam domini. Jam singulae, quae fide adhuc conclusae erant doctrinae in medium proferuntur, fides explicatur, ex vero certum exoritur; in qua re definienda singulorum ratio efficacem se praebet. Ratione autem hominis agente, opiniones quoque se invicem impugnare incipiunt, prima fidei innocentia evanescit, disceptationes oriuntur. Sic omnia fere, quae e Christi atque apostolorum ore prodierunt, quum diversa ratione suae quisque sententiae assimulare velit, addubitata sunt atque impugnata, ita ut ne ullus quidem religionis christianae articulus supersit, quin temporis successu sit oppugnatus. In ipsâ ecclesiae militantis notione hoc situm est, ut quovis tempore pro vera fide vigilet, et si opus est, certamen ingrediatur, quo vera conserventur, refellantur falsa, et quae errata veri speciem sibi vindicare audeant, a divina Jesu Christi doctrina aliena esse arguantur. Fides autem, cujus singula momenta sic in conspectum venerunt, quae vario modo et negata et exposita, quae postremo certâ et definitâ doctrinâ constituta est, longe alia quidem esse videtur, atque illa immediata, quae sacrâ scripturâ continetur; attamen una eademque substantia, quae illa prima fides erat, sese evolvit. Quod, quatenus ad nostrum pertineat propositum, ut intelligamus, necesse erit videamus, quid in historia articulo de baptismo contigerit; quam rem absolvemus, si singula permigrantes saecula, sacram immersionem se magis magisque explicantem persecuti fuerimus. Cui negotio parte secunda vacabimus.

Lectori benevolo

S.

Singulorum christianae fidei articulorum fundamentum, quo firmiter nituntur, sive fons, ex quo omnes omnino manarunt, christiana est religio, quae in illis cum naturam patefecit suam dilucidius et accuratius, tum veritatem apertius declaravit divinam. Sed Christi religionem si ex hominis negamus proficisci arbitrio indeque pendere, si deum, qui in eadem est vivus, verum ejus putamus esse auctorem, nonne item fatendum erit, illam sicut summam continere veritatem, ita totum quoddam constituere, quod partibus cohaereat suis? Quicquid enim a deo proficiscitur, et verum sit oportet, et justum habeat concinnumque connexum. Neque minus, credo, liquet, singulis istis articulis, quippe qui nihil aliud, nisi unam illam religionem, sive totum illud, ex integris suis partibus conformatum,

efficit. Tunc demum si per spiritum necessaria rei explicatio conficitur, fides firmissime constituta, controversia diremta, doctrina sancita, veritas recuperata est.

Est autem ea christianae religionis praestantia, ut quae modo significavimus, per eam solam possint acquiri, quippe quae doceat, totam sancti divini spiritus naturam revera in ipsa rerum praesentia existere atque vivere. Ethnicae religiones vel ipsa judaica nullum verum dogma, nullam necessariam doctrinae explicationem habent, utrisque apta est vel mythologia vel externa historia dei, quoniam ex earum sententia deus aut cum natura ejusque viribus plane coalescit, aut extrinsecus positus a mundo et homine prorsus removetur. Quod si hac nostra aetate, talis deus summo dedecore atque ludibrio in scenam dogmaticae explicationis producitur, dubitasne quin ille aut ethnicorum deorum aut judaici Jehovae partes invitus agere cogatur? E christianorum sententia deus, ut aeternum cum humana natura consortium iniret, homo factus est, quapropter omnes ad christianam religionem pertinentes doctrinae ex illius spiritu, qui revera in mundo versatur, intelligendae atque dijudicandae sunt. Omnia christianae religionis dogmata, sicut sacram scripturam et fidem, ecclesiam et doctrinam respiciunt, ita et necessariam postulant expositionem, qua si carent, scientia carent. Nobis igitur, ut videamus, quae sit vera eademque necessaria baptismi notio, reliquum est denique, ut tertia nostrae scriptionis parte systematice vel dogmatice hujus rei notionem atque ideam exponamus: in qua quidem expositione permulta, quae jure tuo desideres, imperfecta restare atque abrupta non tam credimus, quam persuasissimum nobis habemus.

PARS PRIMA.

DOCTRINA BIBLICA.

I. DE JUDAICO PROSELYTORUM BAPTISMO.

§. 1.

Ut omnibus suis numeris et partibus biblicam baptismi notionem perspicere possimus, primum nonnulla tractanda sunt de baptismo proselytorum judaico, et demonstrandum, quid inde argumenti pro Christianorum baptismo sit ducendum. Sicut enim utraque religio et mosaica et christiana altera alteram attingit, quum illa sit praeparatio hujus et haec perfectio illius, ita multa quoque in libris novi testamenti insunt, ita comparata, ut eorum rite perspicere sententiam non facile possimus, nisi a veteris testamenti libris consilium petamus. Investigandum igitur est, num ritus aliquis apud gentem judaicam inveniatur, qui ad baptismum christianorum, ex Jesu Christi baptizandi gentes omnes mandato institutum, spectet. Sunt, qui non sine argumentorum specie baptismi judaici antiquitatem, ante Joannis saltem tempora, suspectam habeant, et tunc demum temporis Judaeos baptizandi ritum accepisse, quum fere apud Christianos paedobaptismus in more fuerit, arbitrentur. Atque nobis etiam concedendum quidem est, illud tempus, quo ritus iste apud Judaeos usitatus Christianorum baptismo in multis simillimus factus sit, certissime designari non posse; nihilominus tamen ostendi potest, simile aliquid, ad Christianorum baptis-

mum innuens, jam diu ante Christi tempora Judaeis fuisse usitatum. Nemo negabit lustrationum, quae ad ipsam pertinuerint religionem, multitudinem a Judaeis esse observatam et magni fuisse ponderis; simili modo unusquisque concedet, quemlibet proselytum, quia usque ad tempus transitus impurus habebatur, aeque quin imo multo magis atque quemvis Judaeum natum, illis purgandi ritibus subditum fuisse; quae omnia quidem si negari non possunt, etiam baptismum quendam jam affuisse confiteri licet. Haec sententia, in qua jam multi fuerunt, saepissime quidem vehementer impugnata est; attamen eam rationibus ex ipsa historia petitis confirmari posse persuasum mihi est [1]).

Multis veteris testamenti locis purgandi ritus praescribuntur (sic legimus Exod. cap. XIX, v. 10.: „sanctificate eos hodie et cras et lavent vestimenta sua" [2]); simili modo Lev. XV, 13.: „et abluet vesti-

---

1) Multi libri digni quidem sunt, qui de hac re diligenter perlegantur; imprimis autem inspiciendi sunt: Walli histor. baptismi infantt. lat. vers. a Lud. Schlosser, partis prioris introd. Wallus christianum baptismum ejusque totam sententiam jam apud Judaeos fuisse opinatur. Quod quidem si acciderit, judaicam religionem etiam christianae religionis sententiam jam habuisse oportet; id quod postea accuratius refellemus. Non aliter multi nostra aetate totam religionem christianam, quae summa nititur veritate, isti judaicae, quae multis adhuc falsis impleta est, supponunt, et cum sacramenta tum trinitatem, aliaque christianae religionis dogmata, perinde ac si fuerint plane exposita, e V. T. per vim extricare student. Qua ratione religio christiana non per se sed per aliud quoddam veritatem habet, quamquam judaica religio revera per christianam demum amplectitur verum. Ista opinio, quam modo significavimus, in multis de religione judaica aut de proselytorum baptismo agentibus libris conspicitur. Verumtamen in plerisque praeclara nobis videntur ea, quae Bengel et Schneckenburger de proselytorum baptismo memorant; quorum libri ita sunt inscripti:
Ueber das Alter der jüdischen Proselytentaufe.

menta sua, deinde lavabit carnem suam aqua viva", et Exod. XL, 12.: „et Aaronis filios lavabit aqua"; Num. XV, 16.: „eadem lex idemque institutum et vobis et commorantibus apud vos peregrinis esto"); sed haec dicta tam incerta videntur esse, quod attinet ad proselytorum baptismum, ut ex iis nil consequatur. Attamen e falsa opinione, quam plerique omnes de judaicis purgandi seu lustrandi ritibus cum proselytico baptismo comparatis habent, cum dubitatio de antiquitate baptismi proselytici tum non pauci errores de judaici proselytorum baptismi sententia orti sunt. Inter illos ritus atque hunc baptismum arctissima est cohaerentia, nam hic nihil aliud est nisi solennis purgandi ritus, quo quidem cum circumcisione conjuncto, simul continetur initiatio ejus, qui judaica sacra sequi vult. Ipse Bengelius — qui quidem et doctissime et sagacissime suum propositum perficit — baptismum proselyticum, qui sit initiandi ritus ad religionem judaicam, reliquis ritibus opponit. Quapropter ei ad confirmandam suam de proselytorum baptismo sententiam neque testimonium Josephi

---

Eine historische Untersuchung von D. E. G. Bengel. Tübing. 1814.
Ueber das Alter der jüdischen Proselytentaufe und deren Zusammenhang mit dem johanneischen und christlichen Ritus etc. von Matthias Schneckenburger. Berl. 1828.
Permulta quoque lectu haud indigna reperies apud Reichium: De baptismatis origine et necessitate nec non de formula baptismali dissertatio. Gott. 1816.

2) Hoc praescriptum, Christi et apostolorum tempore non solum ad externam vestium ablutionem, sed ad solennem lavationem, quae ad initiandum esset necessaria, esse relatum (praecipue a Philone), jam Bengelius ostendit. (Ueber die Proselytentaufe p. 33.)

de sacris Essaeorum aquis [3]) neque Mischnae locus [4]), qui saepe de proselytico intelligitur baptismo, ullius est momenti. Ex altera parte hoc concedi debet, ex altera autem negandum est. Id vero imprimis sciamus necesse est, magnum semper permanere discrimen inter christianorum baptismum et judaicum baptizandi ritum, etsi longum per tempus ante Joannem et Christum proselyticum jam fuisse baptismum cognitum atque perspectum habemus; nam christianus baptismus nihil est sine interna notione, quae nititur christiana religione, sicut ad judaicas lustrationes ea, quae ex hac religione orta est, sententia pertinet; id quod non negligendum mihi videtur, quum quaeritur de christiano baptismo, qui ex judaico baptizandi ritu sit ortus. Christianus baptismus, undecunque est ortus firmissime semper nititur religionis christianae ingenio. Quodsi tamen opinamur, christianum baptismum nil amplius significare, nisi externum ad religionem christianam transitum seu initiationem, neglecta vera interna significatione,

---

3) Josephus (de Bello Judaic. I. II. c. 8. §. 7.) ceremonias describens, quas ad Essaeorum sectam transiturus subire debeat, memorat, transiturum diligentissime examinari totum per annum, et deinde sic pergit: „ἐπειδαν δε τουτῳ τῳ χρονῳ πειραν ἐγκρατειας δῳ, προςεισι μεν ἐγγιον τῃ διαιτῃ, και καθαρωτερων των προς ἁγνειαν ὑδατων μεταλαμβανει, παραλαμβανεται δε εἰς τας συμβιωσεις οὐδεπω“. (Vid. Bengel. l. c. p. 83. n. 74.)

4) Hic Mischnae locus (Tract. Pesachim. c. 8. §. 8 — edit. Surenh. P. II. p. 167.) docet, proselytum, qui proselytaverit vespere paschali, secundum scholam Schammai, baptizatum edere paschalem carnem vespere, secundum autem scholam Hilel, sejunctum a praeputio parem esse sejuncto a sepulchro. Hebraica verba haec sunt: „גֵּר שֶׁנִּתְגַּיֵּיר עֶרֶב פְּסָחִֵי בֵּית שַׁמַּאי אוֹמְרִים טוֹבֵל וְאוֹכֵל אֶת־פִּסְחֵי לָעֶרֶב וּבֵית הִלֵּל אוֹמְרִים הַפּוֹרֵשׁ מִן הָעָרְלָה כְּפוֹרֵשׁ מִן הַקֶּבֶר׃“

qua demum baptismus est christianus, tum sacra immersio non solum cum judaico baptizandi ritu sed etiam cum quavis ethnica lustratione in unum idemque cadit. Attamen, quum facile in dubium vocari non possit, quin et totus cultus et ritus cujusvis religionis, essentialem habeant rationem ad ipsam hujus religionis notionem, hac de causa gravissima, sive hoc sive illud de judaici proselytorum baptismi aetate ipsis testimoniis exhibitis statuatur, nunquam tamen christianus baptismus apud Judaeos inveniri potest. Quod quum ita sit, etiam proselytorum baptismus neque ab interna religionis idea, neque a cultu et reliquis purgandi ritibus alienus esse potest; quo negato, quaeritur: unde tandem hic proselyticus baptismus sit ortus? seu, num ethnica sit lustratio, quae, quamvis proselyticus sit baptismus, religionem judaicam ejusque cultum non respiciat? Religione igitur in quovis describendo ritu spectata, vere demum dijudicare possumus, quanti momenti scriptorum testimonia pro hac vel illa re confirmanda sint. Nihil refert, utrum Josephi an Mischnae verba certum baptizandi, seu lustrandi seu purgandi ritum designent; nam prima solennis lustratio seu purgatio, quam ad Judaeorum religionem aut ad Essaeorum sectam transiturus subire debebat, quidam baptismus erat. Bengelius tamen nobis opponit [5]), et Josephi et Mischnae verba ad baptismum referri non posse, quia ex altera parte illic sermo sit de saepius repetitis lotionibus, quarum transiturus particeps fiat, quo facto duobus etiam annis opus fuerit, ut revera ex omni parte Essaeorum sectae socius esset; et quia ex

5) l. c. p. 83. n. 75. et p. 90. n. 81.

altera parte Mischnae locus lustrationem, minime baptismum respiciat“. Quod attinet ad sacras istas aquas, quibus singulis diebus utebantur, id sane nihil aliud probat, nisi quod prima solennis lustratio, qua transiturus externa certe ratione Essaeorum sectae adnumerabatur, ideoque quodam etiam modo initiabatur, repetita sit in singulos fortasse dies; itaque repetita lustratio magis magisque amplificata erat initiatio seu repetitus baptismus. Prima lustratio seu sacrarum aquarum participatio, quamquam transiturus ad Essaeorum sectam illâ nondum prorsus excipiebatur, sed post duos demum annos omnino omnium mysteriorum ceterarumve rerum erat consors, nihilominus ad quandam initiationem spectat; nam illarum aquarum expers longe alienus erat ab Essaeorum secta et sine ulla eorum communione. Nullum initium rei iteratione, seu potius nullius rei interna natura repetitione extingui potest, etsi ista iteratio insana est; nil refert, utrum aliquid semel an sexcenties dicatur seu fiat; una eademque primae rei natura semper permanet. Natura autem primae lustrationis, quam transiturus adit, sicut ad initium sic etiam ad quandam initiationem spectat; nonne quod attinet ad iterationem, simile aliquid, ad istum Essaeorum morem innuens, in medii aevi sectis reperitur? Quodsi vero hos ad Essaeorum sectam transituros, cum judaicis proselytis comparamus, idem fere in his, quod in illis invenimus; nonne etiam proselytus post primum purgandi ritum iterum iterumque purgandi ritibus interesse debebat? An nos opinemur, proselyticum baptizandi ritum multo praestantiorem fuisse Judaeorum purgandi ritibus, ita ut talis, quia semel esset purgatus, supersederet ceteris? Hoc Judaeis sane, qui nunquam proselyti fuerant,

minime probatum fuisset; nam ritus suos maximi habebant, illorumque participationem praestantiam putabant; ex quibus omnibus patet, proselyti baptismum, etiamsi paulo solennior reliquis Judaeorum ritibus fuerit eique nonnulla externa additamenta adhaeserint, quia haec omnia videlicet primo in hoc baptizando homine fiebant, nihilominus, quod pertinet ad essentiam, ceteris parem haberi. Verumenimvero Bengelius opponit, proselyticum baptismum cum Essaeorum saepius repetitis lotionibus comparari non posse, quia proselytus suscepto primo ritu pro recepto sit habitus, id quod apud Essaeos usu non venerit. Cui nihil aliud respondere possumus, nisi quod jam memoravimus: proselytus Judaeus habebatur primo quidem baptizandi ritu accepto, sed ipso hoc ritu ei ceteri quoque purgandi ritus aliaeque multae res exercendae erant, quibus si non obtemperabat, e synagoga ejiciebatur. Transiturus contra ad Essaeorum sectam pro Essaeo habebatur, non tam prima sacrarum aquarum participatione, quam tali quae biennium repetebatur, qua multisque aliis rebus si carebat, ab Essaeis prorsus removebatur. Itaque alter ab eo, quo jam frui inceperat i. e. ab Essaeorum communione removebatur, alter e synagoga, in qua jam fuerat ejiciebatur; utrumque, quod attinet ad essentiam, idem esse negari non potest.

Jam nunc etiam verbo absolvi potest, quomodo Mischnae locus se habeat, qui solam lustrationem respicere vulgo dicitur. Id saltem nemo negabit, illic certissime lustrationem esse significatam. Quod ad internam vero judaicarum lustrationum sententiam attinet, inter eam ipsam et proselytici baptismi notionem arctissimum est vinculum, ita ut utrumque eandem denotet internam rem; qua de causa pleno

jure lustratio cum baptismo et hic cum illa permutari potest.

Secundum hanc sententiam facillime etiam alios duos locos, quos Bengelius [6]) ex Josephi Archaeologia [7]) citat, explicare possumus; quorum uno videlicet Adiabenico regi Izati (Claudii Caesaris tempore viventi), qui circumcisionis causa judaica sacra sequi non vult, Ananias, illum ad judaicam religionem amplectendam adducturus, dicit, eum etiam non circumcisum colere posse Jehovam, si praescriptis legibus ac ritibus obtemperet. Quin hic prae omnibus purgandi ritus significentur, ecquis est, qui dubitet? Qui ipsi quum transituro maxime necessarii haberentur, etiam primus solennis ritus, quem proselytus in transitu suo ad religionem judaicam adire debebat, distincte denotatus est; hic autem cum ad quendam baptizandi tum initiandi ritum spectat. Ipse Bengelius in extremo libro suo [8]) ad hanc sententiam latenter innuit, propius accedens ad veram internam rationem, quam lustrationes ad baptismum et hic ad illas habent. Nihilominus tamen putat, multas concitationes extrinsecus petitas, fuisse necessarias, ut lustratio fieri posset initiatio; cui sententiae opponimus, non tam ansas, foris petitas, primum proselyti purgandi ritum efficere initiationem, quam ipsam primam proselyti lustrationem, sive cum circumcisione et sacrificio sit conjuncta sive non, ad initiationem esse referendam. Altero loco [9]) Josephus Joannis

---

6) l. c. p. 113. n. 106.
7) Archaeol. l. XX. c. 2. §. 4—6. edit. Haverk. p. 959.
8) l. c. p. 126. n. 114.
9) Archaeol. lib. XVIII. c. 5. §. 2. (edit. Haverk. t. I. p. 883.): „και τους Ιουδαιους κελευοντα, ἀρετην ἐπασκουντας, και τῃ

baptismum vel proselytico baptismo vel vulgaribus Judaeorum lotionibus opponit, et quae Joannis baptismi ad has lotiones sit ratio, profert. Alii putant Josephum hisce verbis ad judaicum proselytorum baptismum alludere, quod alii negant, quia Josephi verba solum vulgares Judaeorum lotiones respiciant. Dissensio autem de hoc loco ex eo orta est, quod proselyticus baptismus istis ceteris purgandi ritibus opponitur, aut quod opinati sunt, proselyticum baptismum omnino jam Christianum esse debere; id quod supra memoravimus. Verumenimvero apud Judaeos tota vocis „baptizare seu baptismus“ potestas istis purgandi ritibus continetur iisque prorsus concluditur, ita ut quaevis lustrationes dici possint baptismi. Baptisma igitur apud Judaeos tamquam in singula membra disiectum seu in singulas partes dilapsum est; totum autem apud Christianos demum reperitur. Quam sententiam veram esse et lustrationum et proselytici baptismi notionem, cum rationibus, quas jam protulimus, confirmatur, tum ipso novo testamento, quod istas judaicas lustrationes ad baptismum alludere docet. Nemo enim ignorabit, pluribus N. T. locis, purgandi ritus vocari baptismos [10]), ex quo sat apparet, in iis baptismi notio-

---

προς ἀλληλους δικαιοσυνῃ και προς τον θεον εὐσεβειᾳ χρωμενους, βαπτισμῳ συνιεναι. οὑτω γαρ την βαπτισιν ἀποδεκτην αὐτῳ φανεισθαι, μη ἐπι τινων ἁμαρταδων παραιτησει χρωμενων, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἁγνειᾳ του σωματος, ἁτε δη και της ψυχης δικαιοσυνῃ προεκκεκαθαρμενης“.

10) Vid. Heb. IX. v. 10.: „μονον ἐπι βρωμασι, και πομασι, και διαφοροις βαπτισμοις, δικαιωμασι σαρκος, μεχρι καιρου διορθωσεως ἐπικειμενα.“ — Marc. VII, 8.: „ἀφεντες γαρ την ἐντολην του θεου, κρατειτε την παραδοσιν των ἀνθρωπων, βαπτισμους ξεστων και ποτηριων.“

nem obscure latere, eosque rationem quandam ad verum baptismum habere. Quod quum ita sit, testimonia, quae de judaicis ablutionibus exhibentur, necessario quoque ad judaicum proselytorum baptismum sunt referenda, quo fit, ut novum testamentum ceterique scriptores, qui in hac re maximi sunt momenti, non solum non sileant, sed ipsi pro testimonio possint adduci. Itaque nihil interest, utrum Josephus illo loco de ablutionibus, an de baptismo loquatur; utrumque unam eandemque designat internam rem, cui Josephus Joannis baptismum opponit.

§. 2.

Restat, ut breviter ceteras rationes, quae vulgo aut ad confirmandam aut ad impugnandam judaici baptismi antiquitatem afferuntur, persequamur. Quam rem, ut jam monuimus, nostra aetate optime pertractarunt Bengelius et Schneckenburgerus. Hos igitur nos quoque, nonnunquam quidem paucis vel ad refellendum vel ad probandum additis, sequemur.

Primum a re non alienum putamus, argumenta, quibus Bengelius utitur ad confirmandam suam sententiam, brevissime componere.

Gemara et Hierosolymitana et Babylonica (saec. quinto perfecta) certissime commemorant baptismum, qui, sicuti circumcisio, jam ante Christi et Joannis tempora transituris paganis initiandi fuerit ritus [11]).

---

11) Talmud. Bab. Cod. Cerith. fol. 81. a. pluribusque aliis dictis narratur, patres non aliter, nisi circumcisione, baptismo et sanguinis adspersione in foedus esse ingressos, ideoque et proselytos non aliter in foedus ingredi oportere. Bengelius (l. c. p. 19.) etiam animadvertisse sibi videtur, illis locis longam baptismi proselytorum aetatem non tam primum defensam quam tamquam rem vulgarem esse positam. Praeterea Ben-

Quod testimonium multi confirmant posterioris aetatis scriptores judaici, ut Maimonides aliique. Attamen si scriptores, qui Christi fere tempore vixere, consulimus, hi ut postea videbimus, nil de ejusmodi baptismo videntur proferre. Quapropter Gemarae testimonio id solum probatur, quod quintum seu quartum circiter saeculum baptismus maximi momenti fuerit. Plurimum tamen ponderis Bengelius testimonio cuidam tribuit, quod medio saeculo secundo Arrianus, Hadriano imperante Capadociae praefectus, pro judaico proselytorum baptismo perhibeat [12]);

---

gelius (l. c. p. 22.) ostendit, in Talmud. Babyl. (Jebham. fol. 46. a. b.) post quaestionem controversam sub finem saec. primi actam — (num scilicet circumcisus nec baptizatus revera sit proselytus, quoniam illud in baptizato nec circumciso usu sit probatum) — e sapientium doctrina esse statutum, ut proselytus tum circumcisus tum baptizatus esse debeat. Quibus testimoniis Bengelius addit (l. c. p 24.), et Gemaram et alios doctores judaicos, in eo semper permanere placito, quod ad initiandum proselytum tres res sint prorsus necessariae, circumcisio, baptismus ac sacrificium. Eadem de hisce rebus nobis proponit Mos. Maimonides. Hic enim Hilc. Issur. cap. XIII. dicit, Israelitas tribus rebus ingredi in foedus: „circumcisione (מִילָה) baptismo (טְבִילָה) et oblatione (קָרְבָּן) Si femina est, addit „baptismus et sacrificium sufficiunt.“ Similiter Issur. biah cap. XIII. Praeterea Maimonides, sicut talmudistae, testatur, baptismum proselyti nativitatem novam appellari Iss. biah cap. XIV.: „Ethnicus, qui fit proselytus et servus, qui manumittitur, ecce ille est, sicut parvulus jam natus.“ (Vid. Walli lib. cit. introd.)

12) Arriani verba haec sunt: „*οταν δ᾽ ἀναλαβῃ το παθος το του βεβαμμενου και ᾑρημενου, τοτε και ἐστι τῳ ὀντι και καλειται Ιουδαιος. οὑτω και ἡμεις παραβαπτισται, λογῳ μεν Ιουδαιος (Ιουδαιοι), ἐργῳ δε ἀλλο τι, ἀσυμπαθεις προς τον λογον κ. τ. λ.* — Bengelius (l. c. p. 92.) prima hujus loci verba ita vertit: „Wenn er aber den Charakter des Getauften und Erwählten (in den Religionsverein Aufgenommenen) angenommen hat, so heisst er nicht nur ein Jude, sondern ist es auch wirklich etc.“ — Schneckenburger illi versioni aliam opponit, quae ita est: „Wenn er aber auf sich

Arrianus nimirum dicit, eum, qui se Judaeum esse simulet, tunc demum revera Judaeum esse, „ὅταν ἀναλαβῃ το παθος το του βεβαμμενου και ᾑρημενου κ. τ. λ.“ Quae verba Bengelius ad baptismum proselyti refert; Schneckenburgerus contra ad ritus, cuivis Judaeo necessarios; nobis tamen illa verba tum proselytum tum Judaeum seu id, quod utrique necessarium habetur, spectare videntur. Nam si illud παθος του βεβαμμενου κ. τ. λ. id est, quo Judaei persona maxime niti debet, necessario et proselytus sine illo Judaeus nondum est; accepto autem primo purgandi ritu, revera amplectitur judaica sacra; itaque sive illa verba praescriptas Judaeorum ablutiones sive quendam proselyti baptismum innuant, et hoc et illud non nisi unum significat sensum. Proselytus illud παθος κ. τ. λ. accipit, si baptizatur i. e. solenniter abluitur, Judaeus illud παθος habet, si curam in purgandi i. e. baptizandi ritibus adhibet; uterque una eademque re et Judacus est et illud παθος habet [13]).

§. 3.

Praeter Gemarae et Arriani testimonia,

---

nimmt die (beschwerlichen) Taufen und das Halten des Koscher, dann ist er in der That, was er heisst, ein Jude etc.“ (l. c. p. 88. §. 49.)

13) Praeterea saepe aliud testimonium affertur, quod Aethiopicae N. T. versionis autor dat, verba Matt. cap. XXIII, 13.: „ποιησαι ἑνα προσηλυτον“ interpretans: ut baptizetis unum proselytum. Bengelio, cui adstipulamur, hoc testimonium parvi est momenti, quia ex altera parte illius versionis origo ad posterius tempus (ad quartum saeculum) pertineat, atque ex altera parte interpres in eo facile errare potuerit, quod proselytorum baptismum Christi tempore jam in usu fuisse putaverit. (Bengel. l. c. p. 99.)

quae judaici baptismi propugnatoribus vulgo gravissima videntur, Bengelius Joannis et Christi baptismum respicit ac bene demonstrat, nulla ratione verisimile esse, Judaeos baptismum a sacra Joannis seu potius Christi immersione desumpsisse, quum Judaei, superbo animo et contemptione reliquos despicientes populos, maximo prae omnibus odio Christianos semper sint persecuti [14]. Praeterea etiam quaeritur, quid tandem sit, quod Judaei a Christianis sumpsisse dicantur? utrum aquae usum, an immergendi in aquam morem ab his duxerunt? Quod ad hoc attinet, sane non opus erat, Judaeos eo carere, donec christianus ritus veniret; nam cum ethnici populi, tum ipsi Judaei talia non ignorabant. Porro, num forsitan initiandi significationem a Christianis petierunt? Sed hoc in ipsorum purgandi ritibus jam situm erat, qui primo in transituro adhibebantur. Postremo, num aliud essentiale quid a christiano baptismo depromserunt? Si id accidisset, ex altera parte ipsorum rituum vanitatem agnossent, atque ex altera parte non tam ad judaicam, quam ad christianam initiavissent religionem. Verumenimvero, id quod postremo quaeri debet: quomodo tandem fieri potuit, ut christiani patres, qui levissimam baptismi sui rem maximi aestimabant, ista omnia silentio praeterivissent? Sunt, qui mirentur, quod patres ecclesiastici nil de judaico baptismo, qui Christi tempore usu receptus sit, memorent; atque hujus silentii causa arbitrentur, judaicum baptismum a Christiano esse desumptum tertio saeculo! Sed cur iidem non multo ma-

---

14) Bengel. l. c. p. 38—57.

gis mirantur, quod illi ecclesiastici patres nihil omnino de isto Judaeorum baptismo, qui sit a Christiano desumptus, dicant? Longe aliter res se habet, si proponimus, illud circiter tempus nonnulla levia additamenta, ut trium testium praesentiam aliasque res, judaico baptismo esse adjuncta; nam talia ipsi christiani foris assumere potuerunt, siquidem, id quod inter omnes constat, sponsorum praesentia aliaque multa tertio demum ineunte saeculo in consuetudinem venerunt. Quo minus christiani baptismi essentia illis rebus additis permutata est, eo minus judaicus baptizandi ritus illis additamentis existere demum coepit.

§. 4.

Jam vero nunc difficilius aliquid nobis est transigendum. Quid enim est, quod ex illa Pharisaeorum quaestione (Jo. I, 25.) consequatur? Bengelius putat, eam, qua utuntur Pharisaei, quaerendi rationem, nos certiores facere, externum baptizandi ritum minime novi seu inauditi aliquid Judaeis fuisse, quia hisce id solum offensioni sit, quod Joannes non solum proselytos baptizet, verum etiam solos forsitan Judaeos [15]). Quapropter Bengelius persuasum sibi habet, Joannem illam Pharisaeorum quaestionem (τι οὖν βαπτιζεις) non nisi ad sui baptismi essentiam, quae secundum Judaeorum opiniones soli baptizanti Messiae vel ejus praeconi sit permittenda, referre. Cui sententiae nos quidem non repugnamus, sed putamus eam firmius fulciri posse, si tum Pharisaeorum quaestionem tum Joannis responsionem accu-

---

15) Bengel. l. c. p. 38—66.

ratius inspexcrimus. Ex Pharisaeorum autem interrogatione apparet, illis non externum baptizandi ritum curae fuisse, sed internam potius hujus baptismi vim, quoniam non quaerunt ex Joanne: „τι ἐστι το βαπτιζειν, seu τι ἐστι βαπτισμος; quid est baptizare seu quid significat ejusmodi baptizandi ritus" imo potius interrogant „τι οὐν βαπτιζεις" (εἰς τι κ. τ. λ. — quo tandem nititur baptismus tuus?). Additum vocabulum „οὐν" non negligendum mihi videtur. Causa, cur Pharisaei mittantur, est, ut Synedrium sciat, quis sit Joannes (Jo. I, 19.: ἱνα ἐρωτησωσιν αὐτον· συ τις εἰ;). Quodsi missi Pharisaei intellexissent, Joannem esse prophetam vel Eliam vel Messiam, sane non quaesissent ex eo: „quid igitur baptizas" (τι οὐν βαπτιζεις v. 25.). Postquam vero persuasum sibi habuerunt, eum neque Eliam esse, neque Messiam, interrogant: „quid igitur baptizas" ex quo apertissime patet, „το baptizare" venturo Eliae vel Messiae esse adscriptum, et baptismum jam notam fuisse rem [16]. Unde autem res nota, nisi qui-

16) In Bengelio mirati sumus, quod, quamvis veram illius loci interpretationem innuat, dubitat: „an Judaei ante Joannis tempora opinati fuerint, Messiam venturum solenni ablutione, quae sit initiatio, populum esse consecraturum, quo sui regni fiat particeps. Bengelius una cum aliis multis non negat quidem, Judaeos exspectasse, tempore Messiae totam nationem purgari; sed dubitat, an haec purgatio pro initiatione seu lustratione baptizandi ritu perficienda, sit habita. (l. c. p. 73—85.) Quod quidem nobis in dubium vocari non posse videtur. Nam ista exspectatio, quod Messias populum judaicum ab omnibus labibus sit purgaturus, sine ulla dubitatione ex ea orta est opinione, quam Judaei de purgandi seu abluendi necessitate habebant. Sin vero Messias populum purgaturus cogitabatur — id quod Bengelius non dubitat — hoc fieri non poterat, nisi eo tempore, quo primum Messias in medium procedebat et popu-

dam baptizandi (purgandi) ritus apud Judaeos ante Joannem in usu erat? Qua de causa etiam Joannes non respondet „baptizare, id quod hic primum videtis, hoc vel illud significat" quamquam secundum adversariorum baptismi judaici sententias, talia Joannes responderet necesse erat. Nam siquis interrogat: „quid significat baptizare, quod te primum exercere video?" ea sane ad illam interrogationem inanis est responsio: „ego baptizo in aqua" nam interrogans post hoc responsum nihil scit, quod antea non sciebat, ideoque iterum interrogare cogitur: „quid significat hoc tuum in aqua baptizare." Ad quam quaestionem pertinebat descriptio „quid sit baptizare"; quam quidem neque apud Joannem Apost. neque apud reliquos evangelistas invenimus (Matth. III, 6. sqq.; Marc. I, 4. sqq.; Luc. III, 2. sqq.). Verumtamen aliter res se habet, si illud baptizare jam noti quid est; tum enim responsum „ἐγω βαπτιζω ἐν ὑδατι" justam habet

---

lum ad salvam sui regni participationem convocabat; nam nulla ratione impurum in suo maxime puro regno admittere poterat; sic autem purgatio, quae initio temporis Messiae fieri putatur, est initiatio. Bengelius porro, solum ad aquae baptismum respiciens, hunc Judaeos exspectasse negat, quamquam saepissime de spiritali purgatione seu expiatione sit sermo. Attamen hanc spiritalis expiationis exspectationem ii soli e Judaeis amplecti valebant, qui jam ipsi in spiritu versabantur, ac istarum visibilium (carnalium) lustrationum inanitatem intelligebant, ut prophetae aliique; qui vero adhuc toto animo in istis purgandi et abluendi ritibus vivebant, eosque prorsus habebant necessarios, hi talia etiam Messiam esse exerciturum eumque eadem ratione judaicam nationem tamquam uno ingenti ritu (qui pleno jure baptismus vocari potest) esse purgaturum opinarentur necesse erat. Nam ubi caro est, carnalia, ubi spiritus spiritalia cogitantur atque exspectantur. (Jo. III, 6.: „Natum ex carne caro est et natum ex spiritu spiritus est.")

sententiam, quia verba ἐν ὕδατι magnam habent vim, iisdemque responsio continetur, quae est: „aqua (purgationis i. e. poenitentiae symbolum), mei baptismi est essentia." Ex quibus omnibus aperte etiam liquet, cur ab adversariis judaici baptismi aetatis contra moneri non possit, nominationem Joannis „βαπτιστου" ostendere, ante Joannem nullum baptizandi ritum usu receptum fuisse. Nam ita Joannes nominatur, quia novam ei dat significationem, et quia maxime solum baptismum prae ceteris tractat, id quod etiam Bengelius annotavit.

§. 5.

Eadem ratione, qua judaici baptismi adversarii Pharisaeorum quaestione utuntur, etiam colloquium Christi cum Nicodemo (Jo. III, 1—11.) in suam confirmandam sententiam convertunt. Nec magis recte multi judaici baptismi propugnatores in illius colloquii interpretando sensu versantur. Illi censent, Nicodemum obstupescere non potuisse, si apud Judaeos baptismus fuerit; hi existimant, Christum certum proselytorum baptismum respexisse. Verumenimvero, quod attinet ad primam sententiam, quis ignoret, Nicodemum hic non eo offendi, quod Christus dicat, unumquemque hominem renasci debere „ἐξ ὕδατος", sed maxime eo, quod Christus doceat, homo renascatur prorsus necesse esse; atque adeo, si Nicodemum cognovisse judaicum proselytorum baptismum certissime sciremus, nihilominus optimo jure illa Christi verba — hominem ex aqua et spiritu renasci debere — eum admiratione afficere poterant: nam in baptismo judaico de ejusmodi regeneratione nil cognitum habebat. Quapropter non temere etiam

Bengelii sententiae resistere videmur, qui istam, de qua Christus loquatur, regenerationem ἐξ ὕδατος imprimis judaici proselytorum baptismi respectum habere putat [17]. Non negamus quidem, haec Christi verba ad purgandi ritus ideoque latenter etiam ad proselytorum baptismum, quibus omnibus, ut postea accuratius ostendemus, symbolica quaedam insit significatio, alludere; praecipue autem illa verba ad Joannis baptismum quadrant, cujus baptismi essentia ἐξ ὕδατος constat. Bengelius in defendenda sententia sua primum profert, secundam Nicodemi quaestionem seu admirationem (v. 9.: „quomodo fieri haec possunt?") non tam omnino ad regenerationem, quam ad regenerationem ex aqua esse referendam. Veruntamen alter Nicodemi stupor, si sensum spectamus, idem est ac primus (v. 4.: „quomodo tandem nasci potest homo senex"); nam secundo non additum est „quomodo haec regeneratio ex aqua fieri potest". Ipsa proxime antecedentia verba contra Bengelii sententiam dicunt; nam Christus verba ἐξ ὕδατος omittens et non nisi regenerationem ex spiritu memorans, dicit versu septimo „noli mirari, quod tibi dixerim, oportere vos desuper nasci" et sequenti versu „sic se habet cum quovis

---

17) Beng. l. c. p. 85—88.; ubi inter alia p. 88. dicitur: „Die Bekanntschaft mit einer solchen Regeneration konnte er (Jesus Christus) aber mit dem vollkommensten Rechte dann bei einem jüdischen Lehrer voraussetzen, wenn die jüdische Proselytentaufe schon vorher üblich, und die Idee, dass der Proselyte, sobald sein Uebertritt durch die Taufe vollendet worden, als ein neugeborner Mensch zu betrachten sei, schon vorher herrschend gewesen war. Es scheint daher doch behauptet werden zu dürfen, dass die vorliegende Stelle wenigstens am befriedigendsten erklärt werden könne, wenn das höhere Alter der jüdischen Proselytentaufe angenommen wird."

ex spiritu nato"; quae verba Nicodemi sequitur admiratio „πως δυναται ταυτα γενεσθαι". Vocabulum ταυτα (i. e. „haec omnia, quae tu dicis") ad totum antecedentem locum, qui omnino de regeneratione agit, est trahendum. — Huic, quam modo proposui, rationi Bengelius addit, Christum jam ponere, Nicodemo regenerationem, quae ex proselytorum baptismo (ἐξ ὑδατος) oriri dicatur, notam esse debere rem. Quod quidem fieri non potest, si sententia ejus, quam Judaei vocant, regenerationis proselytorum, et ea, quam Christus necessariam habet, prorsus nullam fere inter se habent cohaerentiam. Judaica ista regeneratio, ad novum externum et visibilem, ut ita dicam, statum spectat, seu ad separationem a pristina consanguinitate, quod ipse Bengelius annotat[18]); regeneratio autem, quam Christus animo tenet, non externa quadam re, sed ἐκ του πνευματος (v. 9.) fieri debet; quem spiritum frustra in proselytico baptismo quaeris. Finge tamen, Christum suam spiritalem regenerationem ad istum proselytorum baptismum retulisse: nonne ipso hoc respectu proselytos solos pro regeneratis habuisset — quum Judaei nati isto externo baptizandi ritu non uterentur — nonne istam separationem proselytorum a parentibus aliisque approbasset? Sic autem nova spiritali regeneratione non opus fuisset; id quod Nicodemo sane mirifice placuisset. Quid, quaeso, quomodo tandem fieri poterat, ut Nicodemus — nobilis Israelitarum doctor — hanc proselyticam regenerationem nesciret? Aequo et pari jure suspicari possimus, Nicodemum proselytici baptismi, quamvis in usu

18) l. c. p. 86.

esset, ac ceterarum omnium lustrationum nullam habuisse notitiam. Attamen pro tam ignaro doctore neque Christus eum habuit, neque nos eum habere possumus; nam istae ipsae externae res, quaecunque sunt, magnae erant curae Nicodemo, ipsaeque sine ullo dubio efficiebant, ne Christi regenerationem intelligere posset. Quibus omnibus expeditis, quaeritur, quae revera sit regeneratio, quam Nicodemus nondum cognorat. De hac re postea copiosius agemus, ita ut hic non nisi brevi praecidere possimus. Ista est regeneratio, ad quam saepissime V. T. alludit, quam prorsus necessariam prophetae intelligunt, ad quam Joannes tendit, quamque per dei filium fore perfectam putat. Quamquam summo jure exspectari poterat, etiam Nicodemum, quia Israelitarum erat doctor, talia intellexisse, nihilominus haec fatalis ignorantiae sors ei cum plerisque omnibus collegis seu doctoribus judaicis communis erat.

§. 6.

Quid denique tandem est, quod Josephus, Philo aliique magnae auctoritatis scriptores ad confirmandam vel hanc vel illam sententiam in medium proferant? Non sine gravi causa judaici baptismi adversarii contra propugnatores rem suam eo firmiter fundare student, quod, ex eorum judicio, Mischna, Onkelos, Josephus, Philo, Justinus Martyr ceterique antiquae ecclesiae patres istum certum a purgandi ritibus sejunctum baptismum altissimo praetervehantur silentio. Quapropter propugnatores desudant atque elaborant, ut illud grave silentium sileat, neve alta et clara voce ipsorum sententiae reclamet; sed nihilominus silentium continuo pronuntiat, nullum ejusmodi baptismum usu receptum fuisse. Nam, quo-

modo tandem fieri potest, ut ii ipsi, qui justo fusius de omnino omnibus vel levissimis Judaeorum ritibus dicunt, istum baptismum, qui in eadem fere ac circumcisio fuisse auctoritate dicitur, ne attingant quidem? Causae, quae afferuntur, cur illud silentium nihil valeat, levissimae sunt, ac profecto indignae, quae enumerentur. Qui nos adducere volunt, ut credamus, illud silentium nullius esse momenti, hi ostendere conentur, fieri potuisse, ut iidem scriptores, qui multi sunt in describendis quibusvis Judaeorum ritibus, ne ullum omnino verbum de circumcisione facerent. Quae vero, qualis, quantaque est conjectura, quam judaici baptismi adversarii ex illo silentio faciant? Hi, christianum baptismum apud Judaeos desiderantes et omnem fere purgandi rituum curam abjicientes, nullum baptizandi seu initiandi ritum in usu fuisse asserunt. Ad quam sententiam jam satis respondisse nobis videamur. Si rectam animo tenemus rationem, quam baptizandi ritus, cum ad reliquas Judaeorum lustrationes tum ad christianum baptismum habet: quidam exstat baptismus. Superest, ut rei summam comprehendamus. Bengelio [19]), qui, a propugnatorum partibus stans, acutissime quidem, sed frustra illud silentium prorsus enervare studet, postremo hic fit rei eventus, quod baptismus post exilii quidem tempora jam in usu fuerit, post Hierosolymarum tamen excidium demum sancitus ac solennis initiandi ritus sit factus. Schnekkenburgerus contra, qui eximia eruditione instructus, sagacissime de proselytorum agit baptismo, in omnibus fere Bengelio non adstipulatur. Talmudistarum

---

19) l. c. p. 100 sqq.

testimonium ei nihil aliud probat, nisi quod saeculo quinto baptismus apud Judaeos ubivis in usu fuerit, quamquam jam prius mulieres, servi et inventi infantes sint baptizati [20]. Cui sententiae Arriani verba non resistere, eo ostendit, ut jam vidimus, quod ibi observationis praescriptarum ablutionum respectus habeatur [21]. Nec magis neque Vetus neque Novum T. e Schneckenburgeri sententia probat, proselyticum baptismum usu receptum fuisse [22]. Prae omnibus autem ei contra illius ritus vetustatem id testari videtur, quod neque judaici neque ethnici neque christiani scriptores ullam illius rei mentionem faciant [23]. Ex quibus omnibus, ne agam de singulis, Schneckenburgero longe alia fit rei summa ac Bengelio. Ea, quibus comprehendit Schneckenburgerus suam cum Bengeliana comparatam sententiam, proferemus et quum res ita ferat, nonnulla addemus.

§. 7.

1. Contra Bengelium, qui jam ante Joannem et Christum praeter circumcisionem

---

20) Schneck. l. c. p. 153. §. 70.: „Was bleibt Gewisses in den talmudischen Stellen?"

1. Die unmittelbare Bedeutung der Proselytentaufe war lustrativ, das Rituelle dabei dem bei andern Lustrationen in der Hauptsache gleich (§. 66.); cfr. §. 62. p. 133.

2. Ueber das Alter der Einführung geht nur so viel hervor, dass zur Zeit des babylonischen Talmuds, im fünften Jahrhundert, sie bereits im Gebrauch und nach einer Controverse Gegenstand einer festen Bestimmung der Schule geworden war; dass zur Zeit des jerusalemischen Talmuds sie bei Frauen, Kindern und Knechten schon vorkam, obgleich nicht ganz erhellt, ob nur in Verbindung mit oder als Ersatz der Beschneidung."

21) Schneck. l. c. p. 78. §. 48 sqq.

22) l. c. p. 33—76. §. 30—48.

23) l. c. p. 92. §. 52—132. §. 62.

quendam accedendi et initiandi ritum seu baptismum apud Judaeos in usu fuisse putat, affert Schneckenburgerus, quemvis peregrinum, quam diu templum steterit, circumcisione et sacrificio, inter quae quidem lustratio seu levitica purgatio sit interposita, in societatem Judaeorum esse receptum [24]). — Quatenus b. Bengelius persuasum sibi habet, illum Judaeorum baptismum a ceteris ritibus (quod attinet ad essentiam seu internam notionem), prorsus diversam fuisse, id quod ex ejus libro nobis apparere videtur, suffragari ei non possumus, quum ejusmodi sententiam neque rationibus ex historia petitis neque judaici cultus notione confirmari posse existimemus. Attamen aequo et pari jure ac Schnekkenburgerus, dicere possumus, quemvis peregrinum circumcisione et lustratione, quam sacrificium sit secutum, in foedus judaicum esse receptum, nam illam eundem cum hoc tenere locum, postea videbimus. Lustratio autem, quae sicut circumcisio et sacrificium necessaria ad transitum peregrini (i. e. ad initiandum) erat, sine ulla dubitatione accedendi et initiandi habet significationem, quapropter baptismus

---

24) Schneck. l. c. p. 185. §. 86.:

Beng.	Schneck.
a) „Es bestand schon vor Johannes und Christus eine Taufe unter den Juden als accessorischer Ritus zu der Beschneidung gehörig, mit bestimmter Beziehung auf die Initiation.	a) „Die regelmässige Aufnahme der Fremden in's Judenthum geschah, so lange der Tempel stand, durch Beschneidung und Opfer. Jener folgte und diesem ging, wie jedem Opfer, voran eine Lustration, welche, wie alle anderen Lustrationen, bloss als levitische Reinigung galt.

quidam dici debet; quoniam utraque vox, „lustrationis et baptismi" si id exceperis, quod haec judaica lustratio in transituro nunc primo exercebatur, nondum quod attinet ad essentiam in discrimine est posita.

Porro b. Bengelius memorat:

2. hanc lustrationem et vulgares eo inter se differre, quod illam proselytus non ipse curaverit; unde praecipue initiandi significatio sit derivanda. Schneckenburgerus contrarium opponit [25]). Verumenimvero, id quod jam saepius diximus, repetamus necesse est: lustratio, quae continuo fit transitus initio, est initiatio. Prorsus nihil refert, utrum proselytus lustrationem ipse faciat an alius. An forsitan illis, quae modo proposuimus, verbis id obscure innuatur, quod ista lustratio, si per alium exerceatur, revera demum fiat baptismus (ne dicam baptisma Christianum)? Cum purgandi ritus tum Christianus baptismus per suam internam sententiam, non tamen per istum alium (lustrantem seu baptizantem) sunt, id quod esse dicuntur. Ad christianum baptismum cum judaico baptizandi ritu comparatum non tam iste alius (qui externam habet rationem ad ipsam rem, quatenus haec singula est per-

25) Schneck. l. c. p. 185.:

Beng.	Schneck.
b) „Der initiatonische Charakter und der Unterschied von gewöhnlichen Lustrationen spricht sich in der Form dieser Taufe besonders dadurch aus, dass der Proselyt sich nicht selbst lustrirte, sondern von einem Andern lustrirt wurde."	b) „Diese Lustration unterschied sich auch in der äussern Form nicht von den gewöhnlichen Lustrationen, sondern wurde, wie diese, bloss von den Proselyten an sich selbst verrichtet.

sona) quam ista alia (quae dei filii spiritu nituntur) pertinent. Sicuti vero lustratio nondum fit initiatio, si alius lustrandum lustrat, ita etiam lustratio nondum desinit esse initiatio, si lustrandus (seu initiandus) ipse se lustrat (seu initiat). An iste alius initiationis naturam (quae initium spectat) efficit?

Praeterea Bengelius in medium profert:

3. illum baptizandi ritum, quem Schneckenburgerus (quamvis hoc nihil referat) lustrationem vocat, post Hierosolymarum vastationem tanti momenti esse factum, ut non solum tamquam necessaria initiandi ceremonia cum circumcisione conjungeretur, sed etiam omnino in circumcisionis loco poneretur. Magnopere dissentit Schneckenburgerus, qui illam lustrationem non ante tertium saeculum in loco sacrificii esse positam putat, addens, hoc etiam tempore circumcisum proselytum vulgo ipsum se lustrasse, etsi jam prius sola haec lustratio, omissa circumcisione, in feminis, servis, et ut proprius initiandi ritus, primum in infantibus esset adhibita [26]). — Bengelii sententiae repugnamus, quoniam hic baptizandi ritus non post Hierosolymarum demum excidium necessaria et essentialis initiandi ceremonia est factus, sed haec tam diu jam erat, quam judaicam religionem amplexurus eo cum circumcisione et sacrificio conjuncto utebatur. Atqui si res aliqua etsi cum aliis rebus conjuncta (cum circumcisione et sacrificio) jam ne-

26) Schneck. l. c. p. 185.:

Beng.	Schneck.
c) „Diese Taufe gewann bald nach der Zerstörung des Tempels ein solches Ansehen, dass sie als nothwendige und wesentliche Initiations-Ceremonie	c) „Diese Lustration trat nach und nach, nicht erweislich vor dem Ende des dritten Jahrhunderts, an die Stelle des weggefallenen Opfers, und wurde

cessaria et essentialis est seu habetur, dici non licet, eam omissis illis rebus, essentialem fieri; imo potius, omissis illis aliis rebus, non tam qualitas quam quantitas illius „necessarii et essentialis" mutatur atque augetur. Quum vero hic baptizandi ritus jam ante Joannem, sicut circumcisio et sacrificium, haberetur necessarius, etiam tunc temporis jam ad essentialem initiandi ceremoniam pertinebat. Qua de causa etiam Schneckenburgero in eo, quod de certo seu proprio initiandi ritu (qui primum in infantibus sit adhibitus) memorat, non accedimus; nam hoc Schneckenburgeri proprium idem est, atque illud Bengelii essentiale; utrumque non tam veram internam qualitatem, quam externam quantitatem videtur nobis respicere. Praeterea vero non videmus, cur dictum sit „illam lustrationem in loco sacrificii esse positam"; quum enim lustratio eodem tempore jam esset, quo sacrificium: non minus etiam, atque illud, certum suum locum jam habebat. Rectius igitur, quod jam supra intendimus, dixeris: sacrificium esse omissum; nam si illud verum esset, facile lustratio, tamquam ante finem saeculi tertii parvi fuisset momenti, putari posset; lustratio autem ante ipsum illud tempus non tam quoddam levidense additamentum sacrificii erat, quam ipsâ lege praescripta ceremonia, quae sicut circumcisio et sacri-

mit der Beschneidung, ja gar an ihre Stelle gesetzt wurde." nun, in der Regel noch als Selbstlustration, mit der Beschneidung, auf sie folgend, verbunden, kam aber von ihr gesondert nur bei Frauen, und ihr auf unbestimmt lange vorausgehend nur bei Knechten und gefundenen Kindern, bei diesen letzteren aber überhaupt als eigentlicher Initiations-Ritus zuerst, in Anwendung."

ficium religione firmissime erat fundata. Sin minus; quomodo fieri poterat, ut omisso sacrificio lustratio sola servaretur? — Nos igitur, ut distinctis verbis sententiam nostram complectamur, ita sentimus: perdiu ante Joannem et Christum, judaica sacra amplexuro tria ad initiandum necessaria fuisse, circumcisionem, baptizandi (— seu purgandi, lustrandi, initiandi, quum hae voces, si ad proselytum respicis, eandem teneant sententiam —) ritum, sacrificium; tum templo destructo sacrificium esse missum, quo facto ipsam illam lustrationem seu istum longe usitatum baptismum in initiando solennitate auctum, nec non sensim nonnullis amplificatum esse additamentis [26].

---

26) Praemissa expositione hanc nostram sententiam satis probatam esse putamus, ut videatur superfluum, plura adjicere. Tria praecipue, ut jam monuimus, in judaico proselytorum baptismo sunt spectanda; et primum quidem, quod lustratio seu purgandi ritus locum judaici cultus obtineat quam maxime necessarium; deinde, quod eadem haec lustratio in transituro eo magis fuerit adhibenda, quo pollutior idem habebatur idololatriâ; postremo, quod ejusmodi purgandi ritus, in transituro proselyto nunquam non peragendus, et pertinuerit ad initiandum, et baptismum confecerit quendam. Quam quidem ad stabiliendam sententiam plura possis reperire; sed nos iis supersedeamus jam oportebit. Si quis vero ex fonte cupiat haurire, ipsosque omnes fere illos e rabbinis allatos inspicere locos, qui in tractando proselytorum baptismo inprimis sunt respiciendi, adeat Joan. Selden. lib. de synedriis l. I. cap. 3. p. 18—26., cui jam maxima debet Van Dale „histor. baptism." p. 341—347.; multa denique suo jure tractavit Ligtfoot „horae hebraicae" in Matt. cap. 3. v. 6. (tom. II. p. 265—270.), et in Joan. cap. 3. v. 3 (tom. II. p. 610.). Verumtamen supersunt Gemarae loci quidam graves, ab aliis, opinor, neglecti, quales sunt: Jebamoth f. 47. b., ubi sanato demum circumcisionis vulnere proselytus lustrationem seu baptismum subire dicitur (נִתְרַפֵּא מְטַבְּלִין אוֹתוֹ מִיַּד); deinde Tr. Kiddusch. jerusch. c. 4. (f. 26. b.), ubi, momento ac gravitate baptismi respecta, de eo agitur,

Nunc autem quaeritur, quanti momenti sit hic ritus, si christiani baptismi rationem habemus. Bengelius existimat

5. **Joannis et Christi baptismum, quod attineat ad formam, ab illo judaico ritu originem trahere.** Cui resistens Schneckenburgerus censet, **non tam hanc lustrationem, quam pervulgatas Judaeorum lustrationes, si symbolicam earum significationem spectes, ad ex-**

---

utrum proselyta, si, triennio nondum completo ideoque intelligentia adhuc carens, initiandi ritum acceperit, denuo sit post baptizanda „in susceptae sanctitatis judaicae mente (מִכֵּיוָן שֶׁהִיא חוֹזֶרֶת וְטוֹבֶלֶת לְשֵׁם קְדוּשַׁת יִשְׂרָאֵל)“; tum Tosefta Pes. c. 9. et Pesach. jerusch. c. 8. f. 31. a., ubi narratur, quum, florente adhuc templo, ambigeretur, utrum scilicet proselyti quidam nondum baptizati possent edere carnem paschalem nec ne, causam hanc esse transactam, schola Schammai judice, quae, ut supra ostendimus (p. 12. n. 4.), circumcisum, qui simul esset baptizatus, statuit agnum paschalem posse edere; similiter Jebamoth. f. 71. a. R. Akiba negat, proselytum, circumcisum quidem nec tamen baptizatum, posse frui agno paschali isto; denique Tr. Gerim c. 2. §. 5. refert, non sacrificium, sed circumcisionem et lustrationem rei esse caput, id quod necessario ad tempus pertinet illud, quo sacrificia adhuc offerebantur, ita ut baptizandi ritum proselyticum nunquam additamenti loco, ut Schneck. videtur putare, esse adhibitum appareat. Tractatus hic „Gerim“ in numerum minorum, quos dicunt, tractatuum talm. (v. c. Soferim, Simchoth all.) refertur, et typis expressus est seorsum saeculi praeteriti fine (primum Liburni port. circ. 1780, et deinde Furth. 1793.). Ceterum omnes illi de proselytorum baptismo loci, quos modo allegavimus, deducuntur ex rabbinis, vel ad saeculi primi finem vel saeculo secundo viventibus; unde quidem potest minime colligi, Judaeos jam ante Christum habuisse christianum baptisma, at ex omnibus id certe dilucide patet, neque ullum posse indicari tempus, quo Judaei in proselyti transitu solennem lustrandi s. baptizandi ritum non adhibuerint. Accedit etiam, ut eo majoris ad initiandum momenti hunc ritum fuisse oporteat apud ethnicos, qui judaica sacra secuturi verisimiliter non circumcidebantur, quum jam essent circumcisi, sicut Aegyptii, Arabes multi, Gibeonitae, ac vel ipsa Samaritanorum secta. Sed jam satis multa de hac re.

plicandum **Joannis** et **Christi** quadrare baptismum, qui quidem optime cum exspectando Messiaé baptismo conjungatur [27]). Quae Schneckenburgeri sententia improbabilis nobis videtur, quia judaici lustrandi ritus, judaicus baptizandi ritus, judaica baptizaturi Messiae exspectatio divelluntur. Nonne harum trium est rerum unus idemque fons judaicus? quaecunque autem judaica sunt, arcte inter se cohaerent. Ille proselytorum baptismus, ut demonstrasse nobis videmur, fundatus est reliquis judaicis purgandi ritibus; symbolica et illius et horum significatio non alia est, nisi quod homo coram deo purus esse debeat, atque eo magis is, qui ad judaica sacra sese convertat, quia idololatriae sordibus adhuc inquinatus sit. Remedium autem, quo sese a sordibus purgent, Judaeis ipsa lustratio videtur esse. Si vero animo tenemus, quod prae omnibus proselytus a vetere illuvie purgatus, ideoque ad populum deo acceptum et ad unice veram religionem adductus putabatur, facile apparebit, hunc proselyticum baptismum magis etiam reliquis ritibus, quamvis ambo eandem purgationis significationem amplectantur, Christi tamen baptismum attingere. Nam et hic christianus baptismus, etsi longe alio sensu atque illic, hominem a natura, mundo et vetere peccatoria vita liberandum, atque ad novam spiritualem et ve-

27) Schneck. l. c. p. 185. §. 86.:

Beng.	Schneck.
d) „Der johanneische und christliche Ritus sind ihrer Form nach von dieser Proselyten-Taufe abzuleiten."	d) „Diese Lustration taugt weniger, als die Lustration überhaupt in ihrer symbolischen Bedeutung zur Erklärung des johanneischen und christlichen Ritus, welcher aber am natürlichsten mit der Erwartung einer Messias-Taufe in Verbindung gebracht wird."

ram vitam destinatum esse indicat. Quae nunc illius exspectationis est ratio? Judaei, ut jam supra significavimus, lustrationes habebant prorsus necessarias, ita ut non solum ad proselytum, sed etiam ad venturum Messiam ejusmodi res transferrent, sperantes scilicet, fore, ut ille una immensa lustratione omnes populi amati maculas aboleret, eoque ceteras cunctas everteret lustrationes. Exspectatio igitur non ficta quaedam et commentitia opinio erat, sed ipsis lustrandi ritibus continebatur; ex ista autem inani et a reliquis ritibus avulsa exspectatione sane id explicari non potest, quod ipsum illos ritus plus minusve attingit. Num forte christianus baptismus exortus est, quia illa exspectatio apud Judaeos obtinebat? Quod si acciderit, quis est, qui ignoret, christiani baptismi originem vano somnio teneri? Ex somnio autem seu ex opinione a rebus (lustrationibus), quae vere sunt, distracta, minime baptismus, qui revera est, exoritur, sed somnia ac vanae opiniones. Itaque exspectatio baptismi Messiae, si eam non merum figmentum esse putas, necessario spectat jam usitatas lustrationes seu baptismos, a quibus originem habet, et si Joannis et Christi baptismus cum ista exspectatione conjungitur, necessario etiam cum lustrationibus conjungi debet. Nam baptismus proselyticus, judaicae lustrationes, exspectatio cujusdam baptismi Messiae ex una eademque causa sunt derivanda. Ex quibus omnibus facile dijudicari potest, num Bengelio prorsus suffragemur. Ex minus recta seu incerta voce „forma“ difficile cognoscitur, quid b. Bengelius vere putaverit. An vero ullius rei forma, a sententia prorsus avulsa, comprehendi potest? Ista Schneckenburgeri „exspectatio“ quae quandam abstractam internam rem respicit, et haec Bengelii „forma“ quae quandam abstractam externam rem

spectat, unum idemque nobis videtur esse; nam forma, a sententiâ avulsa, idem est ac sententia, a formâ distracta. Sin vero christiani baptismi forma prorsus non differret a judaica baptizandi ritus forma, utriusque ritus sententiae etiam sibi pares essent, quum eadem certa forma necessario eandem certam sententiam complectatur; sicut cujusvis rei certa sententia, certam quoque formam habeat necesse est, qua, quae sit haec certa sententia, cognoscatur. An solus aquae usus formam efficere putatur? quod si verum esset, tum non solum forma, sed etiam sententia niteretur a q u â. Ad christiani baptismi formam etiam formula baptismalis pertinet; quapropter haec forma a judaica disjuncta est.

§. 8.

Quaeritur nunc — ut tandem aliquando id transigamus —, quam rationem christianus baptismus ad illum judaicum baptizandi ritum revera habeat? Christus recepit illum ritum, qualis fuit, una cum reliquis purgandi ritibus, sed falsum ab iis removit et verum ad altiorem, imo altissimum gradum sustulit. Sic, quamquam religio mosaica in christiana est servata, nihilominus una ab altera valde distinguenda est. Utraque religio deum nihil alium nisi essentiam cogitantem esse docet; cujusmodi conscientia dei summum religionis est culmen; attamen religio judaica hanc summam veritatem nondum intellectu comprehendere valet, quia nondum cognitum atque perspectum habet, ipsum illum spiritum non nisi in mundo vel in homine vere esse. Quod quum religio christiana perspexerit: Judaicus Jehova prorsus verus per christianum demum fit deum. An negas? cur igitur deus factus est homo? Quod si animo tenes, nonne insane ineptiunt homines isti, qui, quaecunque apud Judaeos inveniuntur, avidissime comprehendant,

eademque, christiano spiritu neglecto, tamquam prorsus sint vera, christianae religioni allinere audeant. — Ex Judaeorum judicio, quod modo attigimus, spiritus trans mundum et ab homine longe alienus esse dicitur, quoniam ipse sit summus creator et judex, mundus autem et homo caduca ejus creatura; ex qua immensa longinquitate Jehova propius quidem ad hominem accedit, quum in templo revera habitare putetur; verumtamen ne sic quidem ullam nisi externam rationem habet ad hominem, quia hic non nisi holocaustis, sacrificiis aliisque rebus externis ad eum pervenire potest. Sed uberius hunc locum parte tertia illustrabimus; hic nihil habemus, quod addamus, nisi quod religio christiana cunctis istis rebus superior est, quia hominem solum per divinum spiritum, qui in mundo revera est, ad deum tam pervenire, quam in eo vere inesse docet. Quo autem modo in ipsa religione mosaica multa insunt, vel a vero aliena vel falsa et obscura, quae summa dei manifestatione in Jesu Ch. palam facta sunt, ita illius etiam religionis ritus, latenter quidem ad verum alludentes, Christianorum demum sacramentis ad veritatem prorsus ducuntur. Judaeus, quum veritatis, quae in ritibus illis lateat, nondum sibi sit conscius, verum ad falsum convertit, persuasum sibi habens, sola ista exteriora deo grata esse, eaque hominem a peccati sordibus purgare posse. Quae autem vera in istis lustrationibus insunt, ea solum a christiano spiritu cognoscuntur, qua de causa etiam ad christiana sacramenta vere pertinent. Non sane ea de causa Christus illum purgandi seu baptizandi ritum recepit ac suo baptismo conservavit, quia jam communi usu receptus atque Judaeis acceptus erat; nam si res ita se haberet, difficile intelligi posset, cur Christus non omnia ista falsa, quae Judaeis erant grata, reciperet ac

servaret, cur non istam totam foederis arcam ad religionem christianam transferret. Christus, arca reclusa, veram foederis sententiam mundo manifestavit; quapropter Christiani verum atque impletum foedus amplectuntur, Judaei autem diligenter istam obsoletam, exinanitam ac cavam adhuc tuentur arcam; qua quidem in re Judaeis adjumento sunt multi etiam Christiani, qui, in vetere foedere oberrantes, non tam verum foedus, quod jam ibi innuitur, quam foedam et usu detritam arcam semper in promtu habent, itaque tenuem mercaturam, quae fortasse in illa sit relicta, perinde ac si ad Christi λογον pertineat, venalem proponunt. Verumenimvero minime innexum veteri foederi falsum atque erratum, quod humanis nititur opinionibus, ad christianam pertinet religionem, sed haec non nisi verum, quod illi inest foederi, et divino nititur spiritu, sibi servavit. Qua de causa gravissima Christus etiam illum baptizandi ritum suo baptismo tamquam approbavit, quia veri quid isti inest. Sic in religione judaica illa vera quidem cogitatio, quemvis hominem impurum esse, plerisque ceteris ritibus ipsoque baptismo exprimitur, sed cujusvis generis falsis opinionibus impletam sese ostendit; contra in religione christiana ista cogitatio, a corporeis opinionibus remota, servata est. Summatim, quia in religione judaica deus extra mundum spiritus esse putatur, ea de causa et cultus, quia non extra mundum, sed in mundo exercetur, in plerisque extra spiritum est; in religione christiana sanctus dei spiritus non nisi in mundo vere esse cogitatur, quapropter etiam cultus spiritu firmiter nititur.

Sunt, qui putent, istum apud Judaeos usitatum baptismum non tam ad ritum, ipsa religione postulatum, quam ad actum potius forensem esse referendum. Attamen, quum secundum religionem judaicam

ipse deus tam summus judex, quam rex Israelitarum sit, etiam haec judaica civitas pro imagine immensae dei civitatis habetur; quapropter civitas Judaeorum politica arctissimum tenet cum religione connexum; nam hujus religionis forma i. e. religio, sicut vere exercetur, civitati proxime accedit, atque essentia hujus civitatis est religio; quae in civitate sunt fundata, eadem religione nituntur; quae ex illa prodeunt instituta, eadem huic sunt prorsus consentanea; nec minus falsum, quo baptizandi ritus est imbutus, a civitate, quam a religione proficiscitur. Quum enim Israelitae deum suum cunctis ethnicis diis longe superiorem habeant, se etiam, qui hunc supremum deum colant, prae omnibus dilectos et justos, ceteras autem omnes gentes a deo neglectas ac despectas esse opinantur. Nonne hanc opinionem cum circumcisio tum proselytorum baptismus spectat? Hinc causam habemus, cur ille baptizandi ritus eo sensu, quo in proselyto praecipue adhibeatur, non unicuique sit necessarius; nam quivis judaeus jam ea de causa se multo puriorem esse ceteris omnibus populis opinatur, quod Israelita natus sit; nihilominus purgandi ritum maximi aestimat, quoniam coram isto summo judice impurum se putat. Quodsi hanc rationem, quam deum ad israeliticam nationem et ethnicas gentes habere Judaeus putat, bene animo tenemus: num mirum esse potest, quod proselytus, circumcisione et baptismo initiatus, consanguinitate pristina prorsus exutus habitus sit? quin etiam quod ei inde a transitus tempore relinquendi et contemnendi fuerint gentiles parentes, fratres, sorores, patria aliaque multa? Nonne haec omnia Israelitae repudiabant, quoniam ipse deus ea, quae non ad nationem judaicam pertinerent, despicere dicebatur? Itaque nihil interest, utrum illa renovatae vitae opinio posteriori demum tempore, an prius sit

pronuntiata; in religione jam perdiu latebat. Quo autem tendit haec renovatio? Proselytus non tam ad libertatem, quam quodammodo in servitutem ducitur; id quod religioni plane est conseptaneum, quum ipse Judaeus se dei servum habeat; nam, dei spiritu absente, nondum libertatis sibi conscius esse potest. Itaque apostolus dicit (1 Cor. X, 2 sqq.; Rom. VII, 5.), Judaeos immersione Mosi et legi obligatos, servos potius, quam filios esse factos, ita ut, si ab imperio legis per Christi mortem non liberarentur, sensus pravi vim suam in membris exsererent [28]). Sicut lex partim quidem hominem externa ratione cum deo conjunctum, partim autem a deo alienum tenet [29]), sic et judaici ritus, quamvis obscure verum innuant, hominem tamen non liberum, sed subjectum tenent; solus sanctus spiritus cujusvis servitutis jugum ab homine repellit. Cui spiritui jam propius accessere prophetae, qui veram legis sententiam significant, nam dei amorem ad omnes omnino homines referunt, et hominem non externis remediis, sive sunt purgandi ritus, sive sacrificia, sed pio proboque animo deo ac-

---

28) Eodem sensu patres eccll. Mosis legem spectantes, vocabulo „baptismi“ saepe utuntur. Sic Gregorius Nazianz. (orat. 39.): „ἐβαπτιζε Μωσης, ἀλλ᾽ ἐν ὑδατι και προ τουτου ἐν νεφελῃ και ἐν τῃ θαλασσῃ· τυπικως δε τοῦτο ἦν, ὡς και Παυλῳ δοκει κ. τ. λ. (1 Cor. X, 12.: „patres nostri omnes in Mosen nube marique baptizati sunt“). Cujus loci prima verba („ἐβαπτ. ἐν ὑδατι“) aperte illum baptismum, qui, ut supra ostendimus, adhuc abluendi seu purgandi ritibus continetur, innuere — quis negat? Similiter Cyprianus (epist. 73. ad Jubaian.) illius Pauli loci mentionem facit, dicens: „Alia enim fuit Judaeorum sub Apostolis ratio, alia est gentilium conditio. Illi, quia jam legis et Mosis antiquissimum baptismum fuerant adepti, in nomine quoque Jesu Christi erant baptizandi.“

29) Vid. Gal. III, 20.: „Ὁ (οὗτος) δε μεσιτης (qui legem dedit) ἑνος οὐκ ἐστιν.“: hic mediator non unius i. e. uniti (dei) est (mediator) — nam lex non ad unitatem spectat; deus autem est unus i. e. unitus (cum homine) — per Christum ejusque spiritum.

ceptum fieri docent. In hisce deus tamquam in eo est, ut perfectissime reveletur; hi ignorant istum sejunctum ab homine deum, atque ipso divino spiritu excitati, quin inflammati expletum praesagiunt tempus et cum ad totam spectant christianae religionis essentiam, tum ad veram interiorem et rituum et baptismi vim innuunt. Sic apud Ezech. c. XXXVI, v. 25 sqq. legimus, deum super homines esse effusurum aquam mundam, ut mundet ab omnibus inquinamentis et ab universis idolis, eumque iis daturum cor novum, atque in medio spiritum novum esse positurum. Propheta necessitatem perspicit, ut homo et ab omni naturae mundive macula liberari et divinum spiritum coelitus accipere debeat, qua intellecta necessitate, propheta e religione mosaica jam egressus, tendit ad eum, qui humanam cum divina conjunctam habet naturam. Cui θεανθρώπῳ inter omnes prophetas proximus, tum si tempus, tum si spiritum spectas, Joannes est baptista (Matt. XI, 11.; Luc. VII, 28.); ad cujus progressuri sumus explicandum baptismum.

II. JOANNIS BAPTISMI EXPLICATIO.

§. 9.

E communi Judaeorum opinione, Joannis tempore, Elias, qui Messiam esset antecessurus, exspectabatur. Attamen tantum abest, ut plerique Judaei hac exspectatione veram spiritualem sententiam comprehenderint, ut carnalia vulgo meditati non nisi carnem, ut ita dicam, exspectarint. Nam quum opinarentur quodammodo, animas ab aliis post mortem transire ad alios, dulcissima quoque spes eos tenebat, fore ut Elias, qui jam dudum extremum diem

morte confecisset, revivisceret atque Judaeos beato sensu regni Messiae, postea venturi, imbueret. Unde tandem haec exspectatio orta est? Non falsa quidem, sed vera haecce exspectatio a prophetarum profecta est doctrina — Mal. IV, 5. 6. — Hi enim, opera in educando populi animo pio collocata, bene perspiciebant, Judaeos, valde corruptos, non statim pervenire posse ad regnum Messiae, honestâ vitâ fundatum; cognitum habebant, multum sane interesse inter servitudinem ac libertatem, inter legem atque amorem. Quamobrem pronuntiabant, id aliter evenire non posse, nisi si intercessor quidam inter vetus procederet foedus ac novum, qui magnum istum Messiae diem significaturus ac populum propius adducturus esset ad verum. Atque hic intercessor ad praestitutum illum magnum diem, quo tamquam novi mundi fundamenta firmissima sunt jacta, revera venit. Quid quaeris? Joannem dicimus. Quae vero propria sunt intercessoris? Id maxime ejus est, tum quod vetustum significet ut falsum, tum innuat verum, quod sit proximum. Sic Joannes animo comprehensum tenebat, tam ipsi judaicae religionis notioni, quam ejus cultui multa adhaerere falsa. Enimvero quasvis externas Pharisaeorum res, quia omni careant fundamento et levissimae sint factae, rejicit, ac in medium profert, verum deum etiam revera mundo esse proximum. Omnibus vaticinationibus, quae vere significant Messiam, jam id continetur seu potius innuitur maximum, quod deus non solum veritate (pro mundo), sed etiam existentia (in mundo) gaudeat; attamen simul indicant, non tam jam esse hanc veram existentiam atque existentem veritatem, quam esse futuram. Nam prophetae docent, cum Messia (vere existente) regnum divinum (verum

deum) in mundo esse adventurum; Messiae autem regnum divinum in mundo, idem est, ac mundus in regno divino (in deo). Quapropter, quum prophetae deum non sicut Judaei velo obtendant, ideoque verum doceant, nos quoque prophetas seu eorum veram doctrinam non, sicut adversarii Messiae vaticinationum, velo tegere possumus. Id ipsum, quod modo significavimus, in causa est, cur Joannes omnium prophetarum vocetur longe maximus; nam quid aliud testatur, nisi quod deus sit λογος (in quo omnia nituntur, atque in quo solo vita est) et hic λογος (qui illum prophetarum respicit Messiam) sit deus? Non temere sane Joannes apostolus, postquam universe λογον esse deum ac deum esse λογον revera theologice (θεολογικως — deum logice considerans) explicavit, ac rationem exposuit, quam deus ad mundum et hic ad deum habet, Joannis baptistae testimonii mentionem facit, priusquam ad την του λογου ἐνσαρκησιν transeat. Nam hoc testimonium non externa ratione pertinet ad λογου incarnationem; imo potius, illo eorum quoque sanctum continetur testimonium, in quibus jam ante Jesum Christum lux verissima lucebat; quemadmodum autem hoc divinum testimonium spectat dei filii incarnationem, sic haec incarnatio ponit illud testimonium, sine quo ipse λογος, qui homo factus est, nequit agnosci. Quod quidem testimonium quum revera esset, tunc temporis „ὁ λογος σαρξ ἐγενετο". Joannes apostolus paullo ante (vers. 5.) dixit, lucem in tenebris lucere, eam tamen a tenebris non comprehendi, id quod cum omnes fere Judaeos tum ethnicas gentes respicit. Ad Joannem vero baptistam non pertinet; nam hic de luce testabatur, quapropter ille etiam non ad istos Judaeos pertinet, qui in opacis tenebris jacen-

tes, forsitan ne sciebant quidem, num revera lux (spiritus) esset. Jam vero ejusmodi intelligentia seu testimonium, *λογον* i. e. illud omnipotens verbum, quo mundi substantia fundatur, vere esse in deo, atque hunc deum, qui solus est verus, revera esse illum *λογον*, sicut etiam hunc *λογον* esse vitam, atque hanc vitam esse hominum lucem — ejusmodi igitur testimonium profecto non ab homine quodam, sed ab ipso deo (qui ipse se carnem esse factum testatur) est profectum. Etenim, si non ab ipso deo, unde tandem Joannem illud testimonium accipere potuisse opineris? Num forte a synagoga, a Pharisaeis, a Sadducaeis? Hi cuncti summo amore suum verbum amplectebantur (Luc. VII, 30.); quapropter rectius dixeris, non Christi tempore Joannem, sed nostra aetate multos ab illis in explicando divino *λογῳ* testimonium petere. Joannes enim, quamvis Judaeus, jam erat homo christianus, testans de luce; hodie multi, etsi homines christiani, sunt Judaei: negantes, contra lucem seu *λογον*, eum revera hominem esse factum. Illa lux autem, quae in Joanne lucebat, eum impellebat ad testimonium perhibendum pro *λογῳ*; atque ubi abest haec interna lux, ibi *λογος* nunquam sic fiet caro, ut revera agnosci possit. Quapropter illud testimonium, quod ab interna luce proficiscitur, revera transitus est ad intelligendum *λογον, ὅς σαρξ ἐγενετο*. Ex quibus omnibus sat apparere nobis videtur, cur Joannes ab ipso deo vocetur missus (Jo. I, 6.; Luc. III, 2.; Matt. XI, 12.). Si vero Joannis testimonium divino nititur *λογῳ*, necessario etiam ejus baptisma divinâ sententia carere non potest; baptismus Joannis ortus est e conscientia *λογου*, quapropter origo internae hujus baptismi rei est divina appellanda.

§. 10.

Intellecta divina Joannis baptismi origine, jam quaeritur, quae sit hujus baptismi natura? Secundum sacram scripturam significatio illius ritus respicit resipiscentiam, quapropter *βαπτισμα μετανοιας* vocatur (Marc. I, 4.; Luc. III, 3.; Matt. III, 1.). Res igitur postulat, ut primum exponamus, quae sit *μετανοιας* ratio. Joannes apostolus docet, illam lucem, de qua Joannes bapt. testatus sit, quemvis collustrare hominem (Jo. I, 9 sqq.); atque haec sane illustratio, a deo sese manifestante profecta, fundamentum est omnis religionis. Enimvero deus, summo ductus amore, sese manifestat, ut homo e tenebris ad lucem adducatur; lux in mundo lucet, ut homo sibi ejus conscius sit, atque ab ea magis magisque illuminari studeat. Quam ob rem in hominis intima situm est natura, ut deo sese revelanti obviam veniat, ejus lucem revera cognoscat, atque animum a mundi tenebris liberet. Quo tandem modo haec revera fieri cognoscitur? Homo ea, quae deus praebet, coepit excipere, si ad conscientiam imperfectae suae conditionis ac peccatorum pervenit, si persuasum sibi habet, se non per humanas suas vires, sed per deum ejusque vim omnipotentem emendari. Cujus conscientiae expers, sejunctusque a deo homo tam diu est, quam peccatis vitam inquinat; simulatque autem peccatis se contaminatum intelligit, ac desiderio divinae gratiae ducitur, arctissime iterum cum deo conjunctus, non jam resistit divino amori. Conscientia peccati efficit poenitentiam, qua mutantur cogitationes ac consilia, et sic homo redit ad meliorem frugem; quae quidem omnia perficiuntur non tam per ipsum hominem, quam per deum. Nam si homo impiae sibi vitae conscius est, nec deo resistit: non tam ipse homo, quam deus est, qui eum

pellit, ut poenitentiam agat, et falsa atque improba rejiciat. Sed haec hactenus; videndum jam est, quam rationem baptismi Joannis finis ad ea, quae modo exposuimus, habeat. Joannes acriter animum intendit ad illam lucem, quae in ipso quidem lucet, non autem in plerisque omnibus Judaeis, quamvis et in hisce lateat. Cur autem Judaei non aeque ac Joannes ab illa luce collustrati sunt? Non alia de causa, nisi quod divinae luci resistentes vitam turpi cupiditati addicebant, et sic in crassis jacebant tenebris. Quapropter Joannes prae omnibus eos impellit, ne amplius internae dei conscientiae obsistant, sed attentos se praebeant ad sentienda ipsorum peccata et rerum divinarum desiderio afficiantur. Quo facto poenitentia cernitur et homo ad meliorem mentem redire studet, quo iterum arcte cum deo conjungatur, et propius accedat regno divino. Sine hac resipiscentia et mentis mutatione, quae, ut lux illa revera in hominis animo luceat, efficit, nunquam homo ad regnum dei seu Messiae, quod in mundo est perficiendum, pervenire potest. Nam, dum cupiditatibus et peccatis homo obstrictus est, non lux sed tenebrae totum animum occupant; conscientia autem peccatorum, poenitentia, desiderium divinae lucis, mutatio cogitationum et consiliorum — haec omnia praeparationi sunt necessaria cordis ad impetrandum regnum coeleste. Atque eo tendit Joannis baptismi significatio, ut Judaeorum animus ad illas res advertatur, ipsique intelligant, quemadmodum corpus aquâ purgetur a squalore, ita etiam animum interiorem poenitentiâ a sordibus esse purgandum, ac desiderio divinarum rerum praeparandum ad spirituale illud Messiae regnum. Quanto gravior hic Joannis baptismus istis Judaeorum lotionibus sit,

apparet. Sicut lex Judaeos semper valde alienos a deo tenebat, sic et isti baptismi non nisi externam habebant ad hominis animum rationem. Lex non tam internam hominis poenitentiam, quam externam poenam respicit; spiritus demum, quo nititur interna legis sententia, et necessitatem et veritatem legis cognovit. Judaeus autem neque veritate neque necessitate legis, quoniam spiritu nondum impletur, intellecta, legem pro onere quodam, sibi a summo judice imposito, habet, nec per spiritum, sed per litteram illius legis se salvum praestari posse opinatur. Qua de causa (quia spiritus legis nondum in eo inest) etiam ad externas confugit res, quibus se summo judici ejusque legi satisfacere arbitratur. Attamen, quo minus legis spiritum cognovit, eo minus veram purgandi rituum sententiam intelligit; nam sicut lex a spiritu, ita ritus a vera sententia sunt avulsi, ita ut et hic et illic rei summa negligatur. At vero Joannes, cum veritatem legis jam intellexit, tum sententiam, quae in illis ritibus inesse debet; nam lux in eo lucebat. Veritas autem legis est evangelium; vera rituum sententia ad hominis mentem refertur; quemadmodum enim lex, externa ratione percepta, veram tegit rituum significationem, sic evangelium, quo lex fit spiritus, spiritualia rituum revelat; quum lex ad veritatem tollitur, etiam ritus ad veram sententiam tolluntur. Quid est, quo Joannes tendat? Quum ad regnum nitatur Messiae, necessario etiam ad sacramenta contendit. Atque revera tam ethnicam religionem quam judaicam tollere (ad verum) studet, praedicans: „ἤγγικε γαρ ἡ βασιλεια των οὐρανων“; ritus autem utriusque religionis a falso removet, dicens: „μετανοειτε“. Illud divinum effatum „adpropinquavit enim

regnum coeleste" neque ad ethnicos deos pertinet, neque ad judaicum Jehovam; nam illi naturae viribus ita inclusi sunt, ut tamquam in firmis sint compedibus, eorumque regnum non differat a natura sensibus subjectâ; hic Jehova ita exclusus est a natura et mundo, ut regnum suum teneat in arce exstructa in aethere. Judaeí putant quidem, illum spiritalem Jehovam altam suam sedem esse derelicturum aliquando, et in mundo regnum suum conditurum; attamen revera jam conditum regnum non agnoscunt, atque e contrario multi Christiani, non contenti regno dei, quod vere est, Judaeorum opiniones vice versa mutuantes, et sperant et docent, aliquando iterum esse futurum vacuum dei regnum. At vero Joannes neque ethnicas neque judaicas de dei regno opiniones transfert ad regnum Messiae, sed veluti naturam cum coelo conjungens, verum dei regnum ad illum refert, qui humanam cum divina conjunctam habet naturam. Quod regnum deus in aeternum tenet, quum sanctus spiritus, qualis est, revera in mundo cernatur. Quemadmodum autem Joannes, Messiae regnum jam proximum praedicans, externam dei ad hominem rationem tollit, sic et ejus baptismus, ad μετανοιαν spectans, omnem externam rituum significationem abrogat. Nam illam μετανοιαν externi ritus sane non efficiunt, sed conscientia peccatorum, dolor intimus, ac pium desiderium; quorum omnium baptisma esse testimonium Joannes profert. Qui igitur hunc baptismum subit, is non solum ethnicae, sed etiam judaicae religionis cultum facit irritum; nam sicut judaica religio deum extra hominem esse putat, sic et judaicus cultus extra hominis animum exercetur, nec ullum fere mentis mutationis respectum habet; non autem extrinsecus sed intrin-

secus tam poenitentia, quam omnis pietas et probitas efficiuntur.

§. 11.

Ab animo acerbâ poenitentiâ afflicto proficiscitur vita emendatior et conscientia bona, qua fit, ut homo, quum ipse *ἀνϑρωπος πνευματικος* fieri incipiat, sancti spiritus gratiae sibi sit conscius. Non alia autem inter Joannem et Christum, inter illius et hujus baptismum est cohaerentia, atque inter poenitentiam et novam, quae spiritu nititur, vitam. Quemadmodum enim quodam tempore, si historiam spectas, Joannes antecessit Christum, sic in aeternum, si vitam sese explicantem respicis, poenitentia antecedit novam spiritu fundatam vitam. Joannes venturi tantum Messiae causa adest; poenitentia inanis nec ullius fructus est, nisi nova vita sequitur, quapropter illa in hac nititur. Joannis baptismus, qui hominem a peccatis necessario esse purgandum significat: *ἐν ὑδατι* est; sacra Christi immersio, quae hominem, divinis rebus incensum, atque adeo humanam vitam cum divina conjunctam vult esse: *ἐν πνευματι ἁγιῳ και πυρι* est [30]); — poenitentia, Joannis baptismo respondens, liberationem impiae ac scelestae vitae ponit; vera autem et sancta vita, Christi baptismo prorsus conveniens, revera innititur dei spiritu, qui solus est verus et sanctus. Joannes docet quidem, peccata esse abluenda, Christus autem, agnus dei, totius mundi peccata aufert; — poenitentiâ homo studet renuntiare peccata, sed in aeter-

30) Vocabulum „ignis" ad id spectat (sicut jam Actt. I, 5. monstratur), quod spiritus, totum purificans hominem, naturam humanam clarificat, illustrat, sanctificat, beatam reddit.

num dei spiritus, summo ductus amore, in hominis peccantis naturam se recipit, peccata perfert, ea extinguit et hominem ad veritatem et sanctitatem adducit. Joannes antecedit Christum, Christus cum ante Joannem jam vixit tum post eum vivet; — poenitentia antecedit quidem vitam, spiritu nitentem, attamen ipse dei spiritus, quemadmodum post poenitentiam firmat veram vitam, sic ante poenitentiam efficiebat et liberationem vitae improbae, et ipsam poenitentiam ejusque dolorem intimum, et desiderium rerum divinarum. — Quibus omnibus sat ostendisse nobis videmur, quam rationem Joannes ejusque baptismus ad Christum ejusque sacramenta habeat. Nihilominus restat, ut quaeramus: quo tandem pertineat illa ἄφεσις ἁμαρτιῶν, quam Joannis baptismus jam respicit? (Marc. I, 4.; Luc. III, 3.) Saepissime haec remissio peccatorum sine ulla conditione solum ad dei filium refertur, id quod verum quidem est; attamen vulgo etiam solum ad certum, quo Christus ut individua persona vivere inceperit, tempus seu (id quod obscure significatur) ad externum Christi baptizandi ritum refertur, perinde ac si ante hunc Christum deus nullum peccatum revera remiserit; id quod falsum nobis videtur esse. Nam ex altera parte, qui talia asserunt, non tam christianam, quam judaicam sequuntur religionem, quae, internâ rituum sententiâ neglectâ, exteriora maximi habet; ex altera parte quaerendum est: sitne Christus (quatenus verus est dei filius eandem cum spiritu amplectens substantiam) aeternus, atque in aeternum revera vitae fuerit lux? Respondent, Christum, aeternum dei filium quidem esse, attamen eum non nisi certo quodam tempore hominem fuisse et quaecunque ad hominum salutem sint necessaria, prorsus

perfecisse. Quibus verbis quamvis multum veri contineatur, nihilominus vera aeternitas, ut a deo avulsa terrestria firmissime teneantur, in obscurum illud Jehovae regnum transfertur. Verumtamen secundum christianam religionem verus Christus revera dei filius est; cujus aeterna vita in certum quoddam tempus concludi non potest, quoniam ab aeterno jam effecit, ut pii probique homines propius ad verum adducti sint; quapropter quovis tempore fieri potuit, ut peccata remitterentur. Quomodo tandem res nunc se habet? cur remissio peccatorum solum ad dei filium pertinet? Non tam, si solum certum tempus et singulum baptizantem hominem, quam si in universum, cujusvis temporis ratione habita, spiritum ac vitam sese explicantem spectas, remissio peccatorum solum ad dei filium referri potest. Nam ex altera parte omnes homines, id quod Christus mundo revelavit, ante singula peccata actualia aeternâ ratione cum deo per dei filium jam reconciliati sunt (*κατα δυναμιν* i. e. si aeternum dei decretum spectas); seu per deum, qui in homine inest, fieri potest, ut peccata remittantur (quo igitur remissio peccatorum praedestinata est); ex altera parte quaevis actualium peccatorum remissio post poenitentiam demum fieri potest. Enimvero remissio peccatorum sicut nova spiritualis vita, jam ponit tam poenam, quam poenitentiam peccati commissi. In poenitentia discordia, quae inter hominem et deum obtinebat, sublata est (id quod negativa pars est); in nova spirituali vita, quae remissionem peccatorum sequitur, homo arctissime cum deo conjunctus est (id quod ad positivam pertinet partem). Haec vero summâ dei gratiâ fundata vita, firmissime in Christo stat. Nam sicut Christus, quum sit dei filius, aeterna et abso-

luta ratione cum deo unitus, ideoque in eo quaevis peccatis serviens vita omnino nulla est; sic et vita ista spiritualis in Christo versatur, seu ut apertius sententiam proferamus: illa spiritualis vita cum divina unita est. Nulla est poenitentia, nullum rerum divinarum desiderium, nulla ad bonam frugem reditio, quin plus minusve ad istam unitatem adspiret, quaevis animi mutatio ab illa absoluta unitate proficiscitur (lux lucet in mundo), quaevis beatitudo nititur eâ (Joa. XVII, 22.: „Quare eandem, quam mihi dedisti, gloriam iis dedi, ut unum sint, quemadmodum nos unum sumus" et vers. 21.: „oro, ut illi etiam per nos unum sint"). Ex quibus omnibus, fusius forsitan, quamvis res postulet, explicatis, ecquid est, quod consequatur? Quum deus seu ejus spiritus in historia et tempore pedetentim sese explicet, necessario homo quoque (in quo deus cernitur) sensim ad altiorem veram et sanctam vitam pervenit; itaque poenitentia, quum (ut ostendimus) remissionem peccatorum antecedat, ad Joannis baptismum (ideoque et ad Joannis tempus, quo mundus ad hunc spiritus sese explicantis gradum pervenerat) pertinet, remissio autem peccatorum et hanc sequens nova vita (regeneratio), quum illam poenitentiam subsequatur et solo Christi spiritu nitatur, ad Christi baptismum pertinet. Verumenimvero sicut ipsa ista poenitentia, ut fieri possit, aeternum dei seu Christi spiritum, sic haec spiritualis vita, ut revera esse possit, illam poenitentiam jam ponit; itaque Joannes (de luce testans) Christi spiritu innititur, ut poenitentia efficiatur, Christus autem Joannis poenitentiam postulat, ut spiritus vera et sancta vita perficiatur. Itaque non solum certo tempore, sed in omne tempus per spiritum revera viventem, poenitentia,

et per poenitentiam, vera spiritus vita efficitur; qua de causa sicut post Christum semper adhuc poenitentia necessaria est, sic et ante Christum spiritus, quo nititur illa peccatorum remissio, adesse coepit. Totius rei summa haec est: Joannis baptismus praecipue poenitentiam respicit, simul rationem habens remissionis peccatorum (sine quâ ista poenitentia veritate caret); Christi baptismus imprimis ad remissionem peccatorum tendit, simul innuens ad poenitentiam (sine quâ nulla remissio revera esse potest). Quia aeterna ratione poenitentia adsit necesse est, priusquam remissio peccatorum revera consequi possit, etiam in historia baptismus poenitentiae antecessit baptismum remissionis peccatorum et novae spiritualis vitae; quum tamen unum alterum semper jam ponat, necessario, qui illum baptismum subit, hunc quoque subire debet. In Christo, ut supra demonstravimus, omnia perficiuntur.

Jam inter omnes constat de iis, quae modo exposuimus, magnam inter theologos catholicos et evangelicos esse exortam controversiam. Illi sine ulla dubitatione remissionem peccatorum soli Christi baptismo adscripsere [31]); hi contra et Joannis baptismo illam attribuerunt. Qua in re multi quidem et nostra aetate in eandem cum theologis catholicis abeunt sententiam; attamen tum illos tum hos rem controversam non ab omni parte ponderasse existimandum est. Nam sicut evangelici theologi Joannis et Christi baptismum in unum idemque cogunt, ita

---

31) Tridentinum Concil. eos, qui aliter sentiant, promte anathemate percellit, tonans: „Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi — anathema sit! (Sess. VII.)

catholici unum ab altero prorsus avellunt. Verum inter illam et hanc sententiam collocatum videtur esse. Poenitentia enim et remissio peccatorum, ut vidimus, neque divelli neque ad unum idemque confundi possunt; Joannes sine Christo nullius est momenti, Christus sine Joanne haud exspectatus est; ille pro dei filio grave testimonium perhibet, et dei filius illius testimonium habet maximi, quo in medium proferatur, lucem in nonnullis certe hominibus lucere; negativa baptismi Joannis pars (liberatio impiae vitae) ad positivam Christi baptismi partem (remissionem peccatorum et novam vitam) tendit, positiva autem hujus pars negativam illius partem necessariam habet; ex Joannis baptismo oritur christianus atque in hoc, qui totum conficit, ille servatus est. Quapropter neque unum idemque, neque prorsus distractum utrumque est baptisma [32]).

---

32) Schneckenburgerus, quamquam aliquantulum theologis catholicis suffragatur, nihilominus (lib. sup. laud. p. 53. §. 38.) haec proponit: „Die Identität der Johannes-Taufe mit der frühern Taufe Jesu oder vielmehr seiner Jünger, welche ebenfalls nur sprechendes Symbol im Dienste der Predigt war, ist wohl unbedingt zuzugeben (?), beweist aber für erstere gewiss keine andere, als bloss mittelbare messianische Beziehung, sofern nämlich die Busse, zu welcher sie aufforderte, die einzige Bedingung des Eintritts in das glückliche Reich war." — Quamvis Joannis baptismus necessariam ad christianum rationem habeat, „identitas" tamen nondum adesse nobis videatur. Nam illi discipuli, quocunque tempore baptizarunt, non Joannis sed Christi erant; Christus autem, de quo nemo dubitabit, ab initio docendi idem docuit, eundem manifestavit deum; quapropter Christi discipuli etiam sine dubio tam Christi quam ejus doctrinae respectum habebant; nam non in venturum Messiam, sed in eum, qui jam praesens erat, baptizabant. Christo praesente, non solum ἐν ὕδατι, sed etiam ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ baptizatur; id quod ipse Joannes palam profitetur. Itaque baptismus Christi seu discipulorum Christi (quod idem est, quum Christus ipse

Ceterum illa sententia, quam theologi catholici habent, jam a patrum ecclesiasticorum doctrina profecta est, qui docent quidem, Joannis baptismum divina frui sententia, addunt tamen, eum non nisi in spem futurae remissionis esse administratum [33]. Qua in sententia veri aliquid inesse negari non potest, quia poenitentia quodammodo firma remissionis spes est vocanda; attamen patres in eo peccarunt, quod istam peccatorum remissionem non tam per divinum Christi spiritum, quam per externum baptizandi ritum effici opinati sunt. Recte quidem patres senserunt, extra dei filii spiritum nullam peccatorum

---

nunquam baptizaverit) non solum poenitentiam, sed etiam novam vitam spiritualem postulat. Quod si Christi discipuli (baptizantis Christi loco) non respexissent, aut Joannis doctrina iis summi, et Christi, minimi momenti fuisset, aut Joannes mentitus esset.

33) Tertullianus initio capitis decimi libri „de baptismo", Joannis baptismum memorans, eum „mandatu" quidem divinum esse opinatur, non autem „potestate" quia non dederit remissionem peccatorum et spiritum sanctum. Quapropter addit: „Agebatur itaque baptismus poenitentiae, quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturae. Nam quod praedicabat baptismum poenitentiae in remissionem delictorum in futuram remissionem enuntiatum est. Siquidem poenitentia antecedit, remissio subsequitur, et hoc est viam praeparare; qui autem praeparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat." — Recte quidem remissio subsequitur poenitentiam, sed ut subsequatur, sane externo baptizandi ritu non indiget. — Non aliter ac Tertullianus alii multi patres senserunt. Sic Hieronymus (advers. Lucif.): „Joannis baptisma poenitentiae fuit in peccatorum remissionem, id est, in futuram remissionem, quae esset postea per sanctificationem Christi subsecutura." — Et Augustinus continuo eadem fere de Joannis baptismo facit verba (cont. Donat. lib. V. c. X.): „Quapropter, inquit, quamquam ita credam baptizasse Joannem in aqua poenitentiae in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, re ipsa vero in domini baptismo id fieret." (Cfr. lib. II. cap. 37. cont. litt. Petil.)

remissionem fieri posse; nam istae humanae vires, quae movent atque admittunt peccata, minime ea tollere possunt (vires delictis indulgentes non contra delicta pugnant), sed ad hoc perficiendum divinis opus est viribus; verumenimvero num hae divinae vires per baptismum efficiuntur? Potest sane sine externo baptizandi ritu, minime sine Christi spiritu, vel poenitentia vel remissio peccatorum cogitari; nam ille unus spiritus, in quo omnia vertuntur vera et sancta, aeternus est, atque in aeternum peccata extinguit. Quodsi aeternam hujus spiritus, necessaria ratione sese explicantis, vitam negligimus, facillime fieri potest, ut opinemur, aut, neque ethnicam neque judaicam religionem ejusque cultum veri quid habuisse, aut, unam eandemque veritatem (quamquàm alio modo forsitan animo sit comprehensa) quam Christiani sequantur, jam apud Judaeos fuisse. Verumtamen, si in ceteris religionibus earumque cultibus nihil veri inesset, ante christianam religionem omnino deus in mundo defuisset! Si vero ex altera parte Judaei omnia, quae ad veritatem pertinent, revera haberent, ipsa judaica religio summa dei manifestatio esset; aut si et ethnica et judaica et muhametica et christiana religio, suam unaquaeque propriam et separatam amplecteretur veritatem, plures sejunctae veritates essent! Talia qui probant, ethnicis laborant opinionibus; nam plures veritates respiciunt plures deos, qui tamen, ut ethnica religio docet, valde discordes sunt. Quemadmodum autem unus solus est verus Deus, sic et mundus non nisi unam amplecti potest veritatem, quae ab illo unice vero deo proficiscitur. Ceterae omnes religiones earumque cultus solum eo intendunt, ut, siquidem veri quid in iis inest, in chri-

stiana religione ejusque sacramentis serventur, quo veritatem illam habeant perfectam. Quod vero attinet ad cultum seu ritus, vidimus, Joannis baptismum tum longe judaicis baptismis esse superiorem, tum Christi sacramentis proximum. Sed ipsius Joannis baptismus metam contigit illo gravi temporis momento, quo veritas in fastigio stare incepit, quo dei filius mundum non tam absconditis seu obvelatis mysteriis, quam revelato verbo divino consecravit. Restat, priusquam ad exponendam doctrinam biblicam progrediamur, ut illum, quem Christus in se ipso celebrari est passus, baptismum consideremus.

§. 12.

Gravis sententia illis inest verbis, quae ipsum Christum esse baptizatum certiores nos faciunt (Matt. III, 13—17.; Luc. III, 21. 22. cfr.; Jo. I, 26—34.). Nam haec narratio declarat: quae sit Christi ratio ad Joannem et tempus praeteritum; quanti momenti sint ritus, si veram contineant sententiam; denique quae sit ratio dei filii ad totum mundum et ad tempus futurum. Si ea, quae Matthaeus tradit de baptismo, quem ipse Christus subierit, inspicimus, primum quaeritur, cur Joannes Christum baptizare recusarit. Sciebatne, Christum esse dei filium? Hoc eo demum tempore habebat cognitum atque perspectum, quo Christum baptizarat (Jo. I, 34.). Nihilominus dubitari non potest, quin Joannes Christum habuerit virum, in quo deus vere insit; alioquin non intelligitur, cur Joannes prohibuerit Christum. Quapropter probabile est, Joannem non tam certo scivisse, quam spiritu praesensisse, Christum esse Messiam seu dei filium. At vero ex quo signo Joannes hoc praesagivit? Num ex tota θεανθρω-

nov specie ac figura, eo momento, quo Christus ad eum venit? Non magis quam ex hac re Judaei, Pilatus aliique multi dei filium cognoverunt aut praesenserunt, agnovit Joannes. Nihil restat ad hoc explicandum, nisi ut per spiritum id factum sit, quem Joannes, propinqua cognatione Christo conjunctus, jam perdiu ante baptismum, in Christo versari perceperit. Cui sententiae multi non sine argumenti specie opponunt: ipsum Joannem palam profiteri, se solum ἐν ὕδατι baptizare et Christum demum ἐν πνεύματι ἁγίῳ, quo dicto aperte declaretur, Joannem nondum in sancto spiritu esse versatum. Sed quod ad hanc dubitationem attinet, jam ostendimus, poenitentiae necessitatem (cujus Joannes sibi est conscius) non nisi per dei spiritum intelligi posse. Praeterea quaerendum est, num fieri possit, ut per aliud quid nisi per spiritum aliquis exspectet, spiritum esse futurum seu baptismum in spiritu fore? Caro captat carnalia, spiritus adspirat spiritualia. Qui sperat spiritum, jam spiritu nititur, atque persuasum sibi habet, quamlibet beatitudinem spiritu contineri; qui vero spem suam (sive in vita, sive post vitam, sive in hoc mundo, sive in isto futuro coelo) in carne repositam habet, semper caducam amplectitur carnem, ejusque caeca spes in eadem atque caro versatur fatali fortuna. Caro contabescit atque putrefit; spiritus solus vivit in aeternum. — Quoniam Joannes spiritum exspectavit, idem per spiritum jam ante baptismum in Christo spiritualia cognovit. Verumtamen jam aliud argumentum nobis in contrarium adducitur ex eo, quod Joannes post baptismum demum spiritum in Christum descendentem viderit, atque ante baptismum forsitan ne noverit quidem Christum. Sed, quum Joannes ante baptismum Chri-

stum prohibeat, atque sese ipsum a Christo baptizandum profiteatur, necessario jam per spiritum intellexit, Christum sancto spiritu esse imbutum, quo sit se ipso multo major. Illo autem signo, quod spiritus post baptismum in Christum descendit, Joannes non tam cognovit, hunc baptizatum Christum spiritu esse imbutum, quam hunc spiritu imbutum Christum, esse Messiam seu dei filium, id quod antea non sciverat, sed solum praesenserat. Sic facile intelligitur, cur Joannes dicat: *κἀγω οὐκ ᾔδειν αὐτον· ἀλλ' ὁ πεμψας με κ. τ. λ.* (Jo. I, 33 et 31.); nam haec verba nunc ita sunt explicanda: non noveram Messiam (*αὐτον*, qui me prior erat) i. e. nondum noveram, eum esse Messiam; sed me mittens (spiritus) mihi dixerat etc. [35])

Sed jam inquirendum est, cur Christus se baptizari voluerit? Ipse causam quandam videtur afferre, verbis: „*ἀφες ἀρτι, οὑτω γαρ πρεπον ἐστιν ἡμιν πληρωσαι πασαν δικαιοσυνην*". Quid significant haec verba? Jam demonstravimus, quemadmodum quaevis religio quendam veritatis teneat gradum, sic

---

35) Itaque eadem vers. 31. verba non aliter interpretamur: equidem ipsum Messiam nondum noveram; nihilominus veni baptizatum (spiritus me impulit ad baptizandum) in venturum Messiam, quo ipse Messias Israeli patefieret, i. e. necessitatem per spiritum intellexeram, ut Messias jam proximus esse deberet (quamquam nondum noveram), quapropter baptizatum veni etc. Saepe haec verba „*κἀγω οὐκ ᾔδειν αὐτον*" explicantur „atque ego ejus formam ac faciem antea non noveram seu videram"; sed haec explicatio falsa est, quum ex altera parte ad sequentia verba pessime quadrent, ex altera parte Matthaei narratio resistat, secundum quam Joannes, priusquam spiritum in Christum descendentem videret, revera eum specie et forma jam noverat. Insuper, num forsitan certus spiritus sine forma potest esse et inspici? Minime, nam ejusmodi opinio ipsa deformis et inanis est.

et ejus cultum et ritus plus minusve veri prae se ferre. Quod si negaremus, tum origo christianae religionis, tum omnia, quae Christus mundo revelavit, hominibus essent miraculo, quod quidem omnibus restaret inexplicabile. Non ignoramus quidem, multos esse, qui hoc identidem asserant; attamen num dubitas, quin isti aut religionem christianam (siquidem non abscondita sed revelata est) pervertant, aut illorum cogitationes semper sint miraculo, quas frustra explicare studeas. Christiana autem religio et ethnicam et judaicam religionem jam ponit necessariam, quum id verum, quod in ceteris omnibus religionibus insit, ad summam perducat veritatem, ita ut sine illis ipsa christiana religio ab hominibus intellectu comprehendi non potuerit. Nam si quaevis veritatis vestigia deessent, homo etiam summam veritatem animo non posset tenere. Quodcunque autem verum ante christianam religionem in reliquarum religionum ritibus inest, id (ad altiorem videlicet gradum adductum) Joannis baptismo continetur, quapropter ipse dei filius hunc baptismum approbat. Si igitur Christus dicit: „*οὑτω γαρ πρεπον ἐστιν ἡμιν πληρωσαι πασαν δικαιοσυνην*" haec verba sic nobis videntur explicanda: „ita enim nos decet, omne verum (*πασαν δικαιοσυνην* omne justum, quod in ritibus inest) et comprobare et complere (perficere, ad summum veritatis gradum perducere — *πληρωσαι*) [36]).

---

36) Saepissime haec verba ita vertuntur: „ita enim nos perfecte decet omnia praestare, quibus probemur (deo)" (Schott. Nov. Test.); cujus versionis sensus, ut opinamur, hic est: Christus hoc ritu utebatur, quo deo probaretur. Nonne haec versio eo tibi videtur spectare, ut hoc ritu statim aliquid efficiatur? Quo minus autem illo ritu (si ipsum externum ritum spectas) homo aliquis deo probatur, eo minus Christus probatur, cui ipsi omnia

Quod revera fit, si ipse ϑεανϑρωπος hunc baptismum subit, quo illius ritus sententia fiat omnino divina. Attamen permulti e nobis quaerant, quo signo hoc declaretur? Proxime consequentibus Matthaei verbis inspectis, respondebimus. Postquam Joannes veri-

---

debent probari. — Illi versioni similis haec est: „ita enim me decet, omnes religionis ritus (praescriptos) observare" (ibid.). Cujusmodi observatio ethnicos sacerdotes, Judaeos et prae omnibus Pharisaeos decet, minime autem Christum, quem veritas decet. — Eundem sensum redolet haec explicatio: „ita enim nos decet severe exequi, quaecunque justitiae leges (rationes) postulaverint". Num Christus venit, ad Judaeorum ceremonias externosque ritus severe exequendos (nam talia illa interpretatio videtur nobis spectare)? Quod si judaicum synedrium, Herodes Pontiusque Pilatus alii (ut nostrates) scivissent, sane vitae Christi insidias non posuissent! — Alia interpretatio multis cara acceptaque haec est: „ita enim me decet, omnibus officiis meis exacte satisfacere". Quis vero ejusmodi officia Christo injunxit? num forsitan summus judex (iste judaicus Jehova)? Pharisaei, si vanos ritus observant, opinantur, se omnibus officiis exacte satisfacere. A quibus longe alienus est Christus, qui summi amoris plenum patrem nobis revelavit, quique solum id habet officium, ut homo veritati ac sanctitati exacte satisfaciat. — Kuinoelius (Comment. ad h. l. Matt. v. I. p. 81.) existimat, Jesum ad baptizantem Joannem accessisse — „ut ipse, cum jam in eo esset, ut demandatum sibi a patre officium susciperet, hoc ritu sacro atque solenni inaugraretur" — Christus igitur hunc ritum ad suum ipsius fructum refert? nam illo demum inauguratur. Attamen inauguratio (Joannis baptismo conficienda) ad nullum alium, nisi ad ipsum Christum (ad venturum Messiam, quem se revera esse, Christus sine ulla dubitatione sciebat) tendit, ita ut Christus tam hujus, quam cujusvis inaugurationis tamquam vera sit sententia. Sententia autem (seu interna res) inaugurationis non indiget inauguratione; nam si quis ad deum inauguratur, ipse deus inauguratione non eget. Omnis inauguratio ad tertium quendam spectat; Christo autem neque a tertio quodam (sed a sancto ipsius spiritu) officia sunt injuncta, neque ipse potest inaugurari ad tertium quendam; quapropter inauguratio Christi omni caret sensu. Praeterea Kuinoelius illa verba (οὕτω γαρ κ. τ. λ.) explicat: „me decet omne laudabile institutum, tenere et sequi"; secundum quam explicationem hoc lauda-

tatem verborum Messiae intellexit: tum concessit ei („τοτε ἀφιησιν αὐτον"). Et baptizatus Jesus „ἀνεβη εὐθυς ἀπο του ὑδατος". In eo, quod Christus in Joannis aquam descendit, cernitur, hunc ritum veritate non carere; verumtamen Christus confestim ex

---

bile institutum ipsi Christo tamquam necessarium habetur, quia illud tenere et sequi debeat. Cur autem Christum ejusmodi res tenere et sequi deceat, ex illa explicatione non intelligimus. Permulta Judaeorum instituta laudabilia quidem vocari possunt; nihilominus Christus ea non secutus est. Laudabile enim institutum par est laudabili consuetudini; Christum autem non tam consuetudines inveteratas, quam quodvis verum et justum sequi decet. — Paulus (vid. ej. Comment. ad h. l. Matt. p. I. p. 232.), περιφραστικως dicit: „Es geziemt ihm und seinem würdigsten Vorgänger (i. q. ἡμιν —?), noch das äusserste zu thun, was die Gerechtigkeit fordern kann — πληρωσαι πασαν δικαιοσυνην. — Matt. 3. 15. Er findet sich ein, um selbst die Einweihung zum göttlichen Reiche zu empfangen (? — vid. supra). Hier sollte es sich denn doch zeigen, ob die Gottheit ihn wie jeden andern eingeweiht werden lasse, oder ob sie im entscheidenden Moment einen ihrer Winke geben wolle, dass Jesus nicht auf einen andern, welcher gewiss komme — εἰς τον ἐρχομενον — dass er nur auf sich selbst als Messias eingeweiht sei" — et p. 237.: „Er thut das äusserste, was Gerechtigkeit fordert: der Gottheit Wink, nicht er selbst entscheide!" — Unde tandem talia verba petita sunt? Ne ullum quidem vestigium in toto Novo Testam. invenitur, quo Christum ejusmodi vana specie fuisse imbutum indicetur. Nec sine causa! Nam neque Christus deum Apollinem, Pythia scilicet oracula edentem habuit, neque ipse fuit portentorum interpres. Nonne istis verbis Christus superstitione impletur? Cujusmodi autem est iste deus, quem Pauli verba dicunt? Intima summi numinis essentia nutus (i. q. inania signa, portenta) respicit („einen ihrer Winke" — perinde ac si deus nihil aliud, nisi nutus amplectatur). Deus est spiritus, nec per nutus, sed per spiritum loquitur; qui Christum hujus spiritus expertem fuisse opinatur, hic eum quendam numinis nutum, quo se Messiam esse sciat, exspectasse fabuletur. Nam solum ubi deest spiritus, nutus magni aestimantur. — Praeterea quaerendum est, num summum, quod justitia postulet, id sit, quod Christus ritum quendam subeat? Talia ne Pharisaeus quidem, nedum Christus opinatus est.

illa aqua adscendit; ac nunc Joanni aperti sunt coeli, viditque spiritum sanctum sicut columbam descendentem atque super Christum venientem [37]). Quae omnia Joannem (sicut mittens ei praedixerat) certiorem faciunt, Christum esse dei filium, baptizantem in sancto spiritu, qui nunc perspicua ratione (ut nunquam prius) Joanni elucescit. Sane, qui Christi spiritum perspicit, is in medium inspicit coelum, neque ei est dubium, quin sanctus dei spiritus ad terram descendens, divinam suam cum humanâ revera conjungat naturam [38]). Atque hoc testimonium de descendente sancto dei spiritu ad *ϑεανϑρω-*

---

37) Vocabulum „*αὐτῳ* et sequens *ειδε*“ non ad Christum, sed solum ad Joannem esse trahendum, evidentissime ex Joannis evang. apparet, ubi (cap. I. v. 33.) non Christo, sed Joanni iisdem fere Matthaei verbis aperte dicitur: *ἐφ᾽ ὀν ἀν ιδῃς το πνευμα καταβαινον κ. τ. λ.*“; quapropter illud *αὐτῳ* dativum commodi spectat. Si ista vocabula (*αὐτῳ* — *ειδε*) ad Christum essent referenda, pro *ἐπ᾽ αὐτον* legi deberet: *ἐφ᾽ αὐτον*; id quod ab Joannis narratione discreparet. Nihilominus Paulus (vid. ej. Comment. p. 238.) totum locum ad Christum refert, quia existimat, Christo, ut, quid ipse esset, sciret, visibili numinis nutu opus fuisse (sicut apud Romanos aliasque gentes ethnicas moris erat).

38) Paulus (vid. ej. Comment. p. 238.) vertit *το πνευμα του ϑεου* „der Gottheit Geisteskraft, an sich unsichtbare Wirksamkeit“. Cujusmodi spiritualis vis par est naturali vi. Ubi deus nondum unice omnium rerum verus et hypostaticus spiritus cognoscitur, ibi numen quoddam invenitur ac colitur, quod quibusvis viribus (naturae) est implicitum; ubi vero deus (id quod religio christiana postulat) spiritus cogitatur, qui liber atque in sua ipsius potestate est, ibi deus omnibus viribus longe est superior; nam ipse dei spiritus has vires (quae si rem ipsam spectas, solam naturam respiciunt) efficit atque intelligit, ideoque est ejus natura non tam vis quaedam quam verae cogitationes. Ista per se invisibilis efficacia ad inanem spectat causam, qua quidem vera dei spiritus essentia non continetur; imo potius dei spiritus revera est, ac verum et sanctum efficiens, ipse est veritas et sanctitas.

νον summum est, quod Joannes poterat dicere; nam hic Christi spiritus spectat ad novum orbis terrarum constituendum regnum, atque isti aperti coeli respiciunt novam divinam rationem, quae toti mundo ejusque partibus sit inserta. Quodsi animo tenes, jam Joannem coelos apertos ac spiritum descendentem vidisse, nonne permirum tibi videtur, quod exstent, qui instar oppugnatorum coeli (quamquam Gigantes ad fabulam pertinere inter omnes constat) ut coelum iterum claudant omni ope atque opera enitantur: scilicet dei spiritum non posse intelligi dictitantes? Solum per hunc spiritum, in quo aeternus Christus cernitur, quique in omne tempus in vera Christi ecclesia versatur, ille, quem Christus subiit, baptismus summi est momenti. Quae verba quid sibi velint, continuo exponemus.

Joannes, dei spiritum in Christum descendentem videns, alta mente intelligit, Christum revera esse dei filium; attamen non solum Joanni, sed toti mundo baptismus, quem Christus adit, hoc notum facit. Quum enim illo in medium proferatur, sanctum dei spiritum in Christum descendisse, eundemque in eo manere aeternum, idem hic baptismus Christum tam dei filium quam humani generis sospitatorem pronuntiat. Nam is solus hominum esse potest sospitator, qui non solum deus, sed etiam homo est, atque per quem omnes homines dei spiritum suscipiunt, ut suam humanam cum divina conjunctam habeant naturam. Itaque si dicimus, Christum totius mundi esse salvatorem, nos id animo firmissime tenere oportet, quod non solum certo tempore, sed in omne tempus dei spiritus descendat in Christum, in eoque, qui in ecclesiae suae membris nunquam non insit, maneat in aeternum, quo deus cum homine sit unitus. Quod

cum ille baptismus significet, Christum hominum promulgat salvatorem (Jo. I, 33.). Christus ipse quidem non baptizavit; nihilominus ille est baptizans in spiritu sancto (ὁ βαπτιζων ἐν πνευματι ἁγιῳ), quia in eo versantes, sancto spiritui tamquam immersi, ideoque per eum cum deo uniti sunt. Quibus omnibus expositis, accuratius definire possumus, quae vere sit baptismi a Christo suscepti notio. Hic baptismus (quo rerum administrationem nova ratione esse versam, quo tempus esse expletum innuitur), neque ad Joannei neque ad christiani baptismi sensum pertinet. Nam quod ad illum attinet, Christus neque peccatorum labibus neque judaicae religionis erroribus erat inquinatus, quapropter neque ad μετανοιαν neque ad venturum Messiam baptizari poterat. Qui veritatem revelat, imo qui ipse est veritas, ab erroribus longe esse debet alienus, atque a quo quaevis proficiscitur sanctitas, is vitiis caret. Ex altera parte, quem Christus subiit, baptismus etiam a christiani baptismi sensu valde abhorret. Non enim necesse erat Christo, qui in ecclesiam reciperetur, quoniam ipse est conditor ecclesiae et caput, ita ut, quaecunque ad ecclesiam pertineant, in Christo sint fundata. In Christi ecclesia unusquisque baptizatur in fidem, quam Christo habere debet, quapropter, quum fides ad Christum, nec Christus ad fidem tendat, idem Christus non potest baptizari. Nec minus indiget Christus neque illustratione neque regeneratione; id quod christiani baptismi sensus est in quovis qui baptizatur. Nam mundi salvator est λογος, homo factus; illustratio autem et regeneratio per hunc ipsum efficitur λογον; itaque, quatenus Christus in nobis inest, illustrati ac regenerati sumus. Quodsi ipse Christus, sicut quivis homo; illustratione ac regeneratione

indiguisset, minime per eum mundus potuisset redemi, sed ipse hic Christus per alium fuisset redimendus. Quum tamen in Christo, qui cum deo in aeternum conjungit hominem per sanctum spiritum, omnis redemtio sit sita, ejusdem baptismus significat, mundi sospitatorem esse baptizatum pro mundo [39]).

---

39) Hoc grave testimonium, quod dei filii baptismus nobis dat, respicit ille locus, quem 1 Jo. cap. V, v. 6. legimus („οὗτος ἐστιν ὁ ἐλθων δι᾽ ὑδατος και αἱματος, Ἰησους ὁ χριστος" κ. τ. λ.). ὑδωρ denotat baptismum, αἱμα mortem Jesu Christi; per utrumque venit dei filius, i. e. per utrumque sese revelavit. Nam per baptismum dei filius agnoscitur (Jo. I, 34.: „κἀγω ἑωρακα, και μεμαρτυρηκα, ὁτι οὗτος ἐστιν ὁ ὑιος του θεου"), atque coeleste illius regnum in terra est consecratum, confirmatum et sancitum per mortem piacularem, quatenus tolerantis Christi vitae est fastigium (Rom. V, 6—10.). In baptismo illo deus adumbratur ingrediens individuam Christi personam, in morte hic Christus adumbratur regrediens in unam divinam naturam; illic sanctus spiritus in Christum descendere, hîc autem Christus in unum et verum spiritum adscendere (ad patrem redire) pronuntiatur. Utriusque rei aeternus testis est spiritus sanctus, qui initium cum fine conjungens, idem est ingrediens ac regrediens, quique aeternum dei in hominem, et hominis in deum transitum tam testificatur, quam ipse constituit. Quemadmodum pater et filius uno sancto spiritu continentur, sic et Christus per baptismum et mortem transgressus, utrumque spiritu suo servat in aeternum; quo fit, ut Christus perfecta sit veritas. Itaque veritas in spiritu sita est; sicut spiritus in veritate, ita haec in illo contenta est; quapropter spiritus se ipsum esse veritatem testatur (1 Jo. V, 6.). — Ceterum permultae illius, quem modo interpretati sumus, loci explicationes inveniuntur. Alii ὑδωρ tropice de vita Jes. Christi purissima, itemque αἱμα de peccatorum expiatione nobis parata explicant. Attamen, quid aqua ad vitam purissimam? In baptismo aqua adhibetur, qua de causa hîc illa symbolica significatio obtinet; sed ad sexcentas alias res aqua non minus pertinet, quam ad vitam purissimam. Praeterea symbolica aquae significatio semper una eademque est, et ad quemvis referri potest hominem; nihilominus nemo est dei filius. — Alii ὑδωρ et αἱμα ad illam aquam et sanguinem referunt, quae e Christi latere dicuntur fluxisse, qua re Christus

Cujusmodi baptismo nullus alius par vel similis poni potest; et eâ quidem de causa, quia ab ipso Christo susceptus baptismus pronuntiat, deum arctissime sese conjunxisse cum humana natura, ut homo liberari ac revera in deo esse possit, ceteri autem omnes, qui in Christi ecclesia celebrantur, baptismi indicant, hominem divinae naturae esse affinem, eumque in sancto dei spiritu versari debere, quia deus, qui homo factus sit, in homine versetur. Ille baptismus, quippe qui unum atque aeternum dei decretum esse perfectum patefaciat, in omne tempus non nisi semel exerceri potuit; hic autem, quum neminem regeneratione non indigere significet, necessario in quovis adhiberi debet homine christiano. Isto denique dei filii baptismo religio christiana tamquam baptizata est ac consecrata, judaica autem religio nec non gentilis sublata, quoniam utraque ignorat, illum *λογον*, qui *ἐν ἀρχῃ* apud deum erat, sicut etiam deum, qui ex aeterno erat *λογος*, hominem esse factum. Qua veritate religio christiana est fundata, eamque diligenter semper tuetur per sanctum dei spiritum. Atqui divinum hujus religionis ingenium impedit, quo minus lustrationes, ceremoniae aliaeque res externae magni aestimentur; quosvis reliquarum religionum ritus abolent sacramenta a dei filio instituta, et sicut religio ipsa, summo innixa vero. Jam pro-

---

mortuus quidem, minime autem dei filius probari potest. Sunt denique, qui *ὑδωρ* et *αἱμα* ad institutum baptismum et coenam sacram trahant. Verumtamen non ea de causa Christus est dei filius, quod sacramenta instituit; nam ante instituta sacramenta jam erat dei filius. Quapropter rectius dixeris, a Christo (qui per sanctum spiritum jam erat dei filius) sacramenta esse instituta, non quo demum ostendatur, Christum esse dei filium, sed ut homines dei filii sint memores.

pius ad nostrum propositum aggressi, videbimus, quae sit biblica de baptismi sacramento doctrina.

III. BAPTISMA CHRISTIANUM.

§. 13.

Ex iis, quae hactenus pertractavimus, apparet, externum baptizandi ritum, qui apud Judaeos observabatur, per Joannem veritati propius esse adductum; ad summum denique fastigium baptismi notio per christianam religionem evehitur. Jam nos oportet christianam de baptismo doctrinam proponere, qua in re disserenda primum videndum est, quae instituti baptismatis sit ratio, deinde quid de forma, et postremo, quid de effectibus baptismi sacra scriptura doceat.

1. Sacramenta a Christo instituta sunt, quibus tamquam visibili modo significetur, quid per sanctum dei spiritum in omne tempus perficiatur. Utrumque sacramentum hominis mentem a mundo ad deum deducere vult; utrumque divinae gratiae, quae summo amore hominem amplectitur, rationem habet. Quapropter baptismus certo quidem tempore institutus est, sed illius notio aeternam, quam deus ad hominem et hic ad illum habet, rationem respicit. Quem enim ad modum infinitus dei amor eo tendit, ut homo per sanctum spiritum cum ipso conjungatur, ita baptismus quoque vitae spiritualis necessitatem in lucem profert; sicut Christus deum cum homine esse unitum revelavit, sic et sacra immersio id agit, ut arctissima cum Christo conjunctio efficiatur. Itaque ex altera parte sacramenti idea, quatenus aeterno

nititur spiritu, extra tempus cadit; ex altera parte, quatenus externo ritu continetur, certo quodam tempore tamquam ante oculos est posita, atque sic sacramentum institutum. Nam ut religio christiana, quippe quae ceteras omnes religiones tamquam necessarias partes ponat, aeterna est, quamquam illo demum tempore, quod expletum vulgo dicitur, initium cepit et perfectissimâ formâ est imbuta, sic et sacramenta, quo omnes ritus tendunt, sunt aeterna, quamquam, si exteriora spectas, certo tempore sunt instituta. Hinc habemus, cur tam baptismus, quam sacra coena a deo esse profecta putetur; θεανθρωπος ea instituit, quibus, sicut in ipso deus cernitur, divina voluntas sub oculos cadat.

Ubinam vero sacrae scripturae baptismi sacramentum habemus praescriptum, et quo tempore Christus sacram immersionem instituit? Qua in re primum quidem ratio nobis est habenda colloquii Christi cum Nicodemo et videndum, quid inde sit ducendum argumenti pro instituto baptizandi ritu (vid. Jo. III, 1 sqq.) [40]. Ex iis, quae aliis scripturae locis de

---

40) Non alienum a re putamus, nonnullas quae de hoc colloquio propositae sunt, explicationes respicere. Praestantissime autem de illo colloquio nostra aetate commentati sunt b. Knappius (qui fons est, ex quo multi bene hauserunt — vid. ejusd. lib. inscript.: „Scripta varii argumenti etc." comment. VI. p. 183—230.); Lückius (vid. ejusd. Comment. tom. prim. p. 563 sqq.); Kuinoelius (Comment. vol. III. p. 189 sqq.); Paulus (Comment. tom. IV. p. 190 sqq.); Tholuckius (Comment. p. 77 sqq.). De singulis, quae ad illud colloquium pertinent, hic disputandi, locus non est; quapropter non nisi perpauca ex illorum virorum s. v. libris possumus proferre. Kuinoelius in constituendo formulae „ἄνωθεν γεννηθῆναι" sensu affert, illa verba non ad emendandam vitam, quoniam Nicodemus probitatis studiosus fuerit, sed ad abjiciendas perversas opiniones spectare, ita ut formula

Nicodemo narrantur, videmus, eum fuisse virum apertum et simplicem, in quo neque simulatio neque

---

ἄνωθεν γεννηθῆναι unice pertineat ad intellectum et statuendi rationem (l. c. p. 197.). Attamen, quid aliud est vita proba, nisi rationi conveniens vita? ubi ratio deest, ibi necessario vita quoque rationi conveniens i. e. proba vita desideratur. Non negamus quidem, Nicodemum hominem fuisse in multis probitatis studiosum; at vero eadem de causa, quia cujusvis generis perversis opinionibus erat imbutus (etsi in multis sine ulla dubitatione etiam homo sapiens), probitas quoque non satis erat firmata. Nam a vanis opinionibus proficiscitur vita incerta et perversa; novus spiritus efficit novam et spiritualem vitam; ubi ratio hominis per spiritum renascitur, ibi necessario quoque vita; quapropter vita a ratione et opinionibus, eaeque ab illa non possunt separari. Homo, qui etsi bonae est frugi, nihilominus vitam contra rationem dirigit — seu homo, qui ratione carens, nihilominus vitam suam ad rationis normam dirigit, cogitari non potest (est non ens ut Scholastici dicunt). Kuinoelius illam sententiam etiam ad explicandam formulam: „το γεγεννημενον ἐκ της σαρκος, σαρξ ἐστι“ accomodat (vid. ejusd. Commentar. pag. 201—203.). Existimat scilicet, Christum Judaeis (ideoque etiam Nicodemo), qui se solos participes fieri posse felicitatis, in regno Messiano consequendae, opinabantur, opponere: „ex hominibus natus, homo est“ (i. e. vos quamquam e stirpe Abrahami estis oriundi, nihilominus cuivis alii homini estis pares). At vero neque Abrahami, neque istius opinionis judaicae, neque principii identitatis (— homo est homo, vel nihil est nihil —) certa in illo colloquio fit mentio. Imo potius Nicodemus istam regenerationem, quam Christus etiam atque etiam inculcat, ad corpoream seu carnalem, ut ita dicam, nascentiam refert (vid. com. 4), quia adhuc spiritu carens, vanis opinionibus est refertus, et Christi verba intelligere nondum potest, cui Christus, nonnullis interjectis, opponit: „ex carne natum, caro est (neque spiritualem regenerationem efficit), ex spiritu natum, spiritus est“ (per quem nova nascentia efficitur). Kuinoelius, solum certam quandam opinionem respiciens, illud oppositum, quod sine ullo dubio inter carnem et spiritum obtinet, tollit; nam non homo, sed caro spiritui est opposita. Ceterum verba Christi etiam isti falsae Judaeorum opinioni esse opposita, ea de causa nemo negabit, quia ejusmodi opinio carne, ut ita dicam, tenetur. Sed, num ista opinio sola est impedimento, ne Nicodemus denuo rena-

dissimulatio latuerit (vid. Jo. VII, 50. cap. XIX, 50.). Attamen religionis judaicae atque Pharisaeorum

---

scatur, seu Messiae regnum possit ingredi? Quodcunque a carne proficiscitur (tum opiniones spinosae, tum vita inconsiderata, quae inter se invicem sunt conjuncta), caro est, atque impedit, ne homo divinum consequatur regnum. — De formula *ἰδειν την βασιλειαν του θεου* (*εἰσελθειν εἰς την βασ. κ. τ. λ.*), annotat Kuinoel. illud *ἰδειν* significare „experientia cognoscere, participem fieri" quae verba non accurate illius formulae notionem exprimere nobis videntur; enimvero illud v i d e r e seu tamquam oculis cernere, idem est atque: in eo versari, plane ei deditum esse, idem cognitum atque perspectum habere i. e. divinam perspicere veritatem et integram, sanctam, beatam agere vitam. Quod si animo tenemus, etiam „*βασιλεια του θεου*" non eam obtinet notionem, quam Kuinoelius proponit, memorans (l. c. p. 198.), regnum dei „ex mente Christi significare: beneficia et commoda omnia, quae Christi sectatoribus cum in hac, tum in altera vita contingant." Illa beneficia eo, quod in regno dei versamur, efficiuntur, non autem regni dei notionem atque ideam omnino explent. Kuinoelius ea respicit, quae piam fidem, veri cognitionem, vitam libertate et sanctitate fundatam (quae omnia ad illud divinum attinent regnum) sequuntur; quod vero ex aliqua re consequitur, non ipsa est tota res. Ut, si dei regnum spectas, totam rem amplectaris, id, quo aliquid impetratur ab eo, quod impetratur, separari non debet. Rectius, quam Kuinoelius, de illius regni notione Knappius ita commentatur: „Ex Christi quidem mente et sententia illud regnum a Messia apud homines condendum, duo haec amplectitur: primum beneficia singula, jura, commoda, praemia, tum hac in vita, tum in futura suis tribuenda sectatoribus (ad haec referri debet doctrina Christi, item venia delictorum, et universa salus generi humano parta): deinde officia et cultum deo atque Jesu Christo praestandum" (l. c. p. 193.). Quae omnia regnum quidem respiciunt, sed negligunt regni caput, sine quo ipsum regnum disjecta spectat membra. Is autem, quo omnia divini regni singula continentur, qui tam ad fidem, quam ad amorem et ad quaevis a Christo promissa beneficia ducit, spiritus est veritatis ac sanctitatis. — Ceterum illud, quod Kuinoelius, Knappio assentiens, de hac et altera vita profert, Tholuckius latius ita explanat: „Von der einen Seite aus betrachtet, ist also die *βασιλ. του θεου* ein innerlich Gegenwärtiges, von der andern ein äusserlich Zukünftiges, obwohl beide dem Wesen

imprimis sectae erroribus contaminatus, non tam propter intellectam veram Christi doctrinam, quam

---

nach eins sind" (vid. ejusd. Com. ad h. l. p. 78.). Quod discrimen inter ea, quae intrinsecus sunt praesentia atque extrinsecus futura, non tam verum dei regnum, quam regnum hominum (mundi) respicit; nam in divino regno dominatur deus, qui quoniam aeternus est, tam tempus praeteritum, quam futurum unâ aeternâ praesentiâ comprehendit, ita ut is quoque, qui in regno dei versatur, seu in quo deus dominatur (id quod unum idemque est) tam exteriora cum interioribus, quam tempus futurum cum tempore praesenti per dei spiritum uniat; quapropter, si essentiam spectas unum alteri par est, ideoque illud discrimen rei essentiam non spectat. — Etiam Paulus in explicando versu quarto multa affert, quibus quamvis acute sint excogitata, non temere videamur resistere. Verba „γεννηθῆναι ἄνωθεν", commatis quinti sensui accommodat, ita quidem, ut illud γεννηθ. ἐξ ὕδατος publicam declarationem, et γεννηθ. ἐκ πνευμ. interius animi factum respiciat (vid. ejusd. Com. ad h. l. p. 193.). Quapropter, cum Michaeli consentiens, per πνευμα intelligendum esse existimat hominis animum, qui sit fons melioris cognitionis et consilii, quique quasi „matrix" hominis novi, melioris, et a carnis dominio liberandi fieri debeat. Quibus verbis facile intelligitur, quanti momenti sit ista invisibilis dei efficacia, cujus supra mentionem fecimus; nam invisibilis efficacia jam jamque fieri incipit inefficax, ejusque nulla habetur ratio. Num deus hominis regenerationi non interest? Ista Pauli verba hoc negare videntur, quoniam hominis animus novi et melioris hominis matrix esse dicitur, ita ut homo ipse sibi sit deus et dei spiritus non nisi locum expleat. Atqui, si nullam divini spiritus ducis rationem, quid est iste hominis animus? Homo non per aliud quid, sed per ipsius animum a deo sese avellit; homo per se ipsum suarum rerum studio adstrictus est, nec quicquam nisi se ipsum captat, ita ut impius homo non solum animi non sit expers, sed eo etiam utatur in flagitiis committendis. Qui hominis animum a dei spiritu separatum tenet, non reditum in gratiam seu regenerationem, sed perpetuum statuit dissidium; fons autem et matrix melioris vitae et liberationis peccatorum non tam hominis animus, quam dei spiritus est, qui solus vocatur bonus; quapropter solum per deum, qui in homine inest, homo tum ad meliorem frugem, tum ad omnia, quae sunt vera et sancta, ducitur. Quod si negas, quid tandem homini

propter miracula a Christo edita, hunc esse doctorem a deo missum credit, atque ex eo cognoscere

---

deus est? Num forte invisibile quiddam atque inefficax nihilum? — Paulus, hominis animo pleniori ore laudato interpretatur verba „εἰσελθειν εἰς την βασιλ. του θεου" ingredi ut germanum civem regni dei (eintreten als ächter Bürger der βασιλ. του θ.), qui sit invisibilis, magis magisque sese extendens rerum ordo (ad istam moralem mundi ordinem alludens), in quo sancta dei voluntas sit lex (l. c. p. 193.: „einer unsichtbaren, immer mehr sich ausbreitenden Ordnuug der Dinge, in welcher Gottes heiliger Wille Gesetz ist"). Istud „invisibile" iterum primum tenet locum, et recte quidem divinum regnum omnino sub sensus non cadit, ideoque carni est invisibile; at quaecunque in illo regno insunt, spiritualia sunt, quae ipsorum apertâ naturâ spiritui sunt visibilia; invisibilis autem rerum ordo saepissime par est visibili rerum confusioni. Qui enim invisibili ordini plurimum tribuit, is facillime visibilem ordinem pro nihilo putat; atque germanum invisibilis rerum ordinis civem neque civitas neque deus magni aestimat, quum et illa et hic hominem, justum visibilis ordinis civem esse velint. Secundum ista Pauli verba, in mundo et civitate nullus esse potest rerum ordo, quoniam verus rerum ordo appellatur invisibilis i. e. talis, qui trans mundum et civitatem est; nam quaecunque in mundo et civitate insunt, eadem visibilia sese ostendunt. Sancta denique dei voluntas non in invisibili quodam rerum ordine (qui merum opinionis commentum nobis videtur respicere) lex est, sed in mundo, in ecclesia et civitate, quarum vera idea ipse est sanctus dei spiritus, ita ut oculis, nisi lumine sunt orbati, legis essentia cerni possit. Praeterea lex fundata quidem est sancta dei voluntate; at vero ista verba „invisibilis rerum ordo, in quo sancta dei voluntas est lex" idem significant, atque: in quo deus est lex. Qui deus apud Judaeos est Jehova (summus judex et legislator); Christus contra docet: deum esse amorem, lege superiorem (quamvis lex quoque prorsus necessaria et a deo sit profecta); qui in illo amore manet, in deo (dei regno) manet, ac deus in ipso (1 Jo. IV, 16.); itaque amoris (non legis) regnum par est dei regno. —

In explicando versu sexto Kuinoelius, cum Knappio consentiens, annotat, formulam „το γεγεννημενον ἐκ της σαρκος κ. τ. λ." idem valere, quod „ὁ γεγεννημενος ἐκ της σαρκος, σαρκικος ἐστι

vult, quomodo ad regnum dei pervenire possit. Ejusmodi autem fides, Christum, quia miracula patrave-

---

κ. τ. λ." contra quam explicandi rationem Lückius disputat, quia ejusmodi explicatione universum istud, quod versu sexto contineatur, tollatur; universum autem istud id sibi velle, Lückius memorat, quod quaevis vis effectui sit par et similis (vid. ejusd. Comm. ad h. l. p. 581 et 582. — „gleich und ähnlich", quod postremum vocabulum non solum supervacuum, sed etiam falsum nobis videtur esse, quoniam vis, qualis est, in effectu cernitur, et quivis effectus nihil aliud est, nisi vis, quae in medium procedit). Lückio adstipulamur quidem in eo, quod genus neutrum inprimis ea, quae generatim atque universe dicuntur, respicit; attamen si eum, in quo explicando versamur, locum spectas, genere masculino universalia omnino non tolluntur, quum voces „σαρξ et πνευμα" ad hominem sint trahendae; quapropter plenum et universalem illius loci sensum amplectimur, interpretantes: ex carne natus (non certae quidem seu individuae personae respectu habito), caro est (de qua postrema voce postea). Insuper Lückius istam Knappii et Kuinoelii sententiam — verba scilicet „σαρξ ἐστι et πνευμα ἐστι" idem esse ac „σαρκικος ἐστι et πνευματικος ἐστι" — improbans (levi allata ratione), censet, πνευμα in universum divinam vim (id quod et Kuinoelius probat) significare, quae sine ulla quidem hypostasi sit cogitata (l. c. p. 583.: „πνευμα — bezeichnet die zunächst ohne alle Persönlichkeit gedachte göttliche Kraft etc."). Id vero nobis quidem ad istam Spinozae substantiam, quae quamvis attributa et modos habeat, vera tamen caret hypostasi, videtur spectare. Attamen ex altera parte spiritus non est vis (etiamsi divinam voces), ut jam supra contra Paulum disputavimus, sed quavis vi superior quasvis vires complectitur; ex altera parte quaerendum est, num spiritus sine hypostasi cogitari possit. Spiritus, hypostasis expers cogitatus, par nobis esse videtur cogitationi, spiritus experti. Enimvero spiritus, si solius naturae ejusque virium rationem habes, nondum veram amplectitur suam hypostasin (ideoque etiam nondum verus est spiritus); spiritus autem, quippe qui sit cogitans et voluntatem habens, unica est hypostasis. Qua de causa deus, qui est spiritus, aeterna ratione est cogitans hypostasis, atque homo si in deo seu ejus spiritu inest, hypostaticus est (ἐνυποστατος); nam extra deum nulla exstat hypostasis. Spiritus sine hypostasi, esset substantia (quae κατα δυναμιν quidem non autem κατ' ἐν-

rit, esse doctorem a deo missum, externa est, neque ea, quae ad regnum pertinent divinum, attingit. Quod Christus quoque Nicodemo obscure objicit, haec fere respondens: quamquam me, effectore deo, miracula edidisse credis et divinum me habes doctorem, nihilominus alienus adhuc es ab iis, in quibus et divi-

---

τελεχειαν, ut Aristotelis utar verbis, spiritus vocari potest); sic autem spiritus nondum revera est; hypostasis contra sine spiritu, ista esset conditio seu habitus, quo hominis continetur arbitrium et ipsius commodi studium. Vera autem hypostasis tenetur spiritu, et spiritus revera existens (qui vere est) nititur hypostasi. — Quibus omnibus, ut verbo rem absolvamus, addimus, nos quidem Lückio in eo assentiri, quod voces: *σαρξ ἐστι* et *πνευμα ἐστι* non idem significent ac vocabula: *σαρκικος ἐστι κ. τ. λ.*; sed ea de causa, quia substantiva (*σαρξ* et *πνευμα*) magis totius rei essentiam exprimunt (id quod ille locus denotare vult); adjectiva autem quandam proprietatem significant, ita ut illud magis ad esse, hoc magis ad habere spectet; nam verba: ex spiritu natus, spiritualis est, idem valent, quod: ex spiritu natus, spiritum habet; at verba: ex spiritu natus, spiritus est, indicant: essentiam hominis, e spiritu nati, esse spiritum (— sic ut exemplo utar, homo prudens non est prudentia, sed habet prudentiam —). Quid quaeso, quo tandem modo homo esse potest spiritus? Spiritus aeterna divinae cum humana naturae est conjunctio, qualem in Christo intueris; qui igitur in spiritu seu in Christo vivit, is in illa quoque unitate versatur, quo fit, ut homo neque externa ratione deum habeat, neque ipse sit omnino deus, sed in deo insit. Quomodo autem homo e spiritu renascitur? num iste spiritus, ex quo homo renascitur, ab homine separatus est? Quin imo spiritus, ex quo homo renascitur, atque ille, qui ex spiritu renascitur, unus est (id quod illius rationis, quam vis ad effectum, et hic ad illam habet, veritas est). Ex spiritu renascitur spiritus, seu ex spiritu natus, est spiritus i. e. spiritus in homine, sui ipsius est regeneratio; quapropter verba: homo ex spiritu renascitur, idem valent, quod: spiritus in homine renascitur. Atque idea spiritus haec est, quod ea, quae in ipso sunt sita, explicet (— a spiritu proficiscitur nova nascentia —), et in iis, quae explicavit, suam ipsius cognitam atque perspectam habeat naturam (— ipse spiritus est nova nascentia —). Sed manum de tabula!

num regnum et mea res vere agitur; nam fides illa, quod sim divinus quidam doctor, quia miracula ediderim, necessario converti debet in eam, quod miracula edam, quia non solum deus mihi adsit, sed quia deus in me homo sit factus; priusquam vero hunc deum unice in me, quem externarum rerum causa pro divino habes homine, efficientem videris, priusquam dei regnum vere inspicere potueris, prae omnibus necesse est, ἄνωθεν renascaris. Quibus verbis Christus Nicodemo significat, hominem non per ea, quae viderit, vel audiverit, vel revera esse facta crediderit, ad dei regnum pervenire, sed ut hoc efficiatur, longe aliis opus esse rebus. Quid vero verba illa „ἄνωθεν γεννηθῆναι" volunt? Dum homo in iis, quae ad naturam et mundum pertinent, rebus vivit, animali par similisque est; hoc tamen excepto, quod homo divinis instructus est facultatibus, quibus animal caret. Sed quoad homo solum sentit, videt, audit, cupiditatibus frangitur, instar est animalis, ad quod itidem ista omnia pertinent. Simulatque autem homo apertam earum, quas vidit et sensit, rerum conscientiam habet easque animo tenet, cogitare incipit; quo efficitur, ut homo tum eas res, quae inspiciuntur et cogitantur, tum quodvis animal superet; nam animalia, quamquam vident, sentiunt, audiunt, conscientiam tamen earum rerum, quae iis occurrunt, non habent, quia cogitandi carent facultate. Homo arbitrio gaudet et in iis rebus, quae ad sensus pertinent, et in iis, quae cogitationes attingunt; animal autem non nisi sensus suos ad arbitrium movere potest. Verumenimvero ipso illo sentiendi, cogitandi, agendi arbitrio homo se solo confisus, omnia suum in commodum facit, atque ea, quae tam in necessitate, quam in vera libertate sunt sita, negligit,

vel adeo etiam contemnit. Sic homo iis facultatibus, quibus omnia, quae cernuntur, superat, utitur, ut peccata committat et sese a deo divellat; quaecunque autem illa agendi ratione homo, suarum rerum studiosus, conficit, primâ eademque carnali continentur nascentia. Sin vero homo ea, quae ad mundum et naturam pertinent, talia esse intelligit, quae a summa veritate adhuc sint aliena; si cupiditatibus compressis a vita improba sese abstinet, si desiderio divinarum rerum captus, non tam arbitraria, quam necessaria ratione cogitare et considerate agere incipit: tum denuo nascitur seu coelitus renascitur (quod idem est), ac dei regnum ingreditur. Atque illa *βασιλεια του θεου* regnum est divini spiritus ac libertatis, veritatis et sanctitatis. Qui igitur sancto dei spiritu effectore et adjutore, ex altera parte ea, quae ad deum pertinent, perscrutari vel totam veritatis naturam perspicere studet; qui ex altera parte omne sui ipsius studium omnemque pravam cupiditatem abjiciens, libertati et sanctitati suam addicit vitam, et tam superbiam ob familiae suae nobilitatem, quam fastum, ex nimia gentis suae admiratione ortum, dimittit; — is revera versatur in deo, ejusdem regnum videt et denuo creatus seu recens natus est. Cujus novae nascentiae necessitatem Christus etiam atque etiam cum Nicodemo, qui in multis quidem populo suo praestabat, tum omnibus Israelitis atque inprimis Pharisaeis ceterisque, qui alicujus sectae erant asseclae, inculcat; id quod e vocabulo „vos“ (comm. 7.) apparet. Christus tamquam in Nicodemi persona respicit Judaeos omnesque istas sectas, quae judaicae religioni sese agglutinabant, eorum vitia detegit, eaque profert, quae ad transitum a falso ad verum, a vitio ad virtutem

sunt necessaria. Istâ, quae carne est fundata, nascentiâ, quacum cujusvis generis errores et peccata sunt conjuncta, omnes gaudebant, eâ autem, quae spiritu nititur, plerique carebant. Enimvero Judaei, quamquam avidissima rerum suarum cupiditate, turpi superbia, prava sentiendi ratione erant inquinati, nihilominus se nobilissimo genere natos, se solos ipsorum religione atque externa legis praeceptorum observatione deo esse acceptos opinabantur; quin etiam somniabant, fore ut Messias, dei regno in terra constituto, non solum totam religionem, omnes res sacras, ritusque ad deum colendum institutos repurgaret et denuo instauraret, sed etiam quaecunque ad sensus affectusque pertinerent, praeberet. Atque ejusmodi opinionibus, quae a carnali proficiscuntur nascentia, ipse Nicodemus erat imbutus; nam alioquin non exclamasset: „quomodo tandem haec fieri possunt!“ Inprimis autem Pharisaei, Nicodemi collegae, desiderio earum, quae carnem attingunt, rerum incensi erant. Hi enim neglectis et contemtis, quae veritate continentur, rebus, ceremonialia praescripta, jejunia, viles ritus, sacrificia aliaque hujus generis multa diligenter curabant, iisque morem gerebant, et pietatis ac probitatis speciem prae se ferentes et sanctam simulantes vitam, re ipsa malitiae, pravitatis, nequitiae erant referti. Tales inprimis homines Christus colloquio cum Nicodemo significat, qui a se discedant et radicitus alii fiant necesse sit, quoniam a dei regno longissime abhorreant. Nam iste verus et liber spiritus, qui dei regnum in mundo constituit, quasvis externas res, quibus hominis animus obstringitur, minimi aestimat, et perversam vitam detestatur; quaecunque ejusdem tangunt essentiam, non solum necessaria sunt et ra-

tioni deoque conveniunt, sed etiam ad omnes omnino homines pertinent. Quapropter isti, qui sua mente suaque voluntate se eminere, qui divinis laudibus prae ceteris hominibus vel populis se ornatos esse opinantur, qui sectam quandam sequentes, et inter paucos reclusi, a reliquorum hominum communione sese abstinent, tum libertatis spiritus, tum dei regni sunt expertes. Ejusmodi homines Christus compellit, his usus verbis: „nisi quis desuper fuerit natus, dei regnum videre non potest“ seu „nisi quis ex aqua et spiritu natus fuerit, non potest regnum intrare divinum“. — Quod grave dictum Nicodemo permirum videtur, quia, quamvis minus Pharisaeis multisque Judaeis erroribus et peccatis esset contaminatus, quodammodo tamen repugnabat contra verum dei verbum ejusque sanctam voluntatem revelatam, et quia in summa de regno Messiae opinionum perversitate versans, rudis erat et rerum divinarum ignarus; alioquin Christi doctrinae veritatem intellexisset, eique fidem habuisset. Itaque Christi verba ita fere sunt circumscribenda: tu signa mea multaque miracula vidisti ideoque ad me venisti; sed haec omnia parvi sunt momenti, quoniam dei regnum non tam miracula, quam veritatem et libertatem respicit, quapropter desiderio veri flagrans et peccatorum poenitentia motus, desiste de falsis tuis opinionibus et vitam a vitiis sordibusque purga i. e. aquae subi baptismum (— id quod negativa novae nascentiae est pars —); qua salutari mentis et vitae immutatione facta, fidem, amore sese praebentem efficacem, et amorem, in fide versantem, amplectere; quid verum sit, exquire et dei filiorum utere libertate i. e. spiritus subi baptismum (— que positiva novae nascentiae continetur pars —); qua ratione revera dei

regnum videbis atque omnino omni es fructurus beatitate. — Jam cognitum atque perspectum habemus, quid sibi velit illud „ὕδωρ“. Nequaquam Christus inanis ritus necessitatem (si exteriora spectas) Nicodemo inculcat; nam cujusvis generis rebus externis sine ulla dubitatione Nicodemus jam sat erat refertus; verumenimvero ea, quae isto ritu significantur, etiam atque etiam Christus Nicodemo commendat; quibus quidem totum se dedere velle ut Nicodemus palam profiteatur, baptismus e Christi mente et sententia ei est suscipiendus. Attamen non pauci exstant, qui nostrae sententiae repugnantes, acriter commoneant, quomodo suspicari possimus, Christum cum Nicodemo, viro extra fidem christianam versante, sermonem habentem, hac occasione usum fuisse, ut externum baptismi ritum institueret; nonne in dubio sit ponendum, quin Christus cum homine, qui solummodo externis rebus ac permultis istis caeremoniis judaicis adhaereat, in colloquium veniens, aquae baptismi necessitatem inculcaverit, atque eo quidem consilio, ut inde ab hoc temporis momento omnibus esset divinum institutum. Quam dubitationem allatam partim jam dissolvisse nobis videmur, partim aliis etiam rationibus refelli posse persuasum nobis est. Nam primum non omittendum est, quod iis, quae contra dicuntur, sine ullo merito ac jure baptismus talis denotatur ritus, quem ipse Christus minime fecerit; cur tandem Christus illum baptismum adiit, cur postea expresse instituit? Eadem de causa, quia Nicodemus, sive in sexcentis externis ritibus haesit, sive non haesit, extra fidem christianam etiamtum versabatur, Christus ei baptismum commendat, ut fidem christianam sit amplexurus. Num forte ei, qui jam multis ritibus ac caeremoniis inter-

erat, baptismus supervacaneus est? Quod si verum esset, totus baptismus et Joannis et Christi supervacaneus, nec ista opinio ridicula esset. Accedit, ut ipso tam Joannis, quam Christi baptismo declaretur, quosvis ritus externos, et quae iis sint similia, ad nihilum esse redactos; quapropter Nicodemo maxime sane baptismus erat necessarius. Judaei non nisi externos sequuntur ritus, quibus falsum supponunt sensum; ii autem, qui Joannis et Christi baptismum susceperunt, verum omnium rituum sensum, qui ipso baptismo continetur, habent. Praeterea ex iis, qui Christum baptismum significare voluisse negant, quaerimus, cur Christus vocabulo „ὕδωρ“ sit usus, nisi symbolicum quendam ritum, qui solus baptismus potest esse, designaverit? ὕδωρ quidem seu aquae baptismus, externa est res, qua nemo renascitur; interna autem res est symbolica baptismi significatio, quae spiritum monstrat, per quem solum renascitur homo. Qua de causa Christus quoque mox illud „ὕδωρ“ relinquit, et ad spiritum solum transit, in quo cardo est rei. Ex quibus omnibus, si certi a Christo instituti baptismi rationem habes, quid consequitur? Quemadmodum illo, quem Christus suscepit, baptismo ex altera parte Joannis baptismus approbatur, ita ex altera parte et christianus baptismus quodammodo jam instituitur. Nam tum ea, quae Christus agit, religionem quoque attingunt christianam, tum ipsa Joannis baptismi notio, quoniam ad Christum ejusque doctrinam tendit (bapt. in venturum Messiam), christiani baptismi in sancto spiritu perficiendi semina continet. Quare Christus illum Joannis baptismum necessarium habet transituris ad religionem christianam, simul sancti spiritus mentione facta, quo iste baptismus fieri incipiat chri-

stianus. Itaque Christi dicto baptisma in universum quidem necessarium ponitur et praecipitur, quomodo vero, seu qua certa forma sit exercendum, reticetur [41]).

§. 14.

Ea, quae modo sumus argumentati, efficiunt, ut facilius, quae illius, quem Christi discipuli exercuisse dicuntur, baptismi sit ratio, intelligamus. Videlicet ex Joannis evangelio apparet, Christi discipulos baptizasse, nec tamen expresse additum est, illum baptizandi ritum jam praescripsisse Christum, qui, ut diserte memoratur, ipse non baptizavit (vid. Jo. III, 22.; IV, 12.). Sunt, qui conjiciant, illum a Christi discipulis peractum baptismum et Joanneum non differre, quod eo magis verisimile sit, quod etiam Joannes vel illo tempore baptizasse narretur (Jo. III, 23.) [42]). Qua sententia indicare videntur, Joannis

41) Similem, eandemque duriorem sententiam de isto Christi effato proponit Knappius (l. c. p. 198.); qui postquam memoravit, baptismum beneficia novi foederis, a deo per Christum sanciti, pro signo et pignore habere, ita pergit: „Quapropter suscipiendi baptismatis necessitatem Jesus tum alibi urget, tum hic injungit Nicodemo (hominum laudis adhuc cupidiori, quam dei c. XII. 42. 43.) exigitque ab eo, ut se quoque suscepto baptismate disciplinae christianae addictum palam profiteatur.“ Attamen non tam externus baptizandi ritus, qualis est, isto Christi dicto, sed id, quod illo ritu significatur, Nicodemo commendatur et necessarium pronuntiatur; qua de causa baptismi necessitas ei injungitur. Quodsi solum externum ritum, neglecto vero sensu respicimus, facile opinari possumus, e Christi sententia illo ritu regenerationem effici. Sic ad unum omnes patres ecclesiastici illud salvatoris effatum ad necessitatem externi aquae baptismi, neglecta interna ritus significatione, referunt; ex quo ista orta est opinio, baptismo inesse magicam quandam vim a dei filio insitam, et quemcunque non baptizatum regni esse expertem divini. — Quae quidem accuratius infra observabimus.

42) Lückius postquam memoravit, multa sibi in eis, quae et

doctrinam seu baptismi sensum tum ante, tum post Christum semper eundem fuisse; de quo dubitemus. Nam ipsis Joannis verbis in N. T. commemoratur, Joannem post illum, a Christo susceptum, baptismum esse testatum, Christum Messiam seu dei esse filium (Jo. I, 34.); quare non potest omnino dubitari, quin ipse Joannes post illud tempus non, ut prius,

---

de Joannis et de Christi discipulorum baptismo narrentur, valde obscura restare, pergit (vid. ejusd. Comm. p. 617.): „Wir mögen uns die Taufe der Jünger Christi noch so sakramentalisch denken, wozu wir aber gar kein Recht haben: in ihrer Grundbedeutung kann sie doch keine andere gewesen sein, als die Johanneische, welche, wie es scheint, völlig hinreichte, den Eintritt in das Messiasreich zu eröffnen. Die Johanneische Taufe war ein Reinigungssymbol durch die Busse, konnte die christliche etwas anders sein? Oder will man die Worte des Täufers falsch verstehend, etwa meinen, Jesus habe mit Feuer und Geist getauft." — Quid vere sit „sacramentale" et cur non licitum sit, illud ad eum, quem Christi discipuli exercuerunt, baptismum, referre, Lückius demonstrare neglexit. Baptizandi autem ritus sacramentalis dici debet, si Christi, in quo aeterna dei cum homine unitas sit revelata, respectum habet; quod quin revera a baptizantibus Christi discipulis factum sit, nemo dubitabit. Qui igitur, Christo vivente, vel ante certum homines baptizandi institutum (Matt. XXVIII, 19.) in dei filium sunt baptizati, ii necessario etiam baptismi sacramento gavisi sunt; nam baptisma est sacramentum per ideam, in qua consistit; haec autem idea revelatam aeterni θεανθρώπου essentiam spectat; itaque, quum ante expressum illud institutum haec θεανθρώπου essentia jam adesset, etiam baptismus in illum θεάνθρωπον tam christianus, quam sacramentalis erat; nam quodvis christianum baptisma est sacramentale baptisma. Praeterea Lückius existimat, christianum baptisma, ut Joanneum, symbolicum esse purgandi ritum, qui solam poenitentiam respiciat; quod quidem tam verum, quam falsum est, ideoque quum verum non possit ambiguum esse, seu quum illic res non ab omni parte sit ponderata — falsum nobis videtur esse. Lückius enim non nisi unam christiani baptismi partem in animo habet; alteram non solum negligit, verum etiam eos, qui ex ejus judicio Joannis verba male intelligentes (?) persuasum sibi habeant, Christi ba-

in Messiam venturum baptizarit, sed in eum, qui jam venerit (cfr. Jo. III, 26. — cap. IV.); alioquin enim Joannes esset testatus, suum ipsius testimonium esse nullum. Quapropter non solum negamus hunc Christi discipulorum baptismum isti priori Joannis parem fuisse, ut jam supra ostendimus, sed etiam acriter contendimus, Joannem, siquidem ipse in ba-

---

ptismum esse ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ (Matt. III, 12.), reprehendit. Quid autem illud „male intelligere" sibi velit, iterum non ostendit. Num forte ii Joannis verba recte intelligunt, qui ea inanes esse sonos opinentur? Ab ejusmodi opinione Lückium sine ulla dubitatione abhorrere, persuasissimum nobis est. Sed quamquam nemo, hac nostra aetate, ea tenetur opinione, Christum per ipsum baptismum spiritum tribuisse, nihilominus in hoc spiritu (qui hac nostra aetate saepissime inanis habetur vox), sicuti Joannes in medium protulit, christiani baptismi verus sensus est positus; quod qui credunt, tum Joannis verba recte intelligunt, tum percipiunt, Christi baptismum (ut Joannes etiam profitetur) Joannis baptismum superare. E Lückio nobis quaerendum est, num ii Joannem male intelligant, qui ejus baptismum symbolice ἐν ὕδατι, ἐν μετανοίᾳ seu εἰς μετάνοιαν fuisse putent? Quod quum Lückium esse negaturum arbitremur, amplius quaerendum est, cur idem, quod apud Joannem usu veniat, in Christi baptismum, qui symbolice ἐν πυρί, ἐν πνεύματι ἁγίῳ seu εἰς πνεῦμα ἅγιον sit, non cadat? Quod Lückius iterum praetermisit. Joannis autem baptismus christiano demum perficitur; quapropter rectius dixeris, summam illius baptismi significationem ad christianum, non autem universum hujus sensum ad Joanneum tendere; nam Joannis μετάνοια, ut dei filii spiritum jam ponit (quum sine spiritu nulla fieri possit μετάνοια), sic etiam per Christi spiritum ad summum demum perducitur. Et qui a Christi discipulis in dei filium sunt baptizati, tum baptismum εἰς μετάνοιαν, tum εἰς πνεῦμα ἅγιον susceperunt; qua de causa Christus suum baptisma a Joanne non repetiit (quod ista Lückii verba significare videntur), sed Joannis baptismum suo eodemque superiore servavit. Sin vero spiritum christiano baptismo subtrahimus, non tam μετάνοια (quoniam haec quoque spiritum respicit), quam mera aqua ejusque sensus levidensis, ne dicam inanis, restat.

ptizando perseveravit atque suo ipsius testimonio fidem veram servavit, priorem suum baptismum mutasse. Ista quidem μετανοια, qua Joannis baptismi sensus continetur, retinebatur, quum una christiani baptismi pars illam complectatur; eo autem, quod in dei filium, qui venerit, baptizatur, etiam altera christiani baptismi pars quodammodo jam significatur, quoniam dei filius non est sine spiritu (βαπτισμα ἐν πνευματι ἁγιῳ). Id tamen non negamus, multos Joannis discipulos, quamquam ab eorum magistro illud testimonium erat perhibitum, nihilominus, aut, nulla Messiae ratione habita, εἰς μετανοιαν solum, aut εἰς μετανοιαν atque in venturum Messiam baptizasse, quippe qui Christum ut verum Messiam non agnoscerent. Nam ut illud testimonium pro vero cognitum atque perspectum habeatur, non solum externo tertii cujusdam hominis indicio, sed etiam interno pii animi testimonio opus est. Quodsi talem Joannis discipulorum baptismum spectamus, eum valde a christiano, quo venisse dei filium pronuntietur, discrepare, facile intelligitur. Sed Joannes illum Messiam revera agnoscebat, quapropter, futuris cum praesentibus conjunctis, suum poenitentiae baptismum non amplius in Messiam, qui exspectaretur, sed qui jam cerneretur, conferre debebat. Itaque ut paucis rem expediamus, non tam primus christianus baptismus par fuit isti priori Joanneo, id quod vulgo asseritur, quam posterior Joannis pedetentim christianus fieri coeptus est [43]).

---

43) Huic sententiae multisque aliis, quae de Joanne memoravimus, primo adspectu illud videtur repugnare Christi effatum, quod minorem in regno coelesti, Joanne esse majorem nos docet (Matt. XI, 11.). Ista βασιλεια των ὀυρανων (βασιλ. του θεου,

Jam in dubium vocari non potest, quin Christi discipuli, christianum exercentes baptisma, in dei

---

vid. sup.) omnis christianae doctrinae omnisque piae atque probae vitae fastigium designat; itaque regnum coeleste seu coelorum est dei spiritus (qui infinitum, aeterna vitae luce ornatum, est coelum) regnum, e veritate et sanctitate et libertate et beatitate exstructum. Ad quod religionis christianae culmen Joannes minime pervenit; is enim Messiae regnum proximum praedicans μετανοιαν primum commendabat necessariam, quapropter medium tenens inter religionem judaicam et christianam, baptizabat in venturum Messiam; quin etiam quum deinde ipsum Messiam et dei spiritum descendentem videret, dei filium revera in mundo esse et regnum coeleste initia jam cepisse testificatur; qua de causa Joannes, initio consummati temporis seu exordiente religione christiana versatus (tum si certum illius initii tempus, tum si ipsam spectas religionem, initium explicandae inter homines ideae jam facturam), baptizabat in dei filium, qui jam venerat; quo factum est, ut ante summam dei in Christo manifestationem nemo inter mulierum filios existeret Joanne baptista major. Verumenimvero coeleste illud regnum, quamquam initio non potest carere, in initio tamen non subsistit, sed in homine ad finem progredi, quin imo finem cum initio conjungere studet, ut ad summum evehatur, et omnibus suis partibus totum efficiatur. Qui igitur initio regni coelestis gaudet, is non nisi parte quadam fruitur; qui medio in regno coelesti versatur, tenet totum. Itaque quemadmodum parte totum est superius, sic is quoque, qui omnino in regno inest coelesti, quin imo jam is, qui initium est egressus (i. e. minor in regno coelesti) eum superat, qui in initio remansit; Joannes autem in initio versans significatur; itaque minor in regno coelesti Joanne baptista est major. — Restat, ut strictim ea, quae Paulus et Kuinoelius hac de re proposuerunt, inspiciamus (vid. Pauli Comment. ad h. l. part. pr. p. 707. et Kuinoelii Comment. ad h. l. vol. I. p. 309.). Uterque unum et idem sentiens (id quod hisce ingeniosis viris saepissime accidit) asserit, ex altera parte formulam „βασιλεια των οὐρ“ ad religionem christianam esse trahendam (non aliter interpretatur Schleusnerus aliique multi; vid. illius Nov. Lexic. in N. T. sub h. v.), ex altera parte per voces „μικροτερος et μειζων“ esse intelligendum „doctorem“ (minor religionis christianae doctor Joanne propheta seu doctore est major); quibus Kuinoelius addit, ipsum contextum talem explicationem fla-

filium ejusque divinam doctrinam, quae tam poenitentiam, quam novam et spiritualem vitam homini inculcat, baptizarint. At vero, quid ista verba, quae ipsum Christum non baptizasse nos docent, sibi volunt (Jo. IV, 2.)? *) Joannes causam, cur Christus non baptizarit, non attulit. Atqui nos suspicari non possumus, Christum illud ea de causa omisisse, quia (ut multi opinantur) aliis rebus, quae magis fuerint

---

gitare, quae etiam e Christi mente sit recta („Christo affirmante"); quod tamen ideoneis argumentis Kuinoelius non probavit. Toto autem undecimo Matt. capite ne verbo quidem christianus doctor memoratur; nec sine causa; nam quis tandem religionem christianam confessus, Christo vivente, erat doctor (si ea, quae vere doctoris sunt, spectas)? Illo tempore solus Christus (quod attinet ad religionem christianam) erat doctor et dominus; primi autem religionis christianae sectatores, non tam doctores, quam discipuli erant (a Christo docente discentes divinum verbum); ille docebat, hi non docebant, sed homines ad Christum docentem ducebant. Christi igitur discipuli sub finem demum Christi vitae, seu quum Christus ab iis erat discessurus, revera incipiebant docere (Matt. XXVIII, 19.). Istud autem, quod Paulus et Kuinoelius pro certo affirmant, quum non possit probari, nihil relinquitur, nisi ut quaeramus, num forsitan serioris aetatis doctores christiani seu theologi sint intelligendi? Jam quod ad hoc attinet, persuasum nobis est, Joannem quatenus de luce seu λογῳ sit testatus, multis fuisse majorem theologis, qui (ut in ecclesia nonnunquam accidit) non testati sunt de λογῳ, ita ut dubitare audeamus, an Christus, qui est aeternus λογος, Joanne parvi aestimato, hisce tam lubens palmam detulerit! Sicut autem illo Matt. loco non tam christianae doctrinae commemorantur doctores, quam quilibet Christi doctrinae verus sectator: sic etiam per „βασιλ. των οὐραν." non eodem, quo Paulus et Kuinoelius putant, sensu religio christiana intelligitur. Dubitamus, vel adeo negamus, e Christi et apostolorum doctrina, externum illud esse (ut ita dicam) in religione christiana, idem significare, atque το inesse in coelesti regno. Objective religio christiana est illa βασιλ. των οὐραν., quatenus hujus religionis solus deus est rex, atque in ea suae ipsius essentiae perfectissime sibi est conscius; subjective autem non tam is in illo coelesti regno inest, qui externa ratione chri-

necessariae, vacaverit, aut quia immersionem parvi habuerit. Nam de istis aliis rebus seu negotiis, quae quominus Christus baptizaverit, impedimentum fuisse dicuntur, toto Novo Testamento nil commemoratur; quapropter ejusmodi opinio idoneis rationibus nequit probari; praeterea vero, Christum baptismum magni aestimasse, ex eo inprimis patet, quod ipse baptismum subiit, eundemque instituit [44]. Quid tan-

stiana sacra sequitur, seu nomen hominis christiani profitetur, quam is, cujus tum cogitandi, tum agendi ratio Christi doctrinâ ducitur, atque in quo sanctus dei dominatur spiritus. — Jam postremo nonnulla Pauli verba, quae graviter nos commoverunt silentio non praetereamus. Ille scilicet postrema Christi verba (Matt. XI, 11.) sic interpretatur: „ὁ μικροτερος irgend einer, der nach den Talenten und persönlichen Eigenschaften bei weitem nicht so viel ist, als er (quam Joannes); deinde ἐν τῃ βασιλ. των οὐρ. scl. ὢν der aber innerhalb des himmlischen Reiches (religionis christianae) lebt; μειζων (est) ein grösserer, einsichtsvollerer Lehrer; αὑτου = ἢ αὑτος als er selbst.“ Cur is, qui in coelesti inest regno, cum Joanne indolem atque proprietates seu virtutes non adaequet, nec non quare christianus iste doctor sit major et sapientior, Paulus rationibus confirmare supersedit. Nos quidem non intelligimus, quid ista Pauli sibi velint verba, quibus ex altera parte Joannes propter indolem et proprias ipsius virtutes christiano doctore major, ex altera autem parte christianus doctor propter intelligentiam Joanne major praedicatur. Nam haec verba, quoniam necessario indoles intelligentiam, atque haec illam non excludit, sibi repugnant; qui intelligentiâ Joanne est major, is ab indole non potest esse minor Joanne. Si vero Joannes propter indoles et virtutes eum, qui in coelesti inesse dicitur regno, superaret, eâdem praestantiâ Joannes in coelesti excelleret regno. Eo denique, quod homo aliquis vocatur doctor christianus, nondum in regno coelesti vivit, quo alio sapientior dici possit; quod quidem jam ea, quae sunt in usu vitaque communi, nos docent.

44) In hac gravi et difficili re explicanda Kuinoelius et Paulus inter se consentiunt. Ille quidem ita sentit: „Jesus non baptizabat, quoniam munus docendi gravius erat et discipuli munere baptizandi aeque bene perfungi poterant; neque una cum discipulis baptizabat, ne inter sectatores suos dissidia orirentur

dem est, cur non ipse Christus baptismum exercuerit? Christiani baptismi sententia aeternum respicit dei filium, in quo divina natura cum humana in omne tempus sit conjuncta. Baptisma a Jesu Christo, in quo deus revera est factus homo, est institutum, ita quidem, ut illius idea et notio non tam

---

et rixae excitarentur ab iis, qui magistri baptismum discipulorum baptismo praeferrent, 1 Cor. I, 12." (Vid. ejusd. Comment. ad h. l. vol. III. p. 230 et 231.) Paulus autem de illo Joannis loco haec facit verba: „Er verwendete seine Zeit nicht auf das, was Andere eben so gut thun konnten. Das Volk zu erwecken, zu belehren war sein Hauptgeschäft, 1 Cor. I, 17." (Vid. ejusd. Comment. ad h. l. part. quart. p. 214.) Uterque igitur ad confirmandam suam sententiam Pauli apost. verba citat; sed neque uno loco Christus, rixas evitandi causa, neque altero loco docendi causa baptismum omisisse, fertur; quapropter uterque locus nil valet. Aequo autem et pari jure contra Kuinoelii sententiam suspicari possimus, eadem de causa, quia Christus non baptizaverit, dissidia oriri et rixas excitari debuisse; nam, quum Christus baptismum haberet necessarium, ii quoque, qui erant baptizandi, optare poterant, ut ab ipso Christo baptizarentur. Summatim arbitrariae suspiciones seu opiniones in quavis re explicanda sexcentae afferri possunt; quae quidem cunctae, quum necessariis careant argumentis, nil confirmant. Sic ex eo, quod homines quidam aeque bene atque alius baptizare possunt, non consequitur, hunc alium baptizare non debuisse. Kuinoelius et Paulus opponunt, Christo docendi munus fuisse gravissimum, quapropter eum baptizandi munus ad discipulos rejecisse. Sed omnino sunt gravia Christo omnia, quae docet atque praecipit, ita ut baptismus, quem exercendum praecepit tum gravis sit, tum ad ipsam pertineat doctrinam. Quo igitur probatur, Christum baptisma quodammodo parvi aestimasse, eumque baptizandi munus solis ipsius discipulis submisisse? Num Christus discipulos pro famulis habuit, quibus leves res gerendas daret? — Lückius hanc rem paucissimis expedit, dicens: „Man kann zwar ziemlich deutlich erkennen, warum Jesus nicht selbst getauft habe, er war ja des neuen Reiches König und Herr." (Vid. ejusd. Comment. p. 617.) Quae verba efficiunt, ut quaeramus, cur tandem novi regni rex et dominus non baptizaverit? Responsum iis, quae supra exposuimus, continetur.

hunc hominem, sed illum deum, qui in quolibet insit homine, spectet; quapropter Christus dicit: „baptizate eos (homines) in nomen patris, filii, spiritusque sancti". (Matt. XXVIII, 19.). Quodsi Christus baptismum ipse administrasset, hujus baptismi ideam ad semetipsum baptizantem (in quo λογος sit manifestatus) debuisset referre; jam vero hic baptizans, individua est persona; baptismi autem idea, ipso Christo affirmante (Matt. XXVIII, 19.), non tam individuam personam, in qua sanctus dei spiritus revera inest, spectat, quam eundem spiritum, qui in omnibus singulis versatur hominibus. Baptismi notio Christum non talem, qui est singularis quidam homo, sed talem, qui aeternus est dei filius, cum patre et spiritu sancto unâ substantiâ conjunctus, respicit. Seu cur tandem hic baptizans Christus, suâ ipsius singulari personâ posthabitâ, sacrae immersionis ideam ad illum unum deum, qui est pater, filius et spiritus sanctus, referre non potuit? Idem deus, qualis est, in Christi persona sese manifestavit, ita ut Christus, quando respiceret ad illum, se ipsum respiceret necesse esset. At vero deus non solum certo tempore atque in singulari quadam persona sese manifestavit, sed etiam omni tempore atque in omnibus hominibus per dei filium sese manifestat; quo fit, ut Christus, quippe qui (si summam ejus veritatem respicis) illa aeterna sit manifestatio (i. e. aeternus θεανθρωπος seu deus in homine sese explicans), ipse in omni genere tam verus sit, quam aeternus. Unde intelligitur, illum Christum, qui tempori erat subjectus, i. e. qui certo quodam tempore vixit, passus et mortuus est, sejungendum non esse ab illo, qui ab omni tempore liber in aeternum in sancto dei servatus est spiritu. Et hic

dei filius omni ex parte veritas est et libertas, ita ut etiam homo non nisi per eum verus et liber fieri possit. Verumenimvero, ne id, quod sentimus, in malam sumatur partem, monuisse suffecerit, deum revera in illo singulari Christo, cui quivis homo christianus toto animo fidem habere debet, perfectissime esse manifestatum, ita tamen, ut hic singularis Christus omni careat veritate, ubi eundem separaveris ab illo, in quo et per quem deus sese manifestat in aeternum i. e. qui in omne tempus, qualis est, in ecclesia atque in singulis versatur ecclesiae membris.

Quibus praemissis, quivis sua sponte intelliget, unum et verum deum in Christo quidem hominem esse factum, quo fiat, ut Christus illum deum respiciens, necessario se ipsum respiciat; veritatem autem hujus Christi esse positam in illo deo, ideoque Christum, si se ipsum respiciat, necessario illum deum seu aeternum *λογον* respicere. Infinitum et substantialem deum, qui omni est superior tempore, ut vere esse possit, in singulo homine, qui ad certum pertinet tempus, versari oportet; singulus tamen hic homo, ut verus esse possit, illi deo insitus esse debet; utrumque per sanctum dei spiritum, qui in omne tempus tum vere est, tum totam manifestat veritatem, efficitur. Jam vero, illa ipsa duplex, quam modo exposuimus, ratio, scilicet *λογου* ad Christi personam et vice versa ejusdem personae ad *λογον*, in re nostra tractanda bene est animo tenenda. Christus baptismum non exercuit, quia hujus sacramenti notionem neque ad aeternum dei *λογον* (Matt. XXVIII, 19.), neque ad se ipsum trahere poterat. Nam non potuit Christus baptismi ideam transferre ad *λογον* aeternum (tamquam ad tertium), quippe

qui in ipso Christo factus sit homo, ideoque illam ideam ad suam personam debebat referre. Quoniam vero baptismi notio non ad individuam quandam personam, cui λογος sit insitus, respiciat, sed ad λογον illum aeternum, qui inest omnibus hominibus, eâ de causa Christus baptismi notionem non in individuam suam personam, sed in unum illum communem λογον debebat referre. Jam vidimus, neque unum neque alterum fieri potuisse; itaque in re baptismi situm est, quod hic Christus, in quo quidem certo tempore λογος est patefactus, qui tamen, si singularem spectas personam, non est communis ille atque aeternus λογος, qui ad omne pertinet tempus — quod hic igitur Christus baptizare non potuit. Nunc vero si quaeris, quomodo tandem Christus baptismum potuerit instituere, quem ipsum non potuerit exercere, scito, hujus sacramenti institutionem tam ad certum tempus, quam ad singularem spectare hominem, in quo λογος factus est, carne praeditus; baptismi vero notionem, ut ostendisse nobis videmur, ad verum et sanctum dei spiritum, qui omnino omnibus inest hominibus, ut veritate et libertate frui possint. Ex quibus omnibus non minus apparet, Christi discipulos, quippe qui in Christum ejusque divinam doctrinam baptizaverint, necessario de dei filio seu de aeterno illo λογῳ, qui in hoc Christo revera insit, cogitare debuisse. Cui sententiae si repugnas, opineris necesse est, discipulos in hominem quendam (quamvis excellentissimum eum voces) baptizasse; quo quidem factum esset, ut discipuli superstitione, a qua abhorrent, imbuerentur. Quum vero illi discipuli, id quod nemo dubitabit, veram Christo, per quem deus omnem manifestaret veritatem suam, haberent fidem, necessario quoque tum in Christum,

qui in omne tempus est dei filius, tum in *λογον* illum, seu dei spiritum, qui in aeternum homini est insitus, baptizare debebant; cujus rei si rationem ducis, discipulorum baptisma revera christiano fuisse imbutum sensu, non ignorabis.

Sed jam satis multa de hac causa; reliquum est, ut, quam vim, ea quae modo explicavimus, ad certum habeant baptismatis institutum, moneamus. Ex iis, quae supra, in explicando eo, quod Christus cum Nicodemo habuit colloquio, percepimus, consecutum est, baptismi ritum esse peragendum; ex christiano discipulorum Christi baptismo sequitur, baptisma revera esse exercitum; jam quaeritur, cujusmodi sit ille baptismus, quem ex Christi mandato ecclesia debeat exercere. Quam quaestionem optime potuerimus absolvere eo, quod altius in Christi, homines baptizandi, institutionem inquirimus.

§. 15.

Baptismatis celebrandi negotium, quippe quod ad omne pertineat tempus, Christus ante suam in coelum adscensionem suis injunxit discipulis, hisce verbis: *πορευθεντες μαθητευσατε παντα τα ἐθνη, βαπτιζοντες αὐτους (αὐτα) εἰς το ὀνομα του πατρος, και του υἱου, και του ἁγιου πνευματος κ. τ. λ.*" („digressi omnium gentium homines discipulos facite[45]), eosque baptizate [ita ut eos baptizetis] in

45) Vocabulum „*μαθητευειν*" hoc loco non est, „docere" sed idem significat, quod „*μαθητας ποιειν*" (Jo. IV, 1.) discipulos facere (*μαθητευεσθαι* discipulum [factum] esse); quae significatio, omni exclusa tautologia, sequenti probatur voce „*διδασκοντες* (vers. 20.). Eadem ratione illud vocabulum usurpatur Act. XIV, 21. (*μαθητευσαντες ἱκανους*); atque ad eandem illius vocis passivam significationem recurrit formula: „*χριστου εἰναι*" Marc.

nomen patris, filii, spiritusque sancti, atque omnia servare doceatis, quae vobis mandaverim" Matt. XXVIII, 19.; cfr. Marc. XVI, 15. 16.). Erant, qui haec Matt. verba, seu formulam certe „*εἰς το ὀνομα του πατρος κ. τ. λ.*" omnino non a Christo esse profectam probare conarentur. Rationes tamen, quae contra illius loci authentiam sunt allatae, ejusmodi nobis videntur esse, ut eas silentio possimus praetermittere [46]); nam in omnibus Codd. et Verss. illa leguntur verba, neque conjectura ista, quae toto Novo Test. nullam hujus formulae fieri mentionem statuit, ullius esse potest momenti. Quis enim est, qui ignoret, omnem Christi doctrinam solum eo tendere, ut deo patri, dei filio, et spiritui sancto homo fidem debeat habere? (Vid. Jo. XIV. XV. XVI. XVII. XX, 17 alii.) Itaque illud effatum, a Christi doctrinae ingenio profectum, omni ex parte gravissimi est momenti, quoniam ea, quae Christus per vitam suam docuit, tamquam una comprehensione complectens, religionis christianae facit summam, et rationem, quam haec Christi doctrina ad totum habeat mun-

---

IX, 41.; 2 Cor. X, 7.; Gal. III, 29.; V, 24.; 1 Cor. XV, 23. Patres eccll. illa voce saepe et baptismum et doctrinam comprehendunt; sic Justinus Mart. (Dialog. p. 57. edit. Steph.): „Deus, inquit, judicium suum nondum protulit, *γινωσκων ἐτι καθ᾽ ἡμεραν τινας μαθητευομενους εἰς το ὀνομα του χριστου κ. τ. λ.*"; et alio loco (Apol. p. 27.): „*πολλοι τινες, οἱ ἐκ παιδων ἐμαθητευθησαν τῳ χριστῳ, ἀφθοροι διαμενουσι*"; de quibus verbis ut plura addamus, infra occasio nobis dabitur.

46) Rationes, quas inprimis Tellerus (Exc. II. ad Burneti librum de fide et officiis Christianorum. Halae 1786. p. 262.) contra illius Matt. loci authentiam adduxit, enumeratas et refutatas invenis apud Reichium (l. c. p. 120—130.). Contra Tellerum Christi effati authentiam bene defendit Beckhausius lib. insc. Ueber die Aechtheit der sogenannten Taufformel. Offenb. 1794.

dum, indicat. Non ad singulos quosdam homines, aut singulas nationes, sed ad omnes populos (παντα τα ἐθνη), ad totum mundum (τον κοσμον ἁπαντα), ad omnes omnino homines creatos (πασαν την κτισιν), illa, quae trinunum profitetur deum, pertinet religio. E Christi mente et sententia ad unum omnes, in trinunum deum, qualis est verus et sanctus spiritus, sunt baptizandi, ut per eundem spiritum et cum illo et inter se conjungantur. Quem enim admodum inter deum, patrem et filium, aeternum summi amoris est vinculum spiritus, quo uterque unitur; sic et inter homines commune, quo arctissime conjungantur, vinculum est verus et sanctus dei spiritus. Et gentilis et judaica religio ad hunc spiritum adnituntur; prophetae, Messiam vaticinantes, spiritum praesentiunt; Joannes per spiritum testificatur, Messiam in spiritu esse baptizaturum; Christus in eo, quem ipse subiit, baptismo per spiritum pronuntiat, se esse mundi sospitatorem; itemque Christus eo, quem instituit, baptismo declarat, omnes homines sanctum patris et filii spiritum summo studio debere prosequi. Per hunc igitur spiritum christiana religio universale habet ingenium, et indolem, quae ad omnes pertinet homines; neque minus per eundem spiritum is quoque, qui in religione versatur christiana, id in cogitando et agendo prosequatur oportet, quod omnibus est commune. Quapropter singularis homo illius unius et veri spiritus naturam nondum attingit, si propria sua ratione cogitare et cujusvis generis conjecturas facere valet; nam in ejusmodi meditationibus vel conjecturis, quas, a communi cogitandi ratione abhorrentes, homo solummodo suas habet, prudentia quidem vel etiam sagacitas contineri potest, minime tamen verus adest spiritus. Quae ab hoc pro-

ficiscuntur spiritu cogitationes, tum necessario modo sese explicant, tum omnibus sunt communes hominibus, si quidem etiam illi item necessario cogitare vel illas sequi student cogitationes. Quodcunque homo sua ipsius arbitraria ratione comminiscitur, id (etsi acute sit excogitatum) non ad illum pertinet communem et divinum spiritum, quo ea religio, quae e Christi sententia omnibus est communis, nititur. Nec magis ea, quibus homines plures vel familiae, vel ordines, vel sectae quaedam sese a reliquorum hominum communione separant, verum attingunt spiritum. Nam quaecunque isti homines, qui sectam quandam sequuntur, de cogitandi et vivendi sentiunt ratione, opposita sunt iis, quae communis omnium hominum spectat sensus. Atqui, quod verum est, non separatione continetur. Qui propriis igitur doctrinis et peculiaribus vivendi legibus a communi cogitandi et agendi sese separant ratione, opinionibus et arbitrio ducuntur; nam veritas et necessaria libertas seu libera necessitas in ecclesia sita est et civitate, quarum utraque a christianae religionis est profecta ingenio. Unus et sanctus hujus religionis spiritus cuivis opposito (quo omnes laborant sectae) sese opponens, ad communem tendit veritatem et libertatem, ita ut istorum frangat hominum pervicaciam, qui aut stupore oppressis sensibus, aut levi animo et arbitraria mente verum discindere vel pervertere student. Ille spiritus, qui in necessitate versans, liber est, et veritatis persequitur vestigia, sensum cum mente, fidem cum ratione conjungit. Sicut autem christiana religio tam ea, quae singularis homo sua ipsius facit auctoritate, quam ea, quae propriae vitae sectae suo arbitratu et judicio observant, oppugnat: ita hujus religionis indoles et natura cuivis quoque sese oppo-

nit populo, qui superbia vel arrogantia ductus, aliis prae se contemtis populis, id potius intuetur, quod sibi, quam quod universis sit utile. Quodcunque exiguis unius populi terminis est contentum, certis finibus inclusum ideoque finitum est; spiritus autem, fines omnino tollens, infinitus, omnesque gentes respiciens, universalis est. Per hunc veritatis spiritum ea, quae unius sunt propria populi, subjiciuntur iis, quae omnibus sunt communia populis; atque idem amoris spiritus, omnium nationum spectans libertatem, istam suae gentis admirationem, cum aliarum gentium contemtu conjunctam, reiicit. Quapropter christianus veritatis et libertatis spiritus non solum judaicis sectis, sed etiam ipsi judaicae nationi (ejusque religioni), quippe quae invidiam foveat odiumque, sese opponit; quum Christi doctrina solum id agere studeat, ut omnes omnino gentes arctissimo amoris teneantur vinculo. Judaica religio, cuivis aliarum gentium ingenio proprio opposita, solum in iis vertitur, quae particularis judaica natio ingenio ac moribus insignia habet atque propria; christiana contra religio quodvis ingenium cujusvis nationis proprium, eo ad veritatem adducit, quod omnes homines creatos ad unum illud spiritus regnum, quod fide continetur atque amore, ducere studet; quapropter etiam hujus religionis baptismus ad omnes pertinet gentes. Quae omnia si animo tenemus, permirum nobis videtur, quod, exoriente ecclesia christiana, plerique apostoli, tum Christi effato, tum universali religionis christianae indole male intellectis, dubitaverunt, an Christi doctrina etiam gentilium sit nationum (Act. XI, 4—18.) [47].

---

47) Qui hujus dubitationis causa opinatur, Matthaei verba

Cujus dubitationis causa non alia potest afferri, nisi quod ipsi s. Apostoli inveteratis Judaeorum de gentilium nationum sorte opinionibus tunc temporis fuerint imbuti. Neque enim a Christi doctrinae ingenio, sed a judaica religione ejusmodi proficiscitur opinio, certam quandam nationem, non tam propter veram rerum divinarum cognitionem piamque vitam, quam ob originem suam, magnis et divinis bonis inter reliquos omnes praestare populos. Atqui, quum apostoli, dei spiritu ducti, christianae religionis naturam altius indagarent, bene etiam intelligebant, divinam Christi doctrinam ad omnes totius mundi pertinere gentes; id quod ultimum Christi praeceptum evidentissime comprobare perspicuum est.

Sed jam satis, opinamur, probatum est, tum Christi doctrinam, tum baptismum ad omnes cujusvis gentis pertinere homines [48]); quaeritur autem, num e Christi effato baptismus etiam ad omnes cujusvis aetatis pertineat homines? Alii illis Christi verbis infantium baptismum certo esse praescriptum

---

(XXVIII, 19.) non esse genuina, is ostendat necesse est, omnes illos locos, quibus Christus se totius mundi esse sospitatorem, suamque doctrinam ad omnes, ne uno quidem excepto, pertinere homines docet, esse spurios; id quod, opinamur, nemo facile conabitur. (Vid. Marc. XVI, 16., cujus loci nec non totius evangelii Marci clausulae integritatem defendit Kuinoelius in Comment. vol. II. p. 188—193. Praeterea vid. Luc. XXIV, 48.; Jo. III, 18. 36.; XII, 48.).

48) Sociniani, quamquam Christi verborum integritatem non oppugnaverunt, nihilominus opinabantur, Christum baptismum non eo consilio instituisse, ut omnibus temporibus in ecclesia conservaretur atque in unoquoque adhiberetur, sed ut in transituris Paganis et Judaeis exerceretur. Eadem ratione etiam opinari possumus, Christi doctrinam non ad omnia pertinere tempora vel omnes omnino homines, sed solos ad Paganos et Judaeos, qui ad religionem christianam sint accessuri.

putant, quoniam sacrae immersionis necessitas ad omnes cujusvis conditionis, generis et aetatis referatur; quibus alii adversantes arbitrantur, Christo affirmante (Marc. XVI, 16.), neminem sine fide posse baptizari, quapropter infantes e sacrae scripturae mente non esse baptizandos. Solent autem ii, qui pro paedobaptismo propugnant, addere, Apostolorum aetate etiam familias esse baptizatas (Apost. XVI, 15. 33.), et Christum ipsos infantes, quorum sit regnum divinum (Matt. XVIII, 2 sqq.; Marc. IX, 35. 36.; X, 14. 15.), ad sese convocasse. Attamen, quamquam tota familia sacrae lotioni esse immersa fertur, nihilominus valde dubitandum est, num in illa familia infantes fuerint, numque, iidem infantes, si affuerint, sint baptizati. Nam neque illius neque hujus rei Apostolorum acta certiores nos faciunt. Caeterum quod ad istos attinet infantes, quos Christus ad sese vocasse dicitur, in dubium vocari non potest, quin Christus non tam eorum aetatem, quam modestiam mentisque innocentiam, ab omni mala impiaque cogitatione vel voluntate adhuc alienam, laudet atque commendet. Non, qui aetate, sed qui mente tamquam parvulus est, regnum ingreditur coeleste; itaque ex ejusmodi Christi dictis paedobaptismi necessitas neutiquam potest probari. Atqui ex illo denique Matthaei loco consequitur quidem, omnes omnino homines esse baptizandos, nec tamen praescribitur, qua aetate unusquisque baptismum debeat suscipere; quare Christi effatum non distincte docet, infantes, dum sint infantes, esse baptizandos. Illud vero, quod infantes Christo affirmante, baptizari non debeant, pariter atque alterum sacrae scripturae testimoniis confirmari non potest. Nam apud Matthaeum verbum „μαθητευσατε" (quod per „βα-

πτιζοντες" et „διδασκοντες" accuratius explicatur — ita ut eos baptizetis et doceatis etc.) significat „discipulos facite"; a quorum numero infantes, siquidem jam prima aetate non solum naturalis sed etiam spiritualis vita initium cepit, omnino non possunt excludi. Itaque, quemadmodum apud Matthaeum Christus non jubet, baptismum priorem esse ponendum cumque demum doctrinam sequi debere, ita etiam apparet, apud Marcum non statui, fidem debere antecedere. Verborum ordinem in N. T. saepe neglectum invenimus; secundum Matthaeum e Christi mente is, qui baptizatur et docetur (ita ut Christo fidem habeat), Christi discipulus est, secundum Marcum is, qui fidem Christo habet (ita ut doctrinam toto animo amplectatur) et baptizatus est, salvus praestabitur. Baptismi igitur necessitas tam Matthaei, quam Marci loco profertur, neque additum est, post doctrinam demum seu fidem baptismum esse suscipiendum, quum non legamus: postquam aliquis primum fidem habuit et deinde baptizatus est, salvus praestabitur. Quibus omnibus sat confirmasse nobis videmur, neque unum, neque alterum, si paedobaptismum spectas, e sacra scriptura posse probari; causam tamen, cur infantium baptismus sit statuendus, tertia scriptionis nostrae parte afferemus.

Iis, quae hactenus pertractavimus, baptismatis institutio est illustrata; jam videamus oportet, quomodo prima ecclesia id, quod Christus praecepit, sit secuta; quare ad explicandam baptismatis formam transeamus.

§. 16.

2. Christi mandato obtemperantes, Apostoli quemvis ad christianam religionem transeuntem, sa-

cra immersione initiant (Act. II, 38. 41.; VIII, 12. 36.; X, 47. 48.; XVI, 15. 33.; XIX, 5.) [49]); atque ex illorum mente et sententia baptismus publicus est actus, quippe quo declaretur, transiturum peccatorum agere poenitentiam, eum Christo habere fidem, et tam peccatorum remissionis, quam sancti dei spiritus esse participem. Quamquam in hoc administrando baptismo Apostoli nihil aliud, nisi Christi exequuntur praescriptum, nihilominus Paulus istam administrationem parvi videtur aestimare, dicens, se a Christo non esse legatum, ut baptizaret, sed ut evangelium praedicaret (1 Cor. I, 17.). Attamen Paulus hoc loco nequaquam vult dicere, illum baptismum, in quo Christus sit rei caput, minimi esse momenti, sed eum baptismum, in quo **baptizans** pro summo habeatur, parvi facit. Pauli igitur verba ita circumscribi possunt: Non in baptizantem (in nomen baptizantis) estis baptizati, ita ut dicere possetis „ego sum Pauli, ego Apollinis, ego Cephae, ego Christi“ sed idem baptizans, sive hic, sive ille est, vos in **unius Christi doctrinam** baptizat, ita ut prorsus

---

49) Jam supra monuimus, in Novo Testamento vocem „βαπτισμος“ seu pl. „βαπτισμοι“ judaicos designare purgandi seu baptizandi ritus (Marc. VII, 8.; Ebr. IX, 10.), „βαπτισμα“ autem solennem vel Joannis, vel Christi baptismnm (Matt. III, 7.; XXI, 25.; Marc. I, 4.; Luc. III, 3.; VII, 29.; XX, 4.; Act. I, 22.; X, 37.; XIII, 24.; XVIII, 25.; XIX, 4.; Rom. VI, 4.; Eph. IV, 5.; Col. II, 12.; 1 Pet. III, 21, alii); praeterea ad baptisma pertinere dicuntur, formulae λουτρον παλιγγενεσιας (Tit. III, 5.); λουτρον του ὑδατος (Eph. V, 26.); et simplices voces „ὑδωρ“ (Act. X, 47 cfr.; Jo. III, 5. et 1 Jo. V, 6. 8.); „ὑδωρ καθαρον“ (Ebr. X, 22.); denique in epist. ad Ebr. (cap. VI, 2.) illi „βαπτισμοι“ tum ad judaicum baptizandi ritum et ablutiones, tum ad Joannis et Christi spectare videntur baptismum; perinde ac si apostolus dicat: non iterum loquamur de iis — quae ad baptizandi morem (ad baptismos, inter se comparatos) pertinent.

nihil referat, quis vos baptizarit. Vos tamen baptismum seu baptizantem, neglecta Christi doctrina, maximi facitis, quin imo ipsos Christi apostolos ad ejusmodi baptismum exercendum esse missos putatis: attamen minime equidem propter illum externum ritum, sed ob veram dei filii doctrinam, ad quam ipsa baptismi sententia tendit, legatus sum. Baptismus igitur sine doctrina (sine vera sententia) minimi est momenti, doctrina autem res omnium est gravissima, cujus causa ego quoque baptizavi. — Apostolum baptismum, siquidem *εἰς το ὀνομα του χριστου* exerceatur, non parvi aestimasse, ex eo apertissime apparet, quod ipse, se Crispum, Cajum et Stephani familiam baptizasse, palam profitetur; id quod Christi jussu fecit. Christus enim hujus ritus administrationem revera Apostolis praescripsit, ita tamen, ut externa aqua, quae in exercendo baptismo adhibetur, symbolicam habeat significationem, qua hominis baptizandi animus ad revelatum ducatur dei verbum. Ipse Paulus hanc symbolicam baptismi significationem praeclare exponit, admonens: „Ignoratisne, nos, quotquot in Jesum Christum baptizati fuerimus, ad mortem ejus esse baptizatos. Itaque per baptismum ad mortem cum eo sepulti sumus, ut, quemadmodum Christus *δια της δοξης του πατρος* ex mortuis suscitatus fuerit, ita nos quoque in vita nova versemur etc.“ (Rom. VI, 3. 4 sqq.) Atvero hic locus multum habet difficultatis, quapropter accuratius est explicandus. Apostolus baptismum symbolicum mortis et resurrectionis significat ritum, ita ut, ex ejus sententia, homo baptismo ad mortem Christi accepto, symbolice cum Christo mortuus sit et cum eo resurrexerit. Quae symbolica significatio, nisi eam inanem habes speciem, ipsâ homi-

nis vitâ confirmata sit, necesse est. Quapropter, ut, quae Apostolus significat, intellectu comprehendamus, primum quaeritur, quae sit vera Christi mortis et resurrectionis ratio, et deinde, quomodo homo cum Christo, seu Christus in homine tam possit mori, quam resurgere? Apostolo sine ullo dubio aeternus dei filius (λογος) in mente versatur, quocum homo christianus tum ipsa morte, tum resurrectione arctissime esse debeat conjunctus. Christus videlicet non tam eo verus cujusvis singularis hominis reconciliator est, quod certo tempore vixit, et quod ejus corpus passum et mortuum est, sed eo, quod per dolores et mortem aeternam iniit vitam, idemque, qualis aeternus in homine vivus dei est λόγος, pro piis dei cultoribus atque ob impios homines in omne tempus patitur et moritur. Dei filius ex altera parte pro iis, qui ipsi gravissimo peccatorum dolore afflicti, in veritate versantur, patitur, itemque ex altera parte ob eos, qui veritati (seu ipsi λογῳ) repugnantes, impietati atque delictis indulgent. Mors denique dei filii (nisi eam pro inani vitae fine, qui nihilo par est, habes), summum omnium passionum et dolorum est fastigium, quo jam ad aeternam spiritalem vitam fit transitus. In hac morte passiones revera sublatae sunt, ita, ut mors ipsa ad vitam agat, itaque sine resurrectione cogitari nulla possit mors. Atque illa Christi mors et resurrectio, quae certo tempore sunt factae, omni ex parte ad veritatem adducuntur eo, quod dei filius (λογος) in omne tempus spiritali et infinita ratione in veris dei cultoribus tam mortem (ob peccata), quam resurrectionem (unitatem hominis cum deo per Christum i. e. novam vitam) subit. Accedit, ut illa dei filii resurrectio et facta sit et in aeternum fiat per patris majestatem

(δια της δοξης του πατρος) i. e. per patrem sese glorificantem (illustrantem in resurrectione illa); nam in ipsa resurrectione (quatenus Christus et resurrexit et semel factam resurrectionem ad veritatem evehens, in aeternum per spiritum in homine resurgit) summa dei cernitur gloria seu majestas, atque per eandem dei majestatem i. e. per deum, in homine sese glorificantem, homo ipse in nova vita versatur, seu, quod idem est, resurgit. Jam vero baptismus, e Pauli mente, symbolice tum mortis ostendit necessitatem, tum resurrectionis; atque homo revera illam Christi mortem adit (seu Christus in homine et pro homine moritur), si acerbissimo peccatorum dolore afflictus, ad veritatem convertit mentem; sicuti idem Christi resurrectionem subit, si totus in deo vivit, seu dei λογος (aeternus Christus) in eo expergefactus illucescit. Itaque, ut rem absolvamus, ex divina Apostoli mente, qui per baptismum Christi morti sunt immersi, ii etiam per vitam revera Christi morti immersi sunt, si ab omnibus vitiis et peccatis purgati, in spiritu emergunt, atque veritate et sanctitate ducti, resurgunt, i. e. in quibus Christus revera est resurgens. Christus enim (aeternus λογος) ipse omnis est resurrectio et vita (Jo. XI, 25. et 26.) [50]).

---

50) Koppius, hunc Pauli locum explicans, haec in medium profert: „Caeterum similitudinem omnem (mortis scilicet), verbis magis, quam re ipsa contineri, quum alia prorsus sit mors Christi, alia Christianorum, quisque videt (videlicet ἀποθανειν συν χριστῳ respondet formulae antecedenti ἀποθνησκειν τη ἁμαρτιᾳ vel ἐπερωταν ἀγαθην συνειδησιν 1 Pet. III, 21.)“ vid. ejusd. Comm. ad h. l. edit. tert. p. 118. — Cujusmodi levis interpretatio, quae ex arbitrio Apostolum inania commiscere verba statuere videtur, gravem et christianam hisce Pauli verbis

Eandem, quam modo exposuimus, symbolicam significationem Paulus alio loco (Col. II, 12.) ita

---

subducit sententiam. Koppius, quamquam mentem solum in carnali infigere videtur morte (quae ipsius carnis causa ad nihilum tendit), nihilominus ne intelligit quidem, corporis Christi mortem (videlicet neglecto spiritu) cuivis alii esse parem. Una eademque mors cuivis, ne uno quidem excepto, homini communis est; per spiritum tamen Christus vitae necisque habet potestatem. Sin vero nihil aliud, nisi carnalem in animo habes mortem, Christi corpus quiescit in sepulchro (neglecta nimirum — ne verba nostra male intelligantur — vera et necessaria dei filii resurrectione), atque cum illo eadem cuivis carni seu corpori fortuna est communis. In vera autem spiritualis hominis morte tam ipse Christus, quam ejus mors in aeternum revera vivit; mors enim non sine nova vita esse potest. Koppius ex gravibus Pauli verbis solam verborum similitudinem (sonitum) cognoscit, quia (alios, quos non accurate explicat, citans locos) gravem sententiam per vocabula sibi invicem similia vult explicare; sententia autem per rationem tam explicanda est quam intelligenda. Simili modo Koppius in explicandis verbis „της δοξης του πατρος" memorat, vocem δοξαν idem valere, quod כָּבוֹד et עֹז, et utrumque inprimis significare vim divinam (ibid. „ad eamque — vim div. — etiam hoc loco unice vocabulum referendum esse, res ipsa — i. e. Koppius — docet"). Recte vocabula quidem sibi paria videntur esse; christiana autem, a Koppio praetermissa sententia, quae in verbo „δοξα" inest, valde abhorret a judaica, quam vox כָּבוֹד habet, quoniam Christus vel Apostolus nunquam docuit, patris gloriam seu majestatem esse divinam quandam vim (vid. quae supra contra Paulum disputavimus). — Tholuckius, cui quidem in explicanda της δοξης voce hebraicum illud vocabulum magni quoque est momenti, addit tamen: „Es bezeichnet den Inbegriff aller göttlichen Eigenschaften, und daher auch einzelne hervorragende göttliche Eigenschaften (cur?), wie die Allmacht (qua tandem de causa?). So wird ψ 68, 36. Jes. XII, 2. das Heb. עֹז durch δοξα übersetzt" (vid. ejusd. Comm. ad Rom. p. 186.). Attamen, quamquam heb. עֹז per δοξαν vertitur, nihilominus, quod attinet ad notionem, heb. עֹז nunquam idem ac christ. δοξα est; enimvero, num ex Judaeorum sententia, Jeho-

explanat: „Circumcisi estis — circumcisione Christi, quoniam in baptismate estis sepulti cum Christo

---

vae eaedem, quas christianus habet amoris pater, sunt proprietates? Ceterum Tholuckius recte quidem monet, δοξαν omnes comprehendere dei proprietates; sed non cum eo consentimus, quum omnipotentiam inter ceteras omnes eminere autumat, seu potius talia δοξης notioni subdit. In deo (id quod divinae majestatis respicit notio) mira omnium proprietatum est unitas, neque sanctus dei spiritus disjectis continetur membris, quorum alia ab aliis sejungi seu super alia possint excellere (quo quidem saepissime dogmaticae, quae inveniuntur, explicationes tendunt). An propterea omnipotentia urgetur, ut dei filii resurrectio tamquam subitus, improvisus et miraculosus omnipotentiae actus significetur? Quam rem neque δοξης notio neque Apostolus hoc loco attingit. Christus per patris majestatem seu per deum, qualis omnibus suis proprietatibus sese glorificat (i. q. „per summam et efficacissimam dei majestatem seu potentiam Eph. I, 19.), resurrexit, quod idem est atque: pater (in) filii resurrectione sese perfectissime glorificavit (Jo. XVII, 4. ; atque ex Apostoli mente etiam nos, quippe qui ad mortem Christi simus baptizati, Christi resurrectionis instar, in nova vita versari debemus; quod iterum non nisi per patris in nobis sese manifestantem (illustrantem) majestatem fieri potest (Col. I, 11.; 2 Cor. IV, 14.); quare si homo in nova spiritus vita versari dicitur, idem est, ac si dicitur: dei gloria in hocce spirituali homine sese illustrat (Jo. XVII, 22.). — Praeterea Tholuckius (ibid.) ad verba: „εἰς τον θανατον“ (vers. 4.) annotat: „Ganz gewaltsam haben Mehrere, wie Calov, Castalio, Seb. Schmidt, Wolf dies zum Verbo συνεταφ. gezogen und vom Sündentode verstanden. Da vorher das εἰς θανατον von dem Tode Christi vorkam, so wäre durchaus noch ein Zusatz erforderlich gewesen, falls hier der Sündentod bezeichnet werden sollte. Richtiger daher die Aeltern, und Homberg, Chr. Schmid u. A., welche εἰς τον θαν. mit βαπτ. verbinden und wie vorher von dem Tode Christi verstehen, auf dessen Gemeinschaft die Gläubigen die Taufe empfangen.“ — Suffragamur quidem Tholuckio, verba εἰς τον θαν. ad βαπτ. referenti, sed ea de causa, quia altera ista Calovii explicatio ad tautologiam redit; nam sepultura mortem jam ponit; qui cum Christo sepelitur necessario cum eo etiam mortuus est, neque oportet, eum in mortem demum cum Christo sepeliri. Atqui haec verborum re-

(pariter ac Ch.), in quo (Christo — vid. Rom. VI, 5.) etiam suscitati estis per fidem efficaciae dei, qui illum e mortius suscitavit" (i. e. per fidem, quae est efficaciae dei, seu quae nititur dei efficaciâ, qui Christum e mortuis suscitavit; itaque Christus δια της δοξης του πατρος suscitatus est Rom. VI, 4.). Eandem fere, quam ex altero cognovimus loco, sententiam Apostolus hoc loco aliis exhibet verbis. Dum pravis homo deditus est cupiditatibus, caro vim suam exserit, solaque vivit, ita ut spiritus tamquam sit mortuus; quum autem homo a studiorum pravorum amore liberatus cum Christo moritur, jam spiritus efficacem sese incipit praebere, ita ut caro sit mortua; quum denique homo, exuta pravitate et vitâ emendatâ, toto animo iis se dedit, quae sunt vera

---

latio ad βαπτ. nequaquam impedit, quominus formula εἰς τον θαν. etiam ad hominis peccatorum mortem referatur. Ipse Tholuckius, quamquam, illa verba solum ad Christi mortem referens, contra Calovium ceterosque disputat, nihilominus addit, homines, fidem Christo habentes, ad Christi mortis communionem esse baptizatos. Quo tandem homo hanc communionem nisi ipsa peccatorum morte ostendit? Quid aliud haec sibi vult communio? Peccatorum mors extra dei filium fieri non potest; singularis autem Christi mors extra hominum peccatorum mortem vera caret idea et notione, quam, etsi a Tholuckio est neglecta, revera habet. Itaque verba „βαπτ. εἰς τον θαν." objective quidem ad Christi mortem, subjective tamen (ejusdem, de qua Tholuckius cogitat, communionis causa) ad baptizati hominis peccatorum mortem sunt referenda. — Quae denique Tholuckius in explicando capite sexto de carnali resurrectione, vel de carnali et spirituali resurrectione, vel de resurrectione in hac vita solummodo exspectanda, comminiscitur, haec omnia e divinis Pauli verbis difficile cognoscuntur. E Christi mente et sententia non nisi una est resurrectio; atque qui in hacce vita cum Christo moritur, in eadem vita cum Christo etiam resurget (Rom. VI, 5.); nec minus, qui in Christo vivit, in resurrectione vivit; nam Christus est resurrectio (Jo. XI, 25.). Sed de hisce disputandi jam alio loco occasio nobis praebebitur.

atque sancta, Christus, e mortuis per patris gloriam resuscitatus, in eo revera vivit, ita ut jam ipse in Christo (λογῳ) per dei efficaciam sit e morte suscitatus. Ex Apostoli judicio baptisma tum hominis mortem seu sepulturam (i. e. negativam novae vitae partem), tum resurrectionem (i. e. positivam spiritualis in Christo collocatae vitae partem) symbolice significat. Ipse autem Apostolus, symbolica baptismi significatione hîc praetermissa, illam resurrectionem per fidem, quae a dei proficiscatur efficacia, perfici monet. Quomodo hoc fieri potest? Infinita resurrectionis idea neque certum quoddam tempus, quod (sive hanc, sive alteram illam spectas vitam) firmis concludatur finibus, neque hominem, quatenus, secundum carnem vitam agens et nimia suarum rerum cupiditate raptus, carne confidat, respicit. Nam sicut aeternitas, quippe quae sit infinitum tempus, non finito quodam tempore (etiamsi hoc tempus ut futurum post vitam praesentem rejicias, quo iterum — eâdem vitâ i. e. fine quodam — finitum fiat tempus) potest concludi, sic et resurrectio, quae aeternitatem spectat, non certo temporis spatio potest includi, sed quovis dimenso tempore est superior; quapropter eadem resurrectio non tam vitae demum tempus sequitur, quam tum futurum, tum praeteritum tempus per spiritum cum praesenti conjungit. Nam spiritus intellectu comprehendit veritatem, quae et temporis praeteriti et temporis futuri est summa; resurrectionem autem (quatenus resurrectione gaudens homo veritate gaudet) parem esse veritati nemo inficiabitur; itaque una illa praesentia, quum veritatis non sit expers, etiam resurrectione non caret. Jam ista quoque resurrectio, quae ex altera parte in tempus praeteritum, ex altera in tempus futurum

dicitur incidere, ad summam adducitur veritatem per spiritum illum, cujus vita aeternâ continetur praesentiâ. Christus resurrexit; alioquin in ecclesia non viveret; resurrexit autem, ut per eum singula resurgere possint ecclesiae membra, quae nisi resurgerent, ne Christus quidem (quoniam caput ecclesiae non nisi in membris potest resurgere) suscitatus esset [51]. Deinde, quod attinet ad mortuorum re-

51) Paulus Apost. de resurrectione agens, praeclare admonet: „εἰ γαρ νεκροι οὐκ ἐγειρονται, οὐδε χριστος ἐγηγερται“ (1 Cor. XV, 17.); Christi igitur resurrectio et mortuorum arctissime inter se cohaerent, ita ut illa, hâc nisa, omnino nulla sit, nisi mortui resurgunt. Jam, quodsi mortuorum resurrectio in incertum quoddam tempus, post vitam demum incepturum, differtur, etiam Christi resurrectio in illud mortis tempus est procrastinanda; nam, nisi mortui resurgunt, etiam Christus non est suscitatus i. e. (in) mortuorum demum resurrectione Christi resurrectio omnino est vera; qui ergo in vita nullam esse mortuorum resurrectionem asserunt, hi eo ipso Christi resurrectionem, quippe quae sine illa nullius sit momenti, in vita (quod Deus prohibeat) omnino nullam esse contendunt! Verumenimvero, non est deus, deus mortuorum, sed viventium! (Matt. XX, 11.) Quid viventem inter mortuos quaeritis? (Luc. XXIV, 5.). Christus non inter mortuos vel pro mortuis sed inter vivos et pro vivis a mortuis resurrexit; ipse enim acriter inculcat: „ἀφες τους νεκρους θαψαι τους ἑαυτων νεκρους (Matt. VIII, 22.) i. e. qui ad sublimiora et altiora non adspirant, seu, qui vivi extra Christum, resurrectionem et vitam versantur, mortui sunt, eosque decet, ea, quae ad mortua pertinent corpora, curare; nam ipsi mortua sunt corpora, seu potius, quia, spiritu neglecto, vitam in carne habent collocatam, capita mortua. Cujusmodi caput mortuum sepulturâ profecto non resurgit; nam ipsa sepultura mortem, minime vitam continet. „Το πνευμα ἐστι το ζωοποιουν“ (Jo. VI, 63.); resurrectio autem est vita; itaque sine spiritu, qui in aeternum, qualis est, in vita versatur, nulla esse potest resurrectio. Nonne vides ergo, vehementissime insanire, qui resurrectionem carne mortua, vel cadavere (spiritu nimirum minimi aestimato) constringi opinantur? Quod ad carnem attinet, Paulus docet: „Qui carnem sequuntur, carnalia sentiunt, qui spiritum, spiritualia; caro tendit ad mortem, spiritus ad vitam

surrectionem, haec omnino nullà esse potest, nisi iidem mortui jam in vita sunt gavisi resurrectione;

---

et salutem. Rom. VIII, 4. et Gal. VI, 8." qui in carnem suam severit, ex carne metet perniciem, qui vero in spiritum severit, ex spiritu metet vitam aeternam; cfr. Jo. VI, 63.; 1 Pet. I, 24 alii. — Quibus omnibus facile intelligimus, eum, qui maximi faciat carnalia, in quibus spiritus veluti est mortuus, ipsum esse mortuum, eum autem, qui animum divinis applicet rebus cognoscendis, in quibus spiritus revera vivit, esse e mortuis suscitatum. Accedit denique, ut is, qui resurrectionem carne fundatam esse opinetur, necessario Christum quoque (θανατωθεντα μεν σαρκι, ζωοποιηθεντα δε πνευματι, 1 Pet. III, 18.), quippe qui sit resurrectio, carnalem habeat: itaque, quum Joannes doceat: „το πνευμα ἐστι το ζωοποιουν· ἡ σαρξ οὐκ ὠφελει οὐδεν (VI, 63.) tam Christus, quam resurrectio (quod deus avertat) nihil prodesset! Tholuckius (in explicando commate quinto cap. VI. epist. ad Rom. Comment. p. 188 et 189.), postquam, (sua ipsius, quae distincte et accurate debebat exponi, silentio fere praetermissa explicatione) modo cum hoc, modo cum illo in eandem abiit sententiam, postremo (quod nobis videtur permirum) addit: „Nicht unzulässig wäre auch die Annahme Limborchs, dass dem Apostel bei dem Worte ἀναστασις beide Beziehungen, die geistliche und die leibliche, vereint vorschwebten (praeterea jam alia multa e Tholuckii judicio Apostoli animo in hac re obversabantur), insofern die leibliche Auferstehung als Complement der geistlichen gedacht werden kann (quibus verbis proxime antecedentia videntur repugnare: „oder wir müssen es — so erklären, dass in diesem Leben der Christ noch nicht vollkommen zur geistlichen Auferstehung gelange"), da ja erst dann die völlige Genesung von der Sünde zu Stande kommt, wenn der Mensch der Erde entrückt wird (scilicet sepulcrum portus est otii et pacis!). Illis Tholuckii verbis (ne hoc loco singula pertractemus) „insofern die leibliche Auferstehung als Complement der geistlichen gedacht werden kann" divinum Pauli effatum (1 Cor. XV, 44 sqq) opponendum est: „σπειρεται σωμα ψυχικον, ἐγειρεται σωμα πνευματικον κ. τ. λ." et v. 46.: „ἀλλ᾽ οὐ πρωτον το πνευματικον, ἀλλα το ψυχικον, ἐπειτα το πνευματικον" et v. 50.: „τουτο δε φημι, ἀδελφοι, ὁτι σαρξ και αἱμα βασιλειαν θεου κληρονομησαι οὐ δυναται, οὐδε ἡ φθορα την ἀφθαρσιαν κληρονομει." Nonne haec Pauli verba, quae primum corporalia seu animalia, et deinde spiritualia esse, adeo etiam, quae carnem et sangui-

enimvero tam insane et impie nemo audebit garrire, ut ejusmodi homines, qui in vita infenso animo in Christum seu resurrectionem fuerint, post vitam in veritatis spiritu dicat resurrecturos; qui vero in vita fruuntur resurrectione, iidem etiam post vitam resurrectione nequaquam sunt privati, quoniam ille spiritus seu *λογος*, in quo et per quem sunt suscitati, aeternus est, neque corporis morte ipse moritur, sed in deo, infinitae vitae fonte, remanet. Vita autem

---

nem regni divini heredes fieri non posse docent, reclamant Tholuckii sententiae, quae corporalem resurrectionem (ideoque, ut opinamur, etiam corporalia) spiritualis resurrectionis (i. q. rerum spiritualium) esse complementum, statuit? Ex Apostoli mente est corpus animale et corpus spirituale (vers. 45.); videlicet in illo spiritualia iis, quae sunt corporalia seu animalia, omnino sunt supposita, in hoc spirituali corpore, omnia carnalia subjecta sunt spiritui, in quo summa sita est potentia. Deus, qui infinitus est spiritus, omnium rerum est complementum (ut Tholuckii utar voce) atque homo, quatenus in illo versatur spiritu, eatenus hujus particeps est complementi. Deinde e Pauli sententia ea, quae putredini sunt subjecta, heredes fieri non possunt eorum, quae sunt incorruptibilia; e Tholuckii autem judicio ea, quae sunt incorruptibilia (spiritualia) heriditate accipere student ea, quae sunt corruptibilia (corporea); nam quo minus Tholuckius negabit, spiritum esse incorruptibilem seu immortalem, eo minus ibit infitias, corporalia esse corruptibilia et putredini obnoxia; non autem illa incorruptibilia (immortalia) his corruptibilibus, sed haec corruptibilia (mortalia) complentur illis incorruptibilibus (1 Cor. XV, 53.) Summatim difficile intelligitur, quot sententiae, quot corpora, quotque spiritus non Apostoli menti, sed Tholuckii animo obversentur; quotquot vero et qualia e Tholuckii arbitrio sint corpora, semper id tenendum est, quodvis corpus putredini esse expositum; itemque plures spiritus, sine rerum repugnantia et confusione non posse cogitari; unus est spiritus, eodemque fundata est resurrectio, quippe quae sit hypostatica. Enimvero spiritum unicam esse hypostasin, ecquis est, qui neget?

extra resurrectionem eadem est, ac deus extra vitam. Attamen, quo tandem modo homo in vita resurgit? Ex Apostoli mente per fidem efficitur resurrectio. Atque revera homo, qui fide, dei filio habita, tenetur, in eo est, ut resurgat, quia fides id agit, ut homo, opinionibus commentis abjectis, perversa voluntate fracta et vitiis magis magisque exstinctis, totum se dedat Christo; quatenus autem Christus in homine resurgit, ita idem ille homo est suscitatus. Fides hominis animum cum divino conjungit spiritu, quo ad summa nitatur et ad dei amorem sese applicet; itaque qui ad fidem et amorem, ad veritatis et sanctitatis tendit spiritum, idem ad resurrectionem tendit; atque quo minus fides et amor in tempus, vitae finem secuturum, sunt differenda, eo minus resurrectio a vita est excludenda. — At vero, quae disputavimus, jam suffecerint, ut intelligatur, quae vera sit symbolicae baptismi significationis ratio. Monendum tantum est, Paulum pro iis, quas modo exposuimus, formulis etiam verba adhibere „ἐνδυεσϑαι Χριστον" (Gal. III, 27.: „ὁσοι γαρ εἰς Χριστον ἐβαπτισϑητε, Χριστον ἐνεδυσασϑε κ. τ. λ." Cfr. Rom. XIII, 14.; Col. III, 9. 10.; Eph. IV, 24.); quorum sententia ad eandem fere cum Christi morte et resurrectione baptismi comparationem redit, ac si Apostolus dicat: Vos olim quidem religione, vel proprio nationis ingenio, vel ordine, vel servitutis ac libertatis conditione, vel moribus et aliis ad vitam pertinentibus rebus unus ab altero sejuncti fuistis; nunc autem, Christi doctrinae addicti, et per unum veritatis et libertatis spiritum eadem fide atque amore imbuti, divinas spectetis res easque rectis studiis contendatis necesse est, quo unus alteri sit par, et ad unum omnes unius capitis corpus, unius corporis in-

ter se paria sitis membra; quae omnia symbolice baptismus jam eo significavit, quod in unum illum Christum baptizati ideoque tam ejus morti, quam resurrectioni estis immersi. Quotquot in Christum sunt baptizati, iidem Christum induentes, sanctae vitae vestigia sequuntur; itaque cum Christo omni ex parte arctissimis conjuncti sunt vinculis.

Reliquum est, ut quaeramus, num sacra scriptura symbolicae baptismi significationis causa immergendi in aquam praescribat ritum. Paulus, ut vidimus, solummodo immergendi et emergendi ritum in animo habet; neque minus in ecclesia apostolica, ut mortis Christi communio significaretur, totum baptizandi corpus aquae vel flumini immergebatur, et deinde, ut resurrectionis Christi societas innueretur, corpus iterum emergebat, seu extrahebatur ex aqua. Dolendum quidem est, hunc ritum, quippe qui aptissime symbolicam baptismi significationem ante oculos ponat, esse mutatum; attamen idem mutatus ritus, quamquam minus priore est perfectus, nequaquam baptismi naturam seu id, quo baptismi sententia tendit, immutat [52]). Ut Christus in insti-

52) Qui in baptismo administrando totius corporis in aquam mergendi necessitatem statuunt, tribus vulgo utuntur argumentis, et primum quidem, quia in baptizandi ritu sepultura seu mors ac resurrectio Christi repraesentetur, deinde quia Christus et omnes priorum saeculorum homines christiani per immersionem sint baptizati, et postremo, quia vocabulo „baptizare" nihil aliud, nisi „totum corpus aquae immergere" significetur. Ad primum argumentum quod attinet, jam ostendimus, etiam adspersionem ad Christi mortis communionem spectare; deinde fatendum quidem est, primis saeculis immersionem usu receptam fuisse communi; attamen eodem tempore propter baptizandi morbum aliumve casum adversum etiam adspersioni vel perfusioni locum fuisse, nemo ignorat; quodsi adspergendi ritu vera baptismi na-

tuendo baptismate nullam immergendi necessitatis facit mentionem, sic etiam Paulus in explicanda symbolica baptismi significatione, non tam immergendi necessitatem ostendit, quam simpliciter explanat, quid symbolicus baptizandi ritus sibi velit. Itaque, si externo ritu mutato, baptismi sententia non mutatur, eadem mutatio nil habet, quod illicitum dici possit; quare adspersio vel perfusio, quae e Petri sententia itidem Christi respicit mortem (1 Pet. I, 2.; cfr. Heb. XII, 24.), eadem ratione, qua immersio, est permissa. Sed tam aqua, quam immersio vel adspersio ad ea, quae baptisma reddunt christianum, externam habent rationem; omnium autem, quae ad formam pertinent, summum id est (objectum), quo refertur baptismi sententia in administrando; qua de re jam accuratius est agendum.

§. 17.

Ut sacrae immersionis institutum Matt. loco XXVIII, 19. continetur, ita ibidem etiam forma christiani baptismi constituitur; quare res postulat, ut nunc accuratius Christi mandatum perlustremus, et videamus, qualis quantaque illius, quae vulgo dici-

---

tura mutaretur, aetate apostolica et posteriori tempore ejusmodi baptisma (baptisma clinicorum) profecto non esset admissum. Vox denique „βαπτιζειν“ (a βαπτω deriv. — טָבַל, טְבִילָה) non solum „aquae immergere“ sed etiam simpliciter „lavare, aqua purgare“ significat; id quod permultis locis, tum e profanis scriptoribus tum e N. T. libris, petitis probatur. Matt. VII, 4.; Luc. XI, 38. vid. Schleusneri Lexic. sub h. v.; qui plura de hac re desiderant, adeant Jo. Gerh. Vossii opp. tom. tom. VI. de baptismo p. 255 sqq.; atque imprimis Guil. Walli lib. sup. cit. part. II. p. 391. 393. 462—495.; ubi in indigesta mole non prorsus inutilia possunt reperiri.

tur, formulae baptismalis sit vis ad baptismum administrandum. Verborum „βαπτ. εἰς το ὀνομα, bapt. in, i. e. ad confitendum nomen" sensus hic esse videtur: baptizate homines in deum, qui nominandus est pater etc., seu ad cujus essentiam pertinet, quod est pater etc., i. e. qui in manifestando sese ostendit tamquam patrem etc., ideoque hoc nomen habet; nam deus nomen habet, quatenus suam essentiam revelat, cui revelationi ipsum nomen est consentaneum. Apud Judaeos deus legem constituit, quare ei nomen est legislatoris seu summi judicis; per Christum deus infinitum suum explicavit amorem, quapropter ex christianae religionis ingenio ei est nomen patris, cujus tota essentia in filio revelata inest, et per amoris spiritum in filio conservatur in aeternum. Itaque vocabulum „nomen" etsi multis quidem locis nullam fere habet vim, hoc loco dei respicere videtur proprium, quod nihil aliud est, nisi quod pater, filius, spiritusque est sanctus. Deus autem in N. T. vocatur pater, a quo omnium rerum origo sit derivanda, qui in omnibus vere insit, atque omnia eodem complectens infinito amore, ea hominibus praebeat, quae necessaria sint, vera et bona (Matt. V, 45. 48.; VI, 1. 4. 6. 8. 9. 14. 15. 18. 26. 32.; VII, 11. 17. 18.; X, 29. 30.; Luc. XI, 2.; Jo. VIII, 26. alii). Quamquam e Christi doctrina deus omnium quidem est pater hominum, imprimis tamen pater appellatur dei filii, qui ab aeterno in patris sinu versatus, patrem omnibus explicarit, qui sicut pater in omne tempus operetur, et quaecunque pater faciat, ipse quoque faciat (Jo. I, 14. 18.; II, 16.; V, 17. 20.; Matt. VII, 21.; X, 32. 33.; Marc. XIV, 36. alii). Quapropter eundem filium sacra scriptura dicit deum, qui nunquam non vivat, qui mundum crearit et conservet,

qui dei loco habitus, aeque ac pater, divino sit honore colendus (Jo. XVII, 5.; VIII, 58.; I, 3. 4. 10.; Col. I, 15.; Jo. V, 23.; Heb. I, 6.; Rom. XIV, 10. 11. alii). Duplicis autem rationis causa, quam ϑεανϑρωπος ex altera parte ad deum, ex altera parte ad hominum genus habet, duplex quoque ei est nomen; videlicet λογος, qui de patris substantia genitus, aeterno omnium rerum initio una erat cum deo, ita ut pater, qualis est, in eo cerneretur: dei est filius unigenitus (Matt. II, 15.; III, 17.; IV, 3. 6.; VIII, 29.; XIV, 33.; Marc. I, 1. 11.; III, 11.; V, 7.; IX, 7.; Luc. I, 32. 35.; III, 22.; IV, 3. 9. 41.; Jo. I, 14. 18. 34. 50.; III, 16. 17. 18.; V, 25. alii); deinde vero idem λογος, quatenus ad redimendum genus humanum factus est, carne praeditus, et hominibus par similisque in Jesu Christo vixit et passus est: hominis vocatur filius (Matt. VIII, 20.; IX, 6.; X, 23.; XI, 19.; Marc. II, 10. 28.; VIII, 31. 38.; Jo. I, 52.; III, 13. 14. 16.; V, 27.; VI, 27. alii). Per hunc denique ϑεανϑρωπον, in quo pater totam suam manifestat substantiam, homines quoque, in eo versantes, dei sunt filii (Matt. V, 19.; Luc. VI, 35.; XX, 36.; Rom. VIII, 14. 19.; IX, 26.; 2 Cor. VI, 18.; Gal. III, 26.; IV, 7.; Heb. XII, 5—8.). Ceterum jam ex consuetudine scriptorum V. T., secundum orientalem loquendi usum, reges, magistratus aliique homines insignes nominantur dei filii (Ps. LXXX, 6.; Jer. XXXI, 20.; cfr. Jo. X, 34.); attamen si ad judaicae religionis ingenium animum convertis, neque deus revera pro patre, neque homines pro dei filiis haberi possunt; quae enim hanc dei, ut patris, erga homines, ut filios, rationem spectant, ea jam ad religionem adspirant christianam (Ps. II, 7.; 2 Sam. VII, 14.; Ps. LXXXIX, 27. 28). Judaica enim re-

ligio, nondum cognoscens, deum suam ipsius naturam revelare, ideoque dei filium ignorans, homines quoque, ut dei filios, agnoscere nondum potest; Judaeorum pater Abrahamus est; Jehova autem ex eorum judicio dominus vel summus est judex, cui homines, ut servi, obedientia sunt obligati; quapropter ex judaicae religionis notione homines non per internum amoris vinculum, quod inter patrem obtinet et filium, sed per externum legis vinculum, quod inter dominum est et servum, cum deo conjuncti sunt. Omnino autem illa cogitatio de deo, ut patre, et de λογῳ ut filio unigenito, per quem homines quoque dei fiant filii (per gratiam seu adoptionem), veluti imago est, ab humanis repetita conditionibus; deus, cujus natura est spiritualis, neque ex humana ratione pater, neque filius est. Nihilominus ista imago ex omni genere fundatur veritate; videlicet deus, quippe qui omnium rerum sit principium, quod non aliud quicquam, sed se ipsum habet originem, pater adúmbratur; deus autem, quippe qui ex sua ipsius causa vel fonte sit egressus, quo in rerum praesentium specie appareat divina substantia, filius significatur. Illam vero divinam essentiam, ex qua omnia sunt orta, nobis fingere possumus ut genitorem, hanc autem, quae in rebus consistit omnibus creatis, animo cogitare licet, ut genitum, seu substantialiter ut aeternum dei filium unigenitum; unum ab altero sejungi non potest, quoniam illud sine hoc vacuum est, seu idea, formae expers, hoc autem sine illo fortuitum, seu forma, verâ carens ideâ. Aeterna denique utriusque unitas, qua filius cum patre (i. q. genitum cum genitore) conjungitur, divinus est spiritus, qui tertia illa vocatur persona, qua deus praeter patrem et filium continetur. E sacrae scripturae doctrina

ille spiritus, qui eodem, quo pater et filius, dignitatis et majestatis loco habendus, ac sicut uterque, pro deo sit venerandus, ex altera parte a patre et filio non sejunctus, ex altera autem parte ab utroque distinctus est (1 Cor. II, 10 sqq.; XII, 3. 4. 5. 6. 11.; Jo. XIV, 17.; Rom. IX, 1.; Matt. XII, 31.; XXVIII, 19.); spiritus nimirum, quamquam a patre (qui est principium) et a filio (qui videl. est ex principio), si utrumque per se spectas, revera distinctus est, nihilominus utriusque essentiam continet, quo et cum illo et cum hoc sit unitus. Quapropter Christus eum vocat paracletum, qui de patre et filio testans, apostolos et quosvis evangelii sectatores omnia, a patre in filio revelata, sit edocturus, ad omnem veritatem perducturus, ipsumque salvatorem illustraturus (Jo. XIV, 16. 17. 26.; XV, 26.; XVI, 7. 13. 14. alii).

Ex quibus omnibus vides, doctrinam de deo triuno ex intimo manare Christi doctrinae ingenio, ita ut evangelii sit fons, et quemadmodum verborum Christi in terra versantis conclusio, sic religionis christianae summum, in quo tam principium situm est, quam finis. Hinc intelligimus, cur a Christo apostoli jubeantur, quemvis, religionem christianam amplexurum, fidei in deum patrem, filium spiritumque sanctum per baptismum obstringere. At vero ipsi Christi mandato repugnare videtur baptismus, qui ab apostolis non in nomen patris, filii, spiritusque sancti, sed in nomen Christi esse exhibitus fertur (Act. II, 38.; VIII, 12. 16.; X, 48.; XIX, 3. 4. 5.; Rom. VI, 3.; Gal. III, 27.; 1 Cor. I, 13 et 15.; cfr. 1 Cor. X, 2.). Formulae „*εἰς το ὀνομα, ἐν τῳ ὀνοματι, ἐπι τῳ ὀνοματι*“ eandem habent vim, ita ut *εις* (*ἐν*, *ἐπι*) in confessionem, ad confitendum etc., *ὀνομα* autem, ut jam ostendimus, ea significet, quae Christi i. e.

Messiae seu dei filii sunt propria; itaque vocabulum ὄνομα non tam tautologiam redolet, quam accuratius illum, qui verbis „εἰς Χριστον" (Rom. VI, 3.; Gal. III, 27.) inest, sensum exprimit. Sed haec minoris sunt momenti; in eo jam rei cardo vertitur, utrum apostoli solum in Christum, an in trinunum deum baptizaverint. Lucas, quamquam in apostt. actis saepius baptismum esse peractum narrat, nunquam tamen verborum, quibus Christus in instituendo baptismo usus est, facit mentionem; neque minus in omnibus reliquis N. T. libris, certa trinitatis formula, in baptismo administrando adhibita, reticetur. Qua de re permultae propositae sunt conjecturae, quae quidem facile possunt excogitari, firmis autem e sacra scriptura vel historia petitis argumentis vix, ac ne vix quidem stabiliuntur. Sacra scriptura certiores nos facit, apostolos, quamquam a Christo in trinunum deum baptizare jussi erant, nihilominus „εἰς ὄνομα Χριστου" revera baptizasse. Quomodo haec inter se cohaerent? Num apostoli erant immemores Christi mandati? an ipse Christus suum praeceptum exigui habuit momenti? Permulti, qui hanc rem pertractarunt, aut ad illam, aut ad hanc opinionem ex arbitrio animum inclinarunt, etsi ne ullum quidem invenitur vestigium, quo vel apostolos Christi mandata neglexisse, vel Christum ipsius doctrinam parvi aestimasse, probari possit [53]).

53) Doctrina de trinuno deo, quae formula baptismali manifesto continetur, jam inde a tertio saeculo ipsis christianis theologis maximae fuit offensioni; quapropter semper fuerunt, hodieque sunt, qui dolo, fraude, et vi sacrae scripturae illatis, christianae religioni illam doctrinam temere subtrahere non erubescant; qui laureolam in mustaceo quaerentes, et non nisi nugis delectati, ipsi insipientes, in quibusdam judaicis vel ethnicis

Quum iis, quae in N. T. libris de peractis narrantur baptismis, fidem adjungamus necesse sit, du-

---

opinionibus multum sibi sapere videantur. Sabellius autem, Arius et Macedonius antesignani sunt, in quorum partes multi transeunt, qui patre in majus celebrato et laudibus ad sidera elato, filium, tamquam legatum divinum vel excellentissimum hominem, et spiritum s. tamquam coelestem quandam vim modice frigideque laudant, alta scilicet atque intenta voce clamantes, neque filium, neque spiritum s. esse posse deum. — Reichius (vid. lib. sup. l. p. 133 sqq.) de baptismali agens formula, dei filii ideae haec subesse autumat (l. c. p. 136.): „Formulam filii dei e judaica theologia, Messiam ita denominante Jo. I, 50.“ (— ubi Nathanael, Christum esse dei filium et Israelitarum regem, dicit; Reich. non solum nomen, sed etiam dei filii notionem ad judaicam theologiam videtur rejicere, quo quidem ipsa christiana theol. parum abest a judaica —) „derivatam esse, notissimum est. Quonam vero sensu Christus in se, filium dei, baptizari jubet? Si Christi ipsius effatis acquiescimus, necessitudo Jesu cum summo numine, filii et patris symbolo expressa, eo consistit, ut Christus partim proxime ad divinam (h. sanctissimam) agendi et sentiendi rationem (?) accedat (Jo. IV, 34.; X, 30.“ — ego et pater unum sumus. Nonne Reichium praeclarum horum verborum putas interpretem? Dolendum sane est, quod Judaei istam Reichii sententiam e Christi verbis non cognoverunt; tum manum certo non movissent, ut Christum lapidarent —); „quare deo, tenerrimo eum amore foventi, maxime probatus est; partim penitiore et perfectiore de numine supremo ejusque voluntate cognitione gaudeat“ (hoc scilicet est Reichii illud: „Christi ipsius verbis acquiescere!“). Deinde de spiritu s., postquam eum secundum ipsissima Christi effata esse internam θειου efficaciam et vigorem in discipulis leviter affirmavit, addit (l. c. p. 138.): „si vero (Christus) de spiritu s. nonnunquam tamquam de persona loquitur (Jo. XIV, 26.), hoc ad orientalium linguarum indolem hebraicumque loquendi usum (cf. Hos. XI, 7.; 1 Reg. XXII, 21.) referatur oportet“ (— quibus verbis, quamquam Reichius ab hypostatico spiritu abhorret, nulla ratione, spiritus hypostasin esse nullam probari, postea videbimus —). — Paulus (vid. ejusd. Comm. ad Matt. l. part. tert. p. 924.) de trinuno deo ita sentit: „Ausser diesem gehört es zu den umfassendsten Sprachbemerkungen, dass Vater in allen Reden Jesu ohne Ausnahme die Gottheit selbst bezeichnet“ (non

bitare non possumus, quin apostoli revera in nomen Christi seu in Christum baptizarint; attamen aposto-

---

tam pater per se, quam pater, quippe qui simul sit spiritus, est numen; ex Pauli judicio filius et spiritus s. ad ipsum numen non videntur pertinere; quod Christus nunquam docuit), „dass Gottessohn in dem vorzüglichsten Sinne (quot sensus Paulus de dei filio habeat?) ein Synonym des Messias" (qui Messias e sacra scriptura ille initio una cum deo versans est λογος), „so wie Jesus dieser" (i. e. e nostra sententia, ille λογος) „war, und sein wollte, ist" (s. schon bei Marc. I, 1., ubi Christus ὑιος του θεου seu Messias vocatur) „und dass το ἁγιον πνευμα entweder die Gottheit als eine heiligwollende Geisteskraft, oder den Messias als eine solche, oder die Geisteskraft des Menschen, insofern er das Heilige zu wollen vermag, bezeichnet" (sacra scriptura non plures, sed unum spiritum agnoscit; quodsi igitur unum ab altero separas, illud „aut — aut" non magis ad veram spiritus essentiam quadrat, quam neque — neque). — Ludovicus autem Wegscheiderus (vid. ej. Institt. Theol. edit. qu. p. 264.) de dei filiis et de dei filio inter alia haec proponit: „In libris N. T. filiorum seu liberorum dei nomen hominibus quibusvis, deum secundum religionis christianae praecepta pie colentibus, tribuitur, quo similitudo quaedam cum deo moralis significatur" (Matt. V, 9. 45.; Luc. VI, 35.; Jo. I, 12.; Rom. VIII, 14—16.; Gal. III, 26.; Phil. II, 15.; 1 Jo. III, 1. 2. — in quibus locis de dei quidem filiis, neque tamen de ista morali similitudine sermo est; Christus autem de dei filiis seu iis, qui veram dei filio habent fidem, dicit (Jo. XVII, 20 et 21.) „oro pro iis — ut omnes unum sint, quemadmodum tu pater in me es, atque ego in te, ut illi etiam in nobis unum sint" ex quo vides, e Christi mente et sententia, dei filios non tam moraliter deo (externa ratione) similes, quam revera cum deo et in deo unitos esse debere; in quo dei spiritus inest, is etiam vere in ipso inest deo —). Wegsch. ibid. pergit: „Saepissime autem et sensu quidem ideali (?) et metaphorico Jesus Christus appellatur dei filius" (scl. etsi hic Ch. simplex est homo) „ita ut nomen illud non diserte ad naturam [siquidem ejusmodi compellationes, velut generationis notio, non nisi ratione quadam symbolica et analogica in summum numen transferri possunt" (cf. tamen „— quamquam hic locus nil probat —" Luc. I, 35.)], „sed potius ad virtutem" — quod iterum istam moralem cum deo spectat similitudinem — „qua insignis fuit, amoremque, quo deus illum propterea amplectitur" (itaque idem dei

los baptismum in Christum, quippe qui sit aeternus λογος peregisse, bene animo teneamus, necesse est.

---

filius morali demum vita sua similitudinem cum deo assequi seu potius dei amorem sibi conciliare debuit; num talia e sacra scriptura probari possunt?) „praecipue vero ad munus illi mandatum de regno Messiano instituendo et dignitatem inde oriundam sit referendum, ideoque cum Christi s. Messiae et filii hominis nomine plane congruat" (quae verba excipit turba locorum, ex quorum nullo tamen, Christum virtutis causa appellari dei filium, potest evinci). De spiritu s. verba faciens, Wegsch. in medium profert, jam apud Judaeos Alexandrinos sapientiam divinam, tamquam peculiarem naturam divinam saepissime describi. „Unde haud mirum est, deinde pergit, in N. quoque T. libris spiritui s. qui idem divinus appellatur — tanquam singulari cuidam δυνάμει divinae — personae speciem tribui, variasque effectiones et physicam — et intellectuales et morales etc." (l. c. p. 275.) Wegscheiderus igitur, sicut Reichius rejicit spiritus hypostasin; summatim colligendi rationem, quam et Wegsch. et Reichius in explicando sequi videntur, hanc esse opinamur: Christianum de trinuno deo dogma maximam partem ex judaica theologia vel e philosophematis quibusdam Judaicis et Platonicis, aevo incultiori aptis et commodis, derivandum est et explicandum (vid. Wegsch. l. l. p. 292. §. 92.); ista autem philosophemata ad unum omnia esse falsas opiniones constat; itaque et christianum dogma veritate caret (quin imo Wegsch. insana sua nitens ratione, illam christianam de trinuno deo doctrinam vocat „effictam"). Sed jam intelligis, istam in sana ratione positam fiduciam, saepissime temerariam esse et desperatam; enimvero necessaria rei explicatio, quamquam sexcenti speciosi et fallaces coacervantur sacrae scripturae loci, in plerisque desideratur; neque minus permulta condemnantur, ut falsa; sin autem quaeris causam: nulla affertur, aut brevitatis causa delegaris iterum ad sanam rationem. Atque e mirificae et admirabilis hujus ipsius sanae rationis decreto summo Wegsch. iterum saepiusque statuit: „quamlibet trinitatis explicationem philosophicam necessario vel in Sabellianismi (Modalismi) vel in Tritheismi aut Arianismi decreta, ab ecclesiis olim damnata abire" (l. c. p. 291. §. 92. et p. 288. §. 91.). Verumenimvero, num Wegscheid. existimat, suam de deo sententiam a Sabellianismi et Arianismi decretis, ab ecclesia damnatis, esse alienam? Ut Sabellius opinatus est, deum sese quidem

bitare non possumus, quin apostoli revera in nomen Christi seu in Christum baptizarint; attamen aposto-

---

tam pater per se, quam pater, quippe qui simul sit spiritus, est numen; ex Pauli judicio filius et spiritus s. ad ipsum numen non videntur pertinere; quod Christus nunquam docuit), „dass Gottessohn in dem vorzüglichsten Sinne (quot sensus Paulus de dei filio habeat?) ein Synonym des Messias" (qui Messias e sacra scriptura ille initio una cum deo versans est λογος), „so wie Jesus dieser" (i. e. e nostra sententia, ille λογος) „war, und sein wollte, ist" (s. schon bei Marc. I, 1., ubi Christus ὑιος του θεου seu Messias vocatur) „und dass το ἁγιον πνευμα entweder die Gottheit als eine heiligwollende Geisteskraft, oder den Messias als eine solche, oder die Geisteskraft des Menschen, insofern er das Heilige zu wollen vermag, bezeichnet" (sacra scriptura non plures, sed unum spiritum agnoscit; quodsi igitur unum ab altero separas, illud „aut — aut" non magis ad veram spiritus essentiam quadrat, quam neque — neque). — Ludovicus autem Wegscheiderus (vid. ej. Institt. Theol. edit. qu. p. 264.) de dei filiis et de dei filio inter alia haec proponit: „In libris N. T. filiorum seu liberorum dei nomen hominibus quibusvis, deum secundum religionis christianae praecepta pie colentibus, tribuitur, quo similitudo quaedam cum deo moralis significatur" (Matt. V, 9. 45.; Luc. VI, 35.; Jo. I, 12.; Rom. VIII, 14—16.; Gal. III, 26.; Phil. II, 15.; 1 Jo. III, 1. 2. — in quibus locis de dei quidem filiis, neque tamen de ista morali similitudine sermo est; Christus autem de dei filiis seu iis, qui veram dei filio habent fidem, dicit (Jo. XVII, 20 et 21.) „oro pro iis — ut omnes unum sint, quemadmodum tu pater in me es, atque ego in te, ut illi etiam in nobis unum sint" ex quo vides, e Christi mente et sententia, dei filios non tam moraliter deo (externa ratione) similes, quam revera cum deo et in deo unitos esse debere; in quo dei spiritus inest, is etiam vere in ipso inest deo —). Wegsch. ibid. pergit: „Saepissime autem et sensu quidem ideali (?) et metaphorico Jesus Christus appellatur dei filius" (scl. etsi hic Ch. simplex est homo) „ita ut nomen illud non diserte ad naturam [siquidem ejusmodi compellationes, velut generationis notio, non nisi ratione quadam symbolica et analogica in summum numen transferri possunt" (cf. tamen „— quamquam hic locus nil probat —" Luc. I, 35.)], „sed potius ad virtutem" — quod iterum istam moralem cum deo spectat similitudinem — „qua insignis fuit, amoremque, quo deus illum propterea amplectitur" (itaque idem dei

los baptismum in Christum, quippe qui sit aeternus λογος peregisse, bene animo teneamus, necesse est.

---

filius morali demum vita sua similitudinem cum deo assequi seu potius dei amorem sibi conciliare debuit; num talia e sacra scriptura probari possunt?) „praecipue vero ad munus illi mandatum de regno Messiano instituendo et dignitatem inde oriundam sit referendum, ideoque cum Christi s. Messiae et filii hominis nomine plane congruat" (quae verba excipit turba locorum, ex quorum nullo tamen, Christum virtutis causa appellari dei filium, potest evinci). De spiritu s. verba faciens, Wegsch. in medium profert, jam apud Judaeos Alexandrinos sapientiam divinam, tamquam peculiarem naturam divinam saepissime describi. „Unde haud mirum est, deinde pergit, in N. quoque T. libris spiritui s. qui idem divinus appellatur — tanquam singulari cuidam δυνάμει divinae — personae speciem tribui, variasque effectiones et physicam — et intellectuales et morales etc." (l. c. p. 275.) Wegscheiderus igitur, sicut Reichius rejicit spiritus hypostasin; summatim colligendi rationem, quam et Wegsch. et Reichius in explicando sequi videntur, hanc esse opinamur: Christianum de trinuno deo dogma maximam partem ex judaica theologia vel e philosophematis quibusdam Judaicis et Platonicis, aevo incultiori aptis et commodis, derivandum est et explicandum (vid. Wegsch. l. l. p. 292. §. 92.); ista autem philosophemata ad unum omnia esse falsas opiniones constat; itaque et christianum dogma veritate caret (quin imo Wegsch. insana sua nitens ratione, illam christianam de trinuno deo doctrinam vocat „effictam"). Sed jam intelligis, istam in sana ratione positam fiduciam, saepissime temerariam esse et desperatam; enimvero necessaria rei explicatio, quamquam sexcenti speciosi et fallaces coacervantur sacrae scripturae loci, in plerisque desideratur; neque minus permulta condemnantur, ut falsa; sin autem quaeris causam: nulla affertur, aut brevitatis causa delegaris iterum ad sanam rationem. Atque e mirificae et admirabilis hujus ipsius sanae rationis decreto summo Wegsch. iterum saepiusque statuit: „quamlibet trinitatis explicationem philosophicam necessario vel in Sabellianismi (Modalismi) vel in Tritheismi aut Arianismi decreta, ab ecclesiis olim damnata abire" (l. c. p. 291. §. 92. et p. 288. §. 91.). Verumenimvero, num Wegscheid. existimat, suam de deo sententiam a Sabellianismi et Arianismi decretis, ab ecclesia damnatis, esse alienam? Ut Sabellius opinatus est, deum sese quidem

bitare non possumus, quin apostoli revera in nomen Christi seu in Christum baptizarint; attamen aposto-

---

tam pater per se, quam pater, quippe qui simul sit spiritus, est numen; ex Pauli judicio filius et spiritus s. ad ipsum numen non videntur pertinere; quod Christus nunquam docuit), „dass Gottessohn in dem vorzüglichsten Sinne (quot sensus Paulus de dei filio habeat?) ein Synonym des Messias" (qui Messias e sacra scriptura ille initio una cum deo versans est λογος), „so wie Jesus dieser" (i. e. e nostra sententia, ille λογος) „war, und sein wollte, ist" (s. schon bei Marc. I, 1., ubi Christus ὑιος του θεου seu Messias vocatur) „und dass το ἁγιον πνευμα entweder die Gottheit als eine heiligwollende Geisteskraft, oder den Messias als eine solche, oder die Geisteskraft des Menschen, insofern er das Heilige zu wollen vermag, bezeichnét" (sacra scriptura non plures, sed unum spiritum agnoscit; quodsi igitur unum ab altero separas, illud „aut — aut" non magis ad veram spiritus essentiam quadrat, quam neque — neque). — Ludovicus autem Wegscheiderus (vid. ej. Institt. Theol. edit. qu. p. 264.) de dei filiis et de dei filio inter alia haec proponit: „In libris N. T. filiorum seu liberorum dei nomen hominibus quibusvis, deum secundum religionis christianae praecepta pie colentibus, tribuitur, quo similitudo quaedam cum deo moralis significatur" (Matt. V, 9. 45.; Luc. VI, 35.; Jo. I, 12.; Rom. VIII, 14—16.; Gal. III, 26.; Phil. II, 15.; 1 Jo. III, 1. 2. — in quibus locis de dei quidem filiis, neque tamen de ista morali similitudine sermo est; Christus autem de dei filiis seu iis, qui veram dei filio habent fidem, dicit (Jo. XVII, 20 et 21.) „oro pro iis — ut omnes unum sint, quemadmodum tu pater in me es, atque ego in te, ut illi etiam in nobis unum sint" ex quo vides, e Christi mente et sententia, dei filios non tam moraliter deo (externa ratione) similes, quam revera cum deo et in deo unitos esse debere; in quo dei spiritus inest, is etiam vere in ipso inest deo —). Wegsch. ibid. pergit: „Saepissime autem et sensu quidem ideali (?) et metaphorico Jesus Christus appellatur dei filius" (scl. etsi hic Ch. simplex est homo) „ita ut nomen illud non diserte ad naturam [siquidem ejusmodi compellationes, velut generationis notio, non nisi ratione quadam symbolica et analogica in summum numen transferri possunt" (cf. tamen „— quamquam hic locus nil probat —" Luc. I, 35.)], „sed potius ad virtutem" — quod iterum istam moralem cum deo spectat similitudinem — „qua insignis fuit, amoremque, quo deus illum propterea amplectitur" (itaque idem dei

los baptismum in Christum, quippe qui sit aeternus λογος peregisse, bene animo teneamus, necesse est.

---

filius morali demum vita sua similitudinem cum deo assequi seu potius dei amorem sibi conciliare debuit; num talia e sacra scriptura probari possunt?) „praecipue vero ad munus illi mandatum de regno Messiano instituendo et dignitatem inde oriundam sit referendum, ideoque cum Christi s. Messiae et filii hominis nomine plane congruat" (quae verba excipit turba locorum, ex quorum nullo tamen, Christum virtutis causa appellari dei filium, potest evinci). De spiritu s. verba faciens, Wegsch. in medium profert, jam apud Judaeos Alexandrinos sapientiam divinam, tamquam peculiarem naturam divinam saepissime describi. „Unde haud mirum est, deinde pergit, in N. quoque T. libris spiritui s. qui idem divinus appellatur — tanquam singulari cuidam δυνάμει divinae — personae speciem tribui," variasque effectiones et physicam — et intellectuales et morales etc." (l. c. p. 275.) Wegscheiderus igitur, sicut Reichius rejicit spiritus hypostasin; summatim colligendi rationem, quam et Wegsch. et Reichius in explicando sequi videntur, hanc esse opinamur: Christianum de trinuno deo dogma maximam partem ex judaica theologia vel e philosophematis quibusdam Judaicis et Platonicis, aevo incultiori aptis et commodis, derivandum est et explicandum (vid. Wegsch. l. l. p. 292. §. 92.); ista autem philosophemata ad unum omnia esse falsas opiniones constat; itaque et christianum dogma veritate caret (quin imo Wegsch. insana sua nitens ratione, illam christianam de trinuno deo doctrinam vocat „effictam"). Sed jam intelligis, istam in sana ratione positam fiduciam, saepissime temerariam esse et desperatam; enimvero necessaria rei explicatio, quamquam sexcenti speciosi et fallaces coacervantur sacrae scripturae loci, in plerisque desideratur; neque minus permulta condemnantur, ut falsa; sin autem quaeris causam: nulla affertur, aut brevitatis causa delegaris iterum ad sanam rationem. Atque e mirificae et admirabilis hujus ipsius sanae rationis decreto summo Wegsch. iterum saepiusque statuit: „quamlibet trinitatis explicationem philosophicam necessario vel in Sabellianismi (Modalismi) vel in Tritheismi aut Arianismi decreta, ab ecclesiis olim damnata abire" (l. c. p. 291. §. 92. et p. 288. §. 91.). Verumenimvero, num Wegscheid. existimat, suam de deo sententiam a Sabellianismi et Arianismi decretis, ab ecclesia damnatis, esse alienam? Ut Sabellius opinatus est, deum sese quidem

bitare non possumus, quin apostoli revera in nomen Christi seu in Christum baptizarint; attamen aposto-

---

tam pater per se, quam pater, quippe qui simul sit spiritus, est numen; ex Pauli judicio filius et spiritus s. ad ipsum numen non videntur pertinere; quod Christus nunquam doeuit), „dass Gottessohn in dem vorzüglichsten Sinne (quot sensus Paulus de dei filio habeat?) ein Synonym des Messias" (qui Messias e sacra scriptura ille initio una cum deo versans est λογος), „so wie Jesus dieser" (i. e. e nostra sententia, ille λογος) „war, und sein wollte, ist" (s. schon bei Marc. I, 1., ubi Christus υἱος του θεου seu Messias vocatur) „und dass το ἁγιον πνευμα entweder die Gottheit als eine heiligwollende Geisteskraft, oder den Messias als eine solche, oder die Geisteskraft des Menschen, insofern er das Heilige zu wollen vermag, bezeichnet" (sacra scriptura non plures, sed unum spiritum agnoscit; quodsi igitur unum ab altero separas, illud „aut — aut" non magis ad veram spiritus essentiam quadrat, quam neque — neque). — Ludovicus autem Wegscheiderus (vid. ej. Institt. Theol. edit. qu. p. 264.) de dei filiis et de dei filio inter alia haec proponit: „In libris N. T. filiorum seu liberorum dei nomen hominibus quibusvis, deum secundum religionis christianae praecepta pie colentibus, tribuitur, quo similitudo quaedam cum deo moralis significatur" (Matt. V, 9. 45.; Luc. VI, 35.; Jo. I, 12.; Rom. VIII, 14—16.; Gal. III, 26.; Phil. II, 15.; 1 Jo. III, 1. 2. — in quibus locis de dei quidem filiis, neque tamen de ista morali similitudine sermo est; Christus autem de dei filiis seu iis, qui veram dei filio habent fidem, dicit (Jo. XVII, 20 et 21.) „oro pro iis — ut omnes unum sint, quemadmodum tu pater in me es, atque ego in te, ut illi etiam in nobis unum sint" ex quo vides, e Christi mente et sententia, dei filios non tam moraliter deo (externa ratione) similes, quam revera cum deo et in deo unitos esse debere; in quo dei spiritus inest, is etiam vere in ipso inest deo —). Wegsch. ibid. pergit: „Saepissime autem et sensu quidem ideali (?) et metaphorico Jesus Christus appellatur dei filius" (scl. etsi hic Ch. simplex est homo) „ita ut nomen illud non diserte ad naturam [siquidem ejusmodi compellationes, velut generationis notio, non nisi ratione quadam symbolica et analogica in summum numen transferri possunt" (cf. tamen „— quamquam hic locus nil probat —" Luc. I, 35.)], „sed potius ad virtutem" — quod iterum istam moralem cum deo spectat similitudinem — „qua insignis fuit, amoremque, quo deus illum propterea amplectitur" (itaque idem dei

los baptismum in Christum, quippe qui sit aeternus λογος peregisse, bene animo teneamus, necesse est.

---

filius morali demum vita sua similitudinem cum deo assequi seu potius dei amorem sibi conciliare debuit; num talia e sacra scriptura probari possunt?) „praecipue vero ad munus illi mandatum de regno Messiano instituendo et dignitatem inde oriundam sit referendum, ideoque cum Christi s. Messiae et filii hominis nomine plane congruat" (quae verba excipit turba locorum, ex quorum nullo tamen, Christum virtutis causa appellari dei filium, potest evinci). De spiritu s. verba faciens, Wegsch. in medium profert, jam apud Judaeos Alexandrinos sapientiam divinam, tamquam peculiarem naturam divinam saepissime describi. „Unde haud mirum est, deinde pergit, in N. quoque T. libris spiritui s. qui idem divinus appellatur — tanquam singulari cuidam δυνάμει divinae — personae speciem tribui„ variasque effectiones et physicam — et intellectuales et morales etc." (l. c. p. 275.) Wegscheiderus igitur, sicut Reichius rejicit spiritus hypostasin; summatim colligendi rationem, quam et Wegsch. et Reichius in explicando sequi videntur, hanc esse opinamur: Christianum de trinuno deo dogma maximam partem ex judaica theologia vel e philosophematis quibusdam Judaicis et Platonicis, aevo incultiori aptis et commodis, derivandum est et explicandum (vid. Wegsch. l. l. p. 292. §. 92.); ista autem philosophemata ad unum omnia esse falsas opiniones constat; itaque et christianum dogma veritate caret (quin imo Wegsch. in sana sua nitens ratione, illam christianam de trinuno deo doctrinam vocat „effictam"). Sed jam intelligis, istam in sana ratione positam fiduciam, saepissime temerariam esse et desperatam; enimvero necessaria rei explicatio, quamquam sexcenti speciosi et fallaces coacervantur sacrae scripturae loci, in plerisque desideratur; neque minus permulta condemnantur, ut falsa; sin autem quaeris causam: nulla affertur, aut brevitatis causa delegaris iterum ad sanam rationem. Atque e mirificae et admirabilis hujus ipsius sanae rationis decreto summo Wegsch. iterum saepiusque statuit: „quamlibet trinitatis explicationem philosophicam necessario vel in Sabellianismi (Modalismi) vel in Tritheismi aut Arianismi decreta, ab ecclesiis olim damnata abire" (l. c. p. 291. §. 92. et p. 288. §. 91.). Verumenimvero, num Wegscheid. existimat, suam de deo sententiam a Sabellianismi et Arianismi decretis, ab ecclesia damnatis, esse alienam? Ut Sabellius opinatus est, deum sese quidem

virum spiritu ferventem, quamquam non nisi Joannis noverit baptismum, ea tamen, quae ad Christum pertinerent, diligenter tradidisse et docuisse. Mirabere, cur tandem hic non, sicut ceteri Joannis discipuli, quorum cap. XIX, vers. 1. mentio fit, in Christum denuo sit baptizatus? Christianus vero baptismus non tam ad hominem, qui ex omni genere jam est christianus, quam ad eum pertinet, qui in eo est, ut revera fiat christianus; qualem vero hominem postulat baptisma, talis jam erat Apollo; quapropter externo ritu iterando ei non opus erat. Per baptismum homo iis, quae ad Christum pertinent, obstringitur; qui vero eadem, quae ad dei filium pertinent, jam tradit et docet, ejus vita tamquam confirmatio est baptismi, ita ut, etsi externum ritum non subiit, internae tamen hujus ritus notioni seu ei, quo baptismus tendit, revera satisfecerit. Apollo igitur, quoniam in spiritu versans divino, jam docebat vel e sacra scriptura demonstrabat, Jesum esse Christum (Act. XVIII, 28.), baptismo carere poterat; ceteri autem Joannis discipuli, qui ne audiverant quidem, esse spiritum, baptizarentur in nomen Christi necesse erat, quo libere profiterentur, tum sanctum dei spiritum in mundo inessc, tum Jesum esse Messiam. Dilucide enim Lucas (Act. XIX, 6.) addit, in illos discipulos, postquam baptismum in dei filium subierint, et Paulus iis manus imposuerit, spiritum s. esse demissum, quo significatur, eos baptismo accepto ad justam dei spiritus conscientiam pervenisse, eorumque animos eadem divini spiritus conscientia graviter motos, et ad altiora esse perductos. Baptismi sententia, quae dei filium respiciens, simul spiritum respicit, eo velut ad effectum adducitur, quod homo baptizatus, in spiritu versans, mentem suam in iis infigat, quae ad dei

filium seu λογον pertinent; qui in dei filium baptizatur, etiam in eodem i. e. in spiritu vivere debet (cfr. Actt. VIII, 16.).

Ceterum ex iis, quae de formulae „εἰς το ὀνομα X.“ sententia memoravimus, facile cognosces, quomodo fieri potuerit, ut, quamquam apostolos non nisi in nomen Christi baptizasse saepius in N. T. libris narratur, inde a Justini M. tempore sacra immersio in trinunum deum sit peracta. Neque apostoli contra Christi mandatum baptizaverunt, neque patres eccll. apostolorum baptismum prorsus immutaverunt, sed illorum et horum baptismi administrati sententia est eadem. Christus, ut totam rem breviter absolvamus, instituit baptismum in patrem, filium spiritumque sanctum, qui trinunus deus in illo aeterno λογῳ, qui homo est factus, manifestatur; apostoli autem exercent baptismum in aeternum λογον, qui veritatem suam habet in trinuno deo seu in Trinitatis idea; utrumque si rei essentiam spectas, est idem. — Sed jam sat disputatum est tum de instituto, tum de peracto baptismo; postremo in explicanda biblica baptismi notione de vi vel effectu sacrae immersionis agemus; quapropter eos, qui huc pertinent, sacrae scripturae locos singulatim nunc explanare, operae pretium erit.

§. 18.

Ex omnibus, qui de baptismi sacramento agunt, sacrae scripturae locis dilucide apparet, scriptores ss. a superstitiosis de baptismi vi opinionibus valde abhorrere. Quamquam enim necessarium habent illud a Christo institutum baptismum, cujus vera idea regenerationis seu vitae in Christo collocatae necessitatem proferat, nunquam tamen externo baptizandi

ritui magicas vel prodigiosas tribuunt vires. Quaecunque magici effectus prae se ferunt speciem, a falsis patrum eccll. opinionibus, quae male intellectis sacrae scripturae locis nituntur, sunt profecta. Saepissime quidem baptisma, fides, spiritusque sanctus in N. T. conjunguntur, ita ut iidem effectus modo spiritui, hominis vitam ad verum ducenti, modo fidei, Christo habitae, modo baptismo tribui videantur; eâdem baptismi tamen cum fide spirituque conjunctione effectus quivis salutares non tam a baptizandi ritu, si per se spectatur, quam ab hominis fide, quae spiritu fundata, ad spiritualia tendit, deducuntur. Accedit, ut aetate apostolica non nisi homines adulti, pia Christo dedita mente, sacram immersionem subeuntes, sint baptizati, quapropter mirum nobis videri non potest, quod ejusmodi homines, quorum totus animus cum ante baptismum, tum praecipue inter baptizandum in salubri salvatoris doctrina erat infixus, accepta sacra immersione saepe dei spiritu subito affectos et beate se recreatos senserint. Quam beatam animi recreationem vel mutationem non externo ritui, quicunque est, sed baptizati hominis menti ad altiora applicatae esse tribuendam, quisque jam sua sponte videbit. Summatim baptismus, per se nullam ostendens vim, ea demum fide, quam homo Christo habet, absolvitur, eoque quidem sacra immersio refertur ad regenerationem, quod ipso baptismo, tamquam imagine vel signo omnis vita christiana adumbratur et repraesentatur. Cui sententiae quantum sacra scriptura respondeat, ut intelligamus, eos, qui huc pertinent, locos accuratius inspiciamus oportebit.

Primum baptismus est initiationis sacramentum, quo, qui Christo habet fidem, christiano coetui ad-

scribitur, omnique ex parte fit μαθητης, πιστευων, ἁγιος, ita ut omnibus quoque, quae inde proficiscuntur, juribus et beneficiis possit frui. Act. II, 38. 41.; VIII, 12. 13.; IX, 19.; XVI, 33.; XXII, 16 alii. De apostolorum sententiis, vel ad Christi doctrinam conversus baptismo palam profitetur, se, pravis studiis depositis et peccatorum actâ poenitentiâ, Christo habere fidem; vel eodem baptismo publice pronuntiatur, huncce baptizatum hominem, peccatis remissis, sancti dei spiritus esse participem. Baptismus igitur neque resipiscentiam, neque peccatorum remissionem efficit, sed declarat tantum, hominem poenitentia motum fideque imbutum dignum esse, qui in illo versetur spiritu, per quem tum ad viam redire, tum ad omnia, quae in deo sint sita, possit pervenire. Quae baptismi sententia innuit, ea in poenitentia et fide, in peccatorum remissione et spirituali vita revera perficiuntur; quapropter haec omnia cum baptismo in N. T. saepissime conjunguntur. Homo autem revera ad illam vivendi rationem, quae Christi doctrinae est consentanea, propius accedit, quum improbae vitae sibi conscius, et rerum divinarum desiderio captus, humanis seu imperfectis viribus se assequi non posse ea, quae vera sunt atque sancta, intelligit; quo fit, ut delicta dolens, animum convertat ad fidem; id quod primum sacra immersio postulat. Tum, vitiis relictis, spiritualia studiosissime persecutus, tam peccatorum remissione, quam regeneratione vel novâ vitâ potitur; quo facto dei spiritus in eo vivit; id quod item significat baptismus. Jam facilius intelligere possumus, quid sibi Paulus velit, dicto hoc: „abluti estis, consecrati (deo), et in dei gratiam recepti, in nomine domini Jesu (i. e. in iis, quae pertinent ad Christum), et spiritu

dei nostri“ (1 Cor. VI, 11.). Qui, ex apostoli sententia, Christo deique spiritui sunt dediti, ideoque conficiunt, quae veritate nituntur, eos baptismus declaravit a peccatis ablutos, iique integri, sancti, perfecti sunt redditi, ita ut in uno dei spiritu tum inter se, tum arctissime cum Christo sint conjuncti. Atque ad hanc hominis cum Christo conjunctionem, et baptismi sententia et omnis tendit doctrina christiana; quapropter apostolus Corinthiis inculcat: „*και γαρ ἐν ἑνι πνευματι ἡμεις παντες εἰς ἑν σωμα ἐβαπτισϑημεν*“ (1 Cor. XII, 13.). „Quemadmodum, Paulus inquit (vers. 12.), unum est corpus, multa habens membra, atque omnia unius corporis membra, quae multa sunt, unum constituunt corpus: ita sese habet cum Christo.“ Quid hoc sibi vult? Christi discipuli illa sunt singula membra, ipse autem Christus in hisce membris est unitas, qua membra unum efficiunt corpus. Videlicet Christus, quippe qui aeternus sit *ϑεανϑρωπος*, cujus natura veritate continetur et sanctitate, in omne tempus unitas dei cum homine est; homo autem, longum per tempus vitiis a deo sejunctus, et deinde fide ac vita emendata iterum cum deo conjunctus, non ipse illa est unitas, sed in eadem inest. Atqui ut hominis est christiani, eniti atque contendere, ut in Christo vivat, vel cum deo conjungatur, ita Christi erga discipulos suos amor id solum agit, ut dei filii cum unigenito dei filio uniantur. Vinculum autem, quo vel Christus in discipulis suis inest (seu, quo unitas illa, quae *ϑεανϑρωπον* tenetur notione, vere est), et quo vel discipuli tum inter se, tum ipso cum deo conjunguntur (seu in illa unitate insunt), est spiritus. Jam quod ad illam, qua Paulus utitur, imaginem attinet, unum corpus significat unitatem, multa autem membra

adumbrant multitudinem, quorum utraque necessario sese continent arctissime. Nam unitas sine multitudine, a rebus praesentibus est abstracta, multitudo autem sine unitate, a veritate est avulsa, seu, quod idem est: corpus extra membra, non vere est, membra autem extra corpus, sunt disjecta; attamen eo, quod unitas (unum corpus) in multitudine (membris) revera inest, tum haec est vera, tum illa vere (realis) est. Quodsi Christum, ut unitatem, extra discipulos, ut multitudinem, cogitares, ex altera parte Christus non nisi possibilis esset unitas, ex altera parte discipuli fortuita quaedam multitudo, quae omni careret veritate; sin vero ista possibilis unitas in hanc fortuitam multitudinem transit, ita ut utraque per spiritum arctissime inter se sit colligata atque implicata: reale evadit ex veris partibus (membris) consistens totum (unum corpus). Atque hoc unum corpus, quod uno fundatum est spiritu, constituitur uno baptismo, una fide, uno domino (Eph. IV, 5.) [54]). Primum baptismo, cujus idea ad inter-

---

54) Koppius in hoc explicando Pauli loco πιστεως notionem ita exponit: „Fiducia ea, quam in Christi erga vos amore collocatis, una est eademque in vobis omnibus, licet modo graduque maxime diverso in diversis Christianis se exserat" — deinde nonnullis interjectis pergit: „Alii tamen πιστιν h. l. interpretantur objective doctrinam, regulam fidei, cui tamen rationi obstant, quae v. 13. de ἑνοτητι πιστεως dicentur" (vid. ejusd. Comm. ad h. l. vol. VI, p. 80.). Tum K., qui πιστιν non nisi ad subjectivam refert fidem, tum ii, qui πιστιν solummodo ad objectivam trahunt doctrinam, rem non ab omni parte nobis videntur ponderasse. Neque doctrina a fide, neque haec ab illa potest separari; ut enim doctrina nullius est fructus, nisi ab homine agnoscitur ideoque subjectiva fit fides, ita haec fides a veritate abhorret, nisi objectivâ nititur doctrinâ ideoque cum doctrina conjungitur; itaque doctrina fidem postulat eâque servatur, atque vera in Christum fides necessario, quaecunque Chri-

nam unius corporis tendit conjunctionem, externa ratione Christi discipuli copulantur, fide autem dominoque, qui in spiritu versatur, interno et arctissimo ad unum illud corpus conjunguntur vinculo. Quapropter Paulus memorat, omnes Christi discipulos, ad unum corpus baptizatos, etiam uno spiritu animatos esse, eoque ipso illius baptismi sententia perficitur, quod omnes in uno dei spiritu vivunt. Qui

---

stus docuit, continet, ita ut objectiva doctrina fidei sit argumentum seu vera sententia, subjectiva autem fides doctrinae forma. E Pauli mente una est fides, quippe quae unum habeat objectum (Christum ejusque doctrinam); alioquin fides falsa est, quoniam, quae homo subjective sentit, non vera sunt, nisi eo, quod objective evangelii doctrinae sunt consentanea. Cui sententiae neutiquam vers. 13. verba „ἑνοτης της πιστεως και της ἐπιγνωσεως του ὑιου του θεου“ obstant, quum hisce et antecedentibus verbis nihil aliud contineatur, nisi quod tota Christi οἰκονομια eo tendat, ut evangelii sectatores ad unitatem fidei (ad unam fidem, quae eâdem objectiva nititur doctrinâ) et cognitionis dei filii (ad cognoscendam dei filii naturam) perveniant. Permirum autem in modum et singulariter (subjective) de illa formula, comparata cum verbis: ἑνοτης του πνευμ. (vers. 3. ejusd. cap.) K. sentit, eâque quidem ratione: „Istam ἑνοτ. του πνευματος τηρειν sectari potest ac debet quisque christianorum, haec autem, πιστεως ἑνοτης, est singulare rei christianae incrementum, paulatim demum a divina providentia exspectandum“ (ibid. p. 79.). Quae omnia temere nobis videntur esse dicta, quum neque apost. Paulus, neque tota scriptura s. ejusmodi opinionis faciat mentionem. Nec minus difficile cognitu est, qualis christianae istius rei incremento subsit significatio, et cur tandem homo christianus hanc ἑνοτητα του πιστ. non aeque, atque illam ἑνοτητα του πνευματος sectari possit ac debeat? Fides in homine christiano incrementa capit eo, quod idem unitati fidei magis magisque accedit, eoque ipso dei providentia vere agit, ut ille tum unitatem fidei, tum cognitionem dei filii assequatur; itaque unitas fidei non tam futuro demum tempore a dei providentia temere est exspectanda, quam, sicut unitas spiritus, praesenti tempore realiter per dei providentiam est omni conamine acquirenda, quoniam revera potest acquiri.

igitur dei filio habet fidem, eumque omni in genere studet sequi, is cum Christo ejusque spiritu conjunctus, verum unius corporis est membrum et in dei versatur civitate. Quivis homo ita natus est, ut in Christo ad illam cum deo conjunctionem perveniat; quare singulae quoque familiae et civitates vel nationes eo demum veritate gaudent, quod partium et ipsorum commodi studio sublato, in dei versantur civitate, in qua Christus per fidei et amoris spiritum omnes secum ad unum corpus conjungit.

Quae hactenus pertractavimus, sat superque ostenderunt, e sacra scriptura baptismum implicitum quidem esse et cohaerere tam cum tota Christi doctrina, quam cum propria hominis vita subsequenti, singulos tamen effectus salutares non e baptizandi ritu externo, sed e pia probaque hominis vita esse deducendos. Postremo nonnulli nobis restant loci explicandi, qui, quum magnam habeant difficultatem, de baptismi vi videntur agere; quorum primus exstat 1 Cor. XV, 29. Videlicet Paulus quum Corinthiis resurrectionis necessitatem studeat demonstrare, pluribus allatis rationibus, quaerit: „*ἐπει τι ποιησουσιν οἱ βαπτιζομενοι ὑπερ των νεκρων, εἰ ὁλως νεκροι οὐκ ἐγειρονται; τι και βαπτιζονται ὑπερ αὐτων.*“ Cujus loci permultae quidem inveniuntur expositiones, quae tamen aut contra historiam, aut contra Pauli sententiarum ordinem et verborum contextum pugnant [55]).

---

55) Longum est, singulas hujus loci explicationes percensere; quapropter nonnullas tantum, quoad per propositum nostrum licet, sufficiat adjicere. — Qui verbum *βαπτιζεσθαι* metaphorice accipiunt (sec. Matt. XX, 22. 23.; Marc. X, 38. 39.; Luc. XII, 50.), ita solent vertere: si nulla esset resurrectio, quid efficerent ii, qui calamitatibus sese veluti immergunt, eo consilio, ut tandem mortem subeant? Cui explicandi rationi similis haec

E Pauli mente, ut supra vidimus, baptisma in Jesum Christum significat, hominem cum Christo esse

---

est: si nulla esset resurrectio, omnibus omnino praemiis carerent, qui gravissimis calamitatibus sponte se offerunt propter spem, quam habent, fore ut mortui aliquando sint in vitam redituri. At vero vocab. βαπτιζ., simpliciter positum, nunquam metaphorice significat: calamitatibus immergi, vel gravissimis calamitatibus sponte se offerre; nam apud Matt., ubi praeterea sententiarum nexus illam significationem „malis immergi" postulat, additum est: βαπτισμα, ὁ ἐγω βαπτιζομαι, βαπτισθηναι. Si aliud accedit vocabulum, quo cui rei veluti immergatur homo, significatur, vox βαπτιζ. et apud profanos scriptores, et apud patres eccll. metaphoricam saepe habet significationem. Sic Justin. Mart. vitiis scatentem dicit: βεβαπτισμενον ἁμαρτιαις (Dial. c. Tryph. p. 313. ed. Paris.); et apud Diod. Sic. (I, c. 73.) legitur: ἰδιωτας βαπτιζειν ταις εἰσφοραις tributis plebem onerare; βεβαπτισμενους autem, nec aliis additis verbis, Plato (Symp. 3.) vocat bene potos, tamquam vino immersos. Difficile igitur est probatu, Paulum, voce βαπτιζ. usum, de calamitatibus cogitasse; etiam sequentis vers. 30. verba: „cur nos ipsi quavis hora in periculis versamur" ad illam confirmandam sententiam nil valent, quoniam hic versus, quod attinet ad sensum, ne attingit quidem antecedentem. Neque minus ista metaphorica explicatione verba: ὑπερ των νεκρων in solum arbitrium cadunt, quippe quae grammaticâ ratione neque „ut tandem mortem subeant" neque „sperare, fore ut mortui aliquando sint redituri in vitam" significent. — Secundum aliam nostri loci explanationem, sensus esse dicitur hic: „quid faciant ii, qui pro salute hominum, morti perpetuae obnoxiorum, se vitae periculis veluti immergi patiuntur?" Etiamsi falsam metaphoricam explicationem missam faciamus, unde tandem cognitum habes, apostoli tempore fuisse, qui superstitiosis imbuti opinionibus talia confecerint? — Alii Pauli verbis hunc inferunt sensum: „quid faciant ii, qui Christi cultorum moribundorum exemplo (hilaritate) ducti, vel, qui hominum christianorum animam agentium adspectu moti, baptismum suscipiunt?" Cujusmodi explicationem contortam, quae moleste tantum ad resurrectionem potest trahi, fictam redolere conjecturam, quis est, quin videat; quomodo enim verba: ὑπερ των νεκρων talia possunt significare? — Multi, ὑπερ praepos. accipientes: vice, loco, in commodum, vertunt ita: quid faciant ii, qui hominum, non accepto baptismo mortuorum, loco, se bapti-

mortuum (id quod immergendi innuit ritus), ut, quemadmodum Christus e mortuis sit resuscitatus, ita ba-

---

zari patiuntur?" Verumenimvero, quamquam Tertullianus, Epiphanias et imprimis Chrysostomus apud Marcionitas talia more usuque recepta commemorant, valde tamen dubitandum est, num ejusmodi abusus jam Pauli fuerit aetate; et si viguerit (quod tamen nemo facile possit probare), num Paulus ex eo argumentum pro resurrectione sumserit? Potest quidem opponi, Paulum ostendere, quid veri insit isti fiduciae, qua idem ille nitatur abusus, ideoque eum κατ' ἀνθρωπον disputare. Sed, quo jure fingere licet, Paulum, ut κατ' ἀνθρωπον possit disputare, abusum quendam superstitiosum quodammodo approbasse, quum silentio eum praetereat? — Aliam porro explicandi rationem sequuntur, qui, praepositionem ὑπερ hic: „supra" putantes significare, vertunt: „quid faciant ii, qui supra Christi cultorum (martyrum) sepulcra lavacrum s. suscipiunt?" Sed quo tandem evinci potest, Pauli tempore super martyrum, qui tunc temporis vix fuerunt, sepulcris ullum esse peractum baptismum? — Deinde sunt, qui loco pluralis των νεκρων singularem του νεκρου ponentes, interpretentur ita: „quid faciant ii, qui mortui (scl. Jesu Christi) causa sacram immersionem subeunt?" At quamqnam negari non potest, Pauli verba occulte ad Christi mortem spectare, non tamen licet, pluralem ex arbitrio immutare in singularem numerum eundemque ad solum Christum referre. — Plerique denique interpretes, etiam nostra aetate, hunc sensum Pauli verbis inesse existimant: „si nulla esset resurrectio, quid faciant ii, qui ipsorum causa ὡς νεκρων (cum Christo) baptizantur?" Sed, praeterquam quod illud „ὡς" ex lubidine subjicitur, quid sequentia tunc verba: ὑπερ αὐτων sibi volunt? Jam multa melior haec esset explicatio: quid faciant ii, qui ipsorum mortis causa (i. e. ut ipsi cum Christo moriantur) baptismum subeunt? Neque haec tamen explicandi ratio idoneis grammaticis argumentis potest probari. —

Scribentibus nobis haec in manum venit de Wettii 1 Cor. VII, 14. („ἐπει ἀρα τα τεκνα ὑμων ἀκαθαρτα ἐστι, νυν δε ἁγια ἐστιν") interpretatio, inscripta „Zur Geschichte der Kindertaufe von Dr. de Wette" (in „Theologische Studien und Kritiken v. Ullmann und Umbreit, Jahrg. 1830, drittes Heft, p. 669—671.); qua rejicitur vulgaris quaedam illius loci expositio, quae haec est: „Geheiligt ist der ungläubige Mann durch das Weib, und geheiligt das ungläubige Weib durch den Mann; denn sonst wä-

ptizatus quoque homo in vita nova versetur (id quod emergendi ritus sibi vult — Rom. VI, 3. 4. 5. coll.

---

ren ja eure Kinder unrein, nun sind sie aber heilig." De Wettius, ut accurate rem persequamur, illorum verborum sensum hisce refellere studet rationibus: „Zuvörderst liegt es nicht im Gange der Rede, dass die gemischten Paare angeredet sein sollen (quidni? vid. ejusd. cap. vers. 5.); nach V. 15. ist von ihnen in der dritten Person die Rede (quo nulla ratione probatur, apostolum in praecedentibus non potuisse alloqui mixtos conjuges), und erst V. 16. wendet sich der Apostel zur Anrede, aber nicht der ganzen Paare, sondern der einzelnen Eheleute, theils des Weibes, theils des Mannes (ex quo non magis probatur, apostolum antea utrumque non potuisse compellare conjugem). Sodann ist klar, dass das ἐπει etwas Anerkanntes und Unbestrittenes ankündigt, etwas, woraus die Behauptung, dass in gemischter Ehe der eine Gatte durch den andern geheiligt werde, bewiesen werden soll (concedimus quidem hoc, sed negamus vocem „ἐπει" illum, quem de Wettius in animo habet, sensum postulare, quippe qui, si Pauli verba spectas, nequaquam manifestus et confessus videatur esse). Nun aber lässt sich nicht denken, dass die Kinder gemischter Ehen geradezu (quae quidem vox „geradezu" minime postulatur) als Glieder der christlichen Gemeinschaft (denn das heisst ἁγιος) angesehen worden seien (sed jam infidelis maritus vel uxor dicitur ἡγιασμενος — η: quanto magis igitur infans a christiano patre aut matre natus?) Wenn es unter den Christen noch zweifelhaft war, ob der christliche Gatte eines Nichtchristen in der Ehe verharren sollte: so konnten die Kinder nicht geradezu (quae vox „geradezu" vel ad ceteros, baptismi expertes, infantes non pertinet) als Glieder der christlichen Gemeinschaft angesehen werden, zumal da der nichtchristliche Theil, besonders der Mann, es wohl oft gehindert haben wird, dass seine Kinder sich zu der christlichen Kirche hielten (iste vir contumax, quem de Wettius sine ullo jure inducit, impedire quidem poterat, ne infantes christiana sequerentur sacra; non autem impedire valebat, quo minus christiani homines illos innocentes infantes, qui christianam habebant matrem, ἁγιους haberent; ceterum Paulus ne ullum quidem verbum de ejusmodi contumaci viro hoc loco facit, imo potius ipse apostolus ponit, conjugem infidelem sua sponte lubenter esse remansurum cum fideli, vers. 12 et 13.; itaque quamquam conjux dissentit fide, consentit tamen corde).

Col. II, 12.). Quam Pauli de baptismo sententiam, ut ea, in quibus explicandis nos versamur, recte in-

---

Der Apostel muss sich auf etwas berufen, was ausser dem bestrittenen Falle lag (non tamen extra matrimonium), aber eine gewisse Aehnlichkeit hatte (similitudinem quandam sexcentae aliae res facile praebere poterant) und eine Anwendung litt (probatio non extrinsecus, sed medio ex conjugio ab apostolo petitur). Diess ist aber nichts anderes, als das Verhältniss der christlichen Kinder überhaupt zur christlichen Gemeinschaft, so dass die Anrede ὑμων sich auf alle korinthische Christen bezieht (quod tum contortum et longius petitum, tum arbitrarium est, quum apostolus comm. 12. dilucide dicat „τοις δε λοιποις — non omnibus Corinthiis — εγω λεγω κ. τ. λ.“). Ex hisce omnibus de Wettius studet evincere, ab apostolo non conjugum mixtorum, sed totius ecclesiae christianae proferri in exemplum infantes, qui ante baptismum jam sint habiti ἁγιοι. Deinde pergit: „Gerade so (scl. christiani infantis instar) stand nun ein nichtchristlicher Gatte durch seinen christlichen Gatten unter dem Einflusse des christlichen Geistes (id quod non minus ad infantes mixti conjugii pertinet), und war mithin ein mittelbares Glied der christlichen Gemeinschaft, oder wurde durch seinen Gatten geheiligt: und das will der Apostel eben behaupten und durch jene Hinweisung bestätigen (minime vero; nam infidelis conjux non in eadem, atque christianus infans, est causâ, quoniam hic christianus infans, aetate provecta, certo religionem christianam amplectebatur; quod quidem in quovis conjuge infideli atque inprimis in isto contumaci viro, quem de Wettius subito missum fecit, valde erat incertum). Jam vides, totam de Wettii argumentationem extrinsecus esse petitam; apostolus autem non externa quadam ratione rem commemoratam vult confirmare, sed interna hujus matrimonii conditione, et hac quidem probandi ratione: „infidelis conjux per eum, qui fidem habet, ἡγιασται, alioquin etiam infantes vestri (quippe qui ex infideli conjuge sint procreati), essent ἀκαθαρτοι: jam sunt ἁγιοι“ (siquidem etiam infidelis conjux, qui lubenter cum fideli vult habitare, non potest haberi ἀκαθαρτος) i. e. vobis conjugibus fidelibus (sive estis uxores, sive mariti) infideles habendi sunt conjuges ut ἡγιασμενοι (i. q. ἁγιοι), quamvis non sint baptizati, quoniam infantes vestros, cum infideli conjuge procreatos, habetis ἁγιους (i. q. ἡγιασμενους), etsi nondum sunt baptizati. Itaque ex Apost. mente eadem infidelis ma-

telligantur verba, bene animo teneamus necesse est; nam istius symbolicae baptismi significationis Paulus Corinthios commonefacit, quo iis persuadeat, mortuorum resurrectionem revera esse. Jam duae sunt nostri loci explicationes, quae commodum praebent sensum. Ex altera enim explicatione verba: „ὑπερ των νεκρων“ non ad alios quosdam jam mortuos homines, sed ad eosdem, qui baptizantur, pertinent, et ita quidem: alioquin, quid faciant ii, qui immerguntur pro mortuis scl. habiti (i. e. pro mortuis cum Christo habiti, ideoque etiam pro resuscitatis cum Christo, Rom. VI, 3 sqq.), si mortui omnino non resurgunt? Sequentia verba: ὑπερ αὐτων, siquidem ad ὑπερ των νεκρων referuntur, idem significant: quid tandem immerguntur pro mortuis (habiti)? Paulus igitur vult dicere: e communi omnium sententia in baptismo communio mortis adumbratur et resurrectionis; de morte autem sermo esse non potest, nisi simul de resurrectione, quae cum illa morte est conjuncta, cogitatur; itaque qui putat, in baptismo se mortuum esse cum Christo, eundem credere oportebit, cum Christo se esse resurrecturum. — Secundum alteram autem explicationem praepositio ὑπερ significat: propter (prae metu), et verba οἱ νεκροι spectant inferorum regnum seu mortem, ita ut sensus hic sit: si nulla esset resurrectio, quid faciant ii, qui baptizari se patiuntur propter mortuos, seu

---

tio est conjugis, atque infantium. — Postremo colligit de Wettius, nobis licere, infantes baptizare, qui ab ipso apostolo jam in numerum hominum christianorum referantur; nec tamen minori jure possumus statuere, infantes non esse baptizandos, qui, quamvis ut ἁγιοι sint habiti, secundum ipsius tamen apostoli dictum non sint baptizati aetate apostolica. Causam, cur infantes sint baptizandi, tertia nostrae scriptionis parte afferemus.

prae metu mortis (i. e. qui veriti, ne post vitam inferorum intrent regnum, baptizari se sinunt, quo cum Christo mortui, cum eodem e mortuis sint resuscitati)? Verbis porro: *εἰ ὅλως — αὐτων*, quae sunt jungenda, hic sensus inest: si mortui omnino non resurgunt, cur tandem propter eos baptizantur (i. e. cur baptizantur, metuentes, ne perpetuae subjiciantur morti)? Quae postrema explicatio, tum si verborum nexum, tum si sententiarum ordinem spectas, praeferenda videtur esse.

Jam alium placet, qui Eph. V, 26. legitur, locum perlustrare. Apostolus ibidem viros exhortatur, ut uxores diligant, quemadmodum Christus ecclesiam amarit, et pro illa semetipsum devoverit, quo eam consecret, *καθαρισας τῳ λουτρῳ του ὑδατος ἐν ῥηματι.* Quae quidem verba quamquam sacrae immersionis notionem attingunt (cfr. Tit. III, 5.), ad solum tamen baptismum, nullo vitae singulorum Christi discipulorum respectu, nequaquam possunt pertinere [56]); etenim Christum baptismo ecclesiam

56) Koppius, verbis „*ἐν ῥηματι*" omnino neglectis, ita fere explicat hoc dictum: „*καθαρ. τῳ λουτρῳ του ὑδατος* maxime proprie de baptismo intelligo, quo demersus in aqua novus Christianus sordibus tanquam purgabatur. Nempe in hoc eodem baptismo, praeter alia ejus commoda, etiam symbolum puritatis animi, lotione corporis adumbratum, inesse, quis dubitat? Unde uti jubet Christus hoc corporis lavamine Christianos suos, *καθαρ. την ἐκκλησ. τῳ λουτρῳ του ὑδ.* eo consilio, ea significatione, ut indicetur, eos esse debere mente puros et incorruptos" (vid. ejusd. Comm. ad h. l. vol. VI, p. 116.). Ex hac igitur interpretatione apostolus dicere voluit, Christum baptismo uti jussisse Christianos suos, quo indicetur, Christianos puros esse debere et incorruptos. Attamen Paulus tam manifesto, ut vel lippus, ut dicunt, possit intelligere, admonet: Christum *τῳ λουτρῳ του ὑδ. ἐν ῥηματι* ecclesiam revera purgare; ipse autem Koppius libere profitetur, baptismo, puritatis animi symbolo, tantummodo signi-

non purgare, unusquisque concedet. Omnes autem loci, ubi vocabula λουειν, vel ὑδωρ baptismum respiciunt, ad nostrum dictum nullam fere habent vim, quia illic tum voces, tum sensus longe alius est, atque hic; sic Heb. X, 22. (λελουμενοι το σωμα ὑδατι καθαρῳ) illud ὑδωρ καθαρον recte quidem christianum spectat baptisma, quo, spiritualis purgationis symbolo, levitici omnes purgandi ritus irriti sint facti; sed tamen de ecclesia, lavacro in verbo purganda, eodem loco nil memoratur. Jam quaeritur, quaenam

---

ficari, ecclesiam puram debere esse; quapropter (quoniam καθαριζειν nunquam idem valet, atque: indicare, aliquem esse purum debere) Koppii interpretandi rationem apostoli verbis repugnare, nemo negabit. — Verba το λ. του ὑδ. ἐν ῥηματι saepissime exponuntur: aquae lavacrum ex Christi mandato, aut baptisma cum verbo dei, vel formula baptismali, vel promissione divina conjunctum; quibus omnibus jam ea de causa res non absolvitur, quia haud sane intelligas, quomodo Christus baptismo, si per se eum spectas (sive cum formula est baptismali, sive cum promissione quadam divina conjunctus), ecclesiam possit purgare. Christianum baptisma neque Christi mandati, neque formulae baptismalis, neque verbi dei expers esse potest; sed eo demum ecclesia purgatur, simulque baptismi sententia re confirmatur et perficitur, quod singuli Christi discipuli in verbo dei vivunt, seu quod λογος in ecclesiae membris sese praebet efficacem. Contra Grotium, qui καθαρισας cum ἐν ῥηματι conjungens, ante τῳ λουτρῳ subaudiendum statuit ὡς (per doctrinam, tamquam per lavacrum), Koppius strictim affert, illud ὡς ex hac ratione omitti potuisse nullo modo (ibid.). Grotius aeque ac Koppius, et opposita quidem ratione, modum excessere; ut enim ille, Pauli verba non nisi pro imagine quadam habens, baptismum omnino negligit, ita Koppius omnia vi ad baptismum transfert; utriusque vero sententia eo inter se nectitur, quod, Paulum non solum baptismum, sed etiam vitam, baptismi sententiae accomodatam, in animo habere intelligimus. Praeterea cum Grotio non consentimus, quum ἐν ῥηματι vertit: per doctrinam; nam ex altera parte praepositio per nimis externam quandam respicit rationem, siquidem Christus ecclesiam purgat non tam per verbum (perinde ac si Christus, ut causa, sejun-

sit illius aquae lavacri in verbo ratio ad baptismum? Verbum et baptisma eo sese invicem respiciunt, quod baptismi sententia ad verbum tendit, eâdemque declaratur: quemvis Christi discipulum illud lavacrum, quod in verbo consistat, debere subire i. e. eum Christi verbo ab omni errato peccatoque esse purgandum. Illud autem, quod ecclesia revera purgando consecratur, non tam ad baptizandi ritum, quam ad Christum pertinet, qui, in aeternum versans in ecclesia, eodem verbo eam a falso ad verum,

---

ctus esset a verbo ejusque effectu), quam in verbo (ita ut et Christus ipse sit illud verbum, et ecclesia in eodem insit); ex altera parte verbi notio ultra solam doctrinam egreditur; id quod jam ostendimus. Mirum autem in modum hanc rem Koppius expedivit, qui, quum in iis, quae Grotius, Tellerus aliique senserint, acquiescere non posset, id quod ipse profitetur, ad Hebraeos confugiens, hujus loci explicationem ab hebraica quadam petiit formula, quae vel in V. T. admodum est rara. „Jungo, inquit, — ἐν ῥήματι ἵνα, atque in his nihil de Evangelica doctrina, sed ad verbum translata hebraica על דבר אשר l. Chald. בדברת די reperio pro simplici ἕνεκεν τοῦ l. εἰς τὸ παραστῆσαι κ. τ. λ.“ (ibid.) Cui addit Koppius, istam heb. formulam (vid. Exod. XVIII, 11.; Dan. II, 30.) Alexandrinos graece transtulisse: ἕνεκεν τοῦ: sed tantum abest, ut ejus de nostro loco sententia eo confirmetur, ut prorsus infringatur; vides enim ipsos LXX. interpretes, qui ad verbum studebant vertere, istam formulam iisdem graecis reddere verbis (ἐν ῥήματι ἵνα) non esse ausos. Nec Koppius etiam negat, formulam ἐν ῥήματι ἵνα, pro simplici ἵνα positam, ab omni graecorum loquendi usu plane abhorrere, quod tamen ea de causa non magni sit momenti, quia talia in N. T. ut Matt. IV, 4. aliisque locis saepissime inveniantur. Sed quo jure Pauli verba, quum interpretando omnino depravantur, ab omni graecorum loquendi usu abhorrere, dicere potes? Ex Koppii interpretatione totus locus, cui gravis inest sententia, plane exinanitur, ita ut (si recte scilicet, formula ἐν ῥήματι rejecta, Pauli verba interpretaris) nil, nisi superstitiosa quaedam de magicis baptismi viribus restet opinio, a qua quidem Paulus longissime abest. —

atque a vitio ad perfectam ducit virtutem. Quale autem est illud ῥημα? Ex Pauli mente ῥημα idem videtur esse, ac verbum fidei (Rom. X, 8. ῥημα — τουτ' ἐστι το ῥημα της πιστεως coll. vers. 17.), quod non differt a verbo Christi seu λογου (Jo. III, 34.; V, 47.; VI, 63. 68.; VIII, 47.; XII, 47. 48.; XIV, 10.; XV, 7.; XVII, 8.). Cujus verbi gravem ideam neque doctrina, neque fides, si eas quidem per se spectes, potest continere; nam illud ῥημα non solum doctrina est, aut fides, quae a λογῳ profectae sunt vel proficiscuntur, sed etiam ipse λογος, a quo tam doctrina et fides, quam quaecunque sunt vera et sancta, emanant in aeternum; ex quo apparet, ῥημα aequare λογον, qui in doctrina, fide et amore suam manifestat essentiam. Quod quum ita sit, λουτρον του ὑδατος ἐν ῥηματι eo perficitur, quod Christus seu λογος, ecclesiam consecrans, veros evangelii sectatores vel doctrinae ope ad fidem et amorem, vel per spiritum et in spiritu ad cognoscendam ducit veritatem. Quemadmodum autem illud ῥημα, quo ecclesia est fundata, Christo auctore, spiritus est, in aeternum vivus (Jo. VI, 63.: τα ῥηματα, ἁ ἐγω λαλω ὑμιν, πνευμα ἐστι και ζωη ἐστιν), ita etiam λουτρον ἐν ῥηματι non discrepat a λουτρῳ πνευματος ἁγιου. Jam facilius apparebit, quid locus Tit. III, 5., ad quem exponendum nunc progredimur, sibi velit.

Apostolus illo loco commonet, omnes olim quidem vitam, cuilibet turpitudini atque dedecori obnoxiam, egisse; postquam autem dei salvatoris erga homines benignitas apparuisset, eundem deum non propter facta proba, ab ipsis edita, sed pro sua misericordia omnes praestitisse salvos δια λουτρου παλιγγενεσιας και ἀνακαινωσεως πνευματος ἁγιου. Paulus ergo eam agendi rationem, qua homo, suis con-

fisus viribus, virtutem sibi quaerit, dei opponit amori et misericordiae, quae eo tendat, ut homo fruatur beatitudine. Deus autem summum suum erga homines amorem eo ostendit, quod tum in Christo certo tempore sese manifestavit, tum per Christum in hominibus suam revelat essentiam in aeternum, quo etiam homo verum cognoscere et bonum possit velle atque perpetrare. Ex quo jam patet, dei gratiam eo demum reapse esse potentem atque praesentem, quod homo, illa gratia ductus, quaecunque sunt proba vel sancta, perficiat. At quo sensu Paulus, hominem non propter bene facta ab ipso edita, sed pro dei misericordia lavacro regenerationis et renovationis spiritus sancti salvum reddi dicit? Quemadmodum fides vana est, nisi vim suam salutiferam in bonis operibus, seu in spectata probitate, prodit, ita quaevis hominis opera, nisi ex fide seu intima dei conscientia, sed e suarum rerum studio proficiscuntur, nullius sunt fructus, quamvis fortasse, quia vel huic, vel illi utilitatem praebeant, videantur proba. Etenim homo, quidquid revera bonum est, neque velle, neque perpetrare potest, nisi deus, qui solus est bonus, in eo inest, ita ut ipse deus, tanquam internus sit impulsus, quo homo ad pia probaque ducatur opera. Id vero non negligendum est, quod homo ipse aeque agere, ac deus in eodem illo actu praesens cogitari debet; nam deus hominem ad bonum ducere eumque salvum reddere non potest, nisi ipse homo in se dei amorem vim suam exserere siverit, seu ipse sese per deum admovet ad ea, quibus nititur beatitudo. Jam videndum est, qua ratione homo l a v a c r o r e g e n e r a t i o n i s e t r e n o v a t i o n i s s p i r i t u s s a n c t i praestari possit salvus. Eadem fere, atque illius, quem modo explicavimus, hujus loci est

ratio, quamquam hic illud lavacrum accuratius definitum atque pro *ἐν ῥηματι* est positum *πνευματος ἁγιου* (i. q. *ἐν πνευματι ἁγιῳ*). Attingunt quidem haec Pauli verba sacram immersionem, siquidem haec declarat, hominem a prima carnali nascentia, quae erroribus et peccatis sit plena atque conferta, esse liberandum, ut in sancto dei spiritu renascatur, ejusque vita funditus renovetur; sed Paulus eam tamen baptismi ideam in animo habet, quae hominis christiani vitâ est perfecta, quoniam non baptismo homo fruitur beatitudine, sed eâ demum vitâ, in qua, quaecunque baptismus constituit necessaria, re ipsa absolvuntur (i. e. vitâ in spiritu regenerationis et renovationis collocatâ). Itaque lavacrum illud regenerationis et renovationis eo ad finem perducitur seu consummatur, quod vetus in carne rebusque caducis posita hominis vita, in dei spiritu omnino renascatur. Ipsa vero regeneratio maxime cernitur, quum homo, ab iis, quae ad carnalem istam pertinent nascentiam, remotus, ea appetit, quae dei veritate nituntur ac sanctitate. Quare vel animum suum totum collocat in iis, quae revelato Christi verbo continentur, quo dei filio habeat fidem; vel id agit, ut sanctam Christi sequatur vivendi rationem, ita ut deum et homines pari complexus amore, bona et proba summo persequatur studio.

Restat unus isque quidem perdifficilis explicatu locus; qui 1 Pet. III, 21. reperitur. Apostolus postquam dixit: deum clementem exspectasse (impios homines redituros ad meliorem frugem) diebus Noachi, donec arca esset exstructa, in qua non nisi pauci, octo scilicet homines, essent servati per aquam, ita pergit: „*ὁ και ἡμας ἀντιτυπον νυν σωζει βαπτισμα (ὀυ σαρκος ἀποθεσις ῥυπου ἀλλα συνειδησεως ἀγαθης ἐπε-*

ρωτημα εἰς Θεον) δι' ἀναστασεως Ἰησου Χριστου" [57]). Comparatio, qua apostolus utitur, haec est: quem-

---

57) Davides Julius Pottius in explicando hoc versu (vid. ejusd. Comment. ad Epist. Cathol. edit. Kopp.) de voc. ἀντιτυπου sic sentit: — „ἀντιτυπος Hebr. IX, 24. est res s. exemplar typo vel signo rei futurae respondens; verbo: res praefigurata" tum nonnullis locis aliunde allatis pergit: „quo quidem sensu voc. ἀντιτυπ. et h. l. tenendum esse videtur, ita ut sensus prodeat hic: aqua Noachum cum suis servavit v. 20, — sed aqua (sic jam pergit apost. v. 21.) et nos adhuc servat, sc. in baptismo, cujus typus erat inundatio Noachica, et qui huic typo prorsus respondet. Vide quaeso, quam arcte sic omnia cohaereant." At vero Pottii verba non arcte inter se cohaerere, quis est, quem fugiat? Nam ἀντιτυπον, id quod etiam Pottius vult, ex apost. mente est baptisma; sin vero inundatio Noachica baptismi dicitur typus, ideoque in baptismate nullus est typus, hic baptismus esse non potest ἀντιτυπον i. e. „exemplar typo vel signo rei futurae respondens", sed exemplar est typo rei praeteritae respondens, ita ut illa inundatio Noachica sit ἀντιτυπον s. res praefigurata; ex quo patet, Pottium, eo sibi repugnare, quod, etsi voc. ἀντιτυπον solum ad baptisma referat (vid. l. c. p. 119.), in explicando tamen inundationem Noachicam habeat pro ἀντιτυπῳ illo. Apostolus autem, baptismum vocans ἀντιτυπον, hujus vocis significationem non solum ad rem praeteritam, sed etiam ad ea refert, quae hominis christiani vitae esse debent propria, ita ut baptismus sit typus, qui ex altera parte, ipsius aquae causa, inundationis Noachicae gerat similitudinem, ex altera autem parte christianae vitae salutem, per Christi resurrectionem obtinendam, significet. Pottius suae sententiae addit: „Ceterum tota haec comparatio unice revocanda est ad aquam, quae in baptismo adhibetur, et ad salutem omnino, per baptismum nobis comparatam, minime vero ad baptismi finem, salutisque hujus rationem extendi debet." Quae quidem distinctiones sana nobis videntur carere ratione; etenim quid tandem baptismi est finis, nisi id, quod per baptismum comparatur? deinde, quid est salus omnino, quavis hujus salutis ratione exclusa? Rei cujusdam finis, sine eo, quod per hanc rem comparatur, cogitatus, itemque salus omnino, sine omni hujus salutis ratione, ficta, ad meri figmenti similitudinem proxime accedit. Praeterea Pottius de vocabulo „ἐπερωτημα", postquam

admodum diluvii tempore plures homines sunt servati per aquam, ita nos quoque baptisma (aqua),

---

tradidit, sponsiones, interrogando factas, olim in baptismo locum habuisse, haec adjicit: „hinc denique ἐπερωτημα omnino est promissum quodlibet, quo quidem sensu et h. l. acceperim, allusione tamen facta ad quaestiones istas baptizandis proponi solitas." Quae Pottius aliique (vid. Wahlii Clav. N. T. et Schleusneri Lexic. sub h. v.) de istis sentiunt quaestionibus et responsis, in baptismo adhibitis, huc non pertinent; enimvero talia jam apostolica aetate in more fuisse, neque sacra scriptura, neque scriptores eccl. memorant. Pottius plura quidem e Tertulliano affert et Cypriano, quae, omnibus nota, illius faciunt mentionem moris; at illi patres, quibus ipsum Justin. Mart. (Apol. II. §. 61.) jam addamus, de iis, quae sua aetate, non tamen apostolorum tempore usu ac more erant recepta, loquuntur. Verba denique: δι' ἀναστασεως I. X. Pottius vel ad συνειδησ. ἀγαθ. vel ad ἐπερωτημα esse referenda existimat „ita ut συνειδ. ἀγαθ. δι' ἀναστασεως I. X. sit: bona conscientia, ad quam conservandam resurrectio Christi animum nobis atque vim suppeditavit" (id quod ex apost. verbis difficile colligas; atqui Christi resurrectio, nisi eam pro externa quadam habeas historia, non solum animum ad conservandam bonam conscientiam suppeditat, sed etiam quaevis bona conscientia non nisi per resurrectionem aeterni Christi i. e. eo, quod resuscitatus in homine vivit Christus, efficitur; alioquin resurrectio Christi externam tantum ad hominem haberet rationem); „ἐπερωτημα vero, Pottius pergit, εἰς θεον δι' ἀναστ. I. X. i. q. ἐπ. ε. θ. δια πιστεως εἰς ἀναστασιν I. X. promissum conservandae bonae conscientiae, ex fide, in resurrectione J. Ch. collocata, oriundum" (cujusmodi explicatio, qua simplicibus verbis: δι' ἀναστ I. X. multa temere subjiciuntur, iterum arbitraria nobis videtur). Quum formula: promissum bonae in deum conscientiae, baptismi descriptionem contineat, necessario verba: δι' ἀναστ. I. X., etiamsi ad promissum vel bonam conscientiam referas, nihilominus tamen baptismum tangunt, quoniam ex apostoli mente illud promissum etc. est baptisma, quod ut ἀντιτυπον hominem servet; eoque verba δι' ἀναστ. I. X. potius ad ἡμας σωζει βαπτισμα sunt referenda, quod tum altera relatio, nisi multa suppleas, commodo sensu caret, tum e sacra scriptura baptismi sententia resurrectionem Christi respicit. —

quippe quod illi aquae respondens, sit typus, salvos praestat per resurrectionem Jesu Christi. Prima igitur nostri loci verba sic nobis videntur vertenda: „quae (aqua) etiam nos (sic nos quoque aqua) antitypus (antitypice) nunc salvos praestat baptisma (ut baptisma s. in baptismate). Sequentia vero verba, quae in parenthesi sunt posita (*οὐ — εἰς θεον*), accuratiorem baptismi continent descriptionem, ita ut haec prodeat sententia: — baptisma, (quod est) non sordium depositio carnis seu corporis (quae externa ratione per ablutionem fit), sed (internum) bonae in deum conscientiae *ἐπερωτημα*. Qui vocabulum *ἐπερωτημα* putant significare „interrogationem" (num baptizandus optimae erga deum mentis sibi sit conscius?), seu „rogatum" (ut deus baptizando homini bonam praebeat conscientiam), ii baptismo sententiam supponunt singularem, quoniam ejus notio non tam ista interrogatione vel hoc rogatu, quam eo continetur, quod baptizandus novae spirituali vitae, qua fundata est bona conscientia, obstringitur. Quapropter voci *ἐπερωτημα* significatio promissi seu obligationis nobis videtur subesse, ita ut baptisma sit: bonae erga deum conscientiae promissum, seu hominis baptizati in deum obligatio, ut praeclaram sibi servare velit conscientiam. Quomodo autem verba: *δι' ἀναστασεως Ἰησου Χριστου* cum toto cohaerent loco? Illam sententiam, quam Paulus de symbolica baptismi significatione habet (Rom. VI, 3—6.), etiam hic Petri locus respicit; etenim quum sacra immersio, baptizatos homines, quia Christus e mortuis sit resuscitatus, resurrectionis esse participes declaret, eo ipso christianae religionis sectatores salvos praestat (typica scilicet ratione, quae aquae causa illi Noachicae per aquam conservationi

respondet) per resurrectionem Christi (i. q. per communionem ejusdem resurrectionis). Quibus expositis, totius loci sensus nobis videtur esse hic: ut diluvii tempore nonnulli homines sunt servati per aquam, ita nos quoque aqua antitypice ut baptisma, quod non externa sordium corporis est ablutio, sed bonae in deum conscientiae promissum, salvos reddit per resurrectionem Jesu Christi (seu eo, quod, novae spirituali vitae obstricti, Christi resurrectionis sumus participes). Ceterum, quae revera sit Christi resurrectionis ratio tum ad baptismum, tum ad hominis baptizati vitam, supra satis superque nobis videmur explanasse.

Jam vero quidquid ad biblicam de baptismo spectat doctrinam, id satis putamus illustratum esse. Sed perbreviter ut denuo comprehendamus, quae hactenus pertractavimus, haec sunt adjicienda: Judaeorum baptismus ad reliquos purgandi ritus pertinet [58]); Joannes autem omnes judaicos purgandi

---

58) Nuperrime Paulus in libro suo exegetico (vid. Exegetisches Handbuch über die drei ersten Evangelist. part. pr. p. 306—316.) accurate disseruit de judaico proselytorum baptismo, quod nos commovet, ut eadem de re perpauca adjiciamus. Omnino fere assentitur Paulus Schneckenburgero, additis notulis quibusdam non indoctis; cujus quidem ex judicio baptismus, qui vulgo dicitur proselyticus, ante Joannis aetatem, nulla alia re continebatur, nisi externo quodam lavandi more, quo utebantur vel ad sanguinem, circumcisione perfusum, abluendum (idcirco Paulus nobis videtur dicere: „Proselytenwaschung" vel „Beschneidungsbad" p. 309 et 311.), vel ad aliis levibus ceremoniis indulgendum. Quae quamquam a multis jam sunt dicta, nemo tamen causis rationibusque idoneis ullum scriptorem statuisse probavit, purgandi in transituro adhibitum ritum ante Christum solenni et religiosa caruisse forma, eumque nihil aliud spectasse, nisi ut sanguis circumcisione effusus ablueretur. Ut quisque enim judaicus purgandi ritus minime externis lavationibus constat,

ritus ad unum confert baptisma, quod, necessitate poenitentiae fundatum, unam jam christiani baptismi

---

omni interna religionis natura carentibus, ita maxime a vero abhorret, quod transiturus proselytus sive ante circumcisionem vel sacrificium, sive post circumcisionem lavatione quadam sit imbutus, nullo religiosi ac necessarii ritus respectu peractâ. Paulus quidem putat, baptismum judaicum circiter saeculum secundum a Rabbinis esse inductum (l. c. p. 311 et 314.); attamen si hic baptizandi ritus vere alienus fuerit et sejunctus a ceteris Judaeorum purgandi ritibus, vel a vetere proselytico lustrandi ritu, difficile sane intelligitur, quomodo vel Judaeorum in cultu locum potuerit obtinere (videlicet nulla religionis lege ac praecepto nisus), vel et judaici et christiani aliive scriptores nullam hujus novae et subito receptae ceremoniae mentionem fecerint. Permirum autem in modum Paulus interdum, si priorum saeculorum scriptores ipsius sententiae repugnant, culpam vel ignorantiae vel erroris vel falsae opinionis confert in Rabbinos, vel omnino in Judaeos (cf. pag. 309, ubi Paulus Pseudo-Josephum, quia scilicet voce טָבַל pro צָבַע utens, de Joanne dicit: אֲשֶׁר עָשָׂה טְבִילָה, rabbinicae opinionis atque ignorantiae accusat; et p. 312. ubi notat: Gemaram saepissime errare; pharisaicas Rabbinorum scholas saeculo secundo multa [inter quae etiam baptismum referas], a priori more ac consuetudine abhorrentia, instituisse; et Judaeos tunc temporis ipsorum historiae jam fuisse inscios). Sic multa mehercle, conjecturis antea excogitatis repugnantia, in historia facillime possunt converti ac permutari! Nec tamen iis omnibus, nullum omnino baptismi similem ritum ante Joannem apud Judaeos in more fuisse, probatur. Sane eos Paulus studet refellere, qui ipsum Joannis vel Christi baptismum jam apud Judaeos sibi videntur reperisse, qua quidem in re nos ei prorsus suffragamur, sed primus tamen in transituro proselyto adhibitus judaicus purgandi ritus, jam diu ante Joannis et Christi aetatem cum circumcisione et sacrificio conjunctus, ipse erat baptismus quidam. Unde patet, quantum intersit inter Joanneum et Judaicum baptismum, quomodo etiam vel possit mutatis vocibus appellari saepissime το: βαπτιζειν, respectu scilicet Joannis: צָבַע, respectu autem Judaeorum: טָבַל, etsi idem hoc discrimen, ut jam significavimus, simpliciter et absolute non est constituendum. Sed accuratiori hujus argumenti expositione supersedere nos posse arbitramur, quum ab initio libri nostri eam jam exhibuerimus, iisque, quae Paulus

continet partem; **Christus** denique sacram immersionem instituit, qua interna hominis ad trinunum deum ratio significetur; cujus rei apostoli etiam in peragendo baptismo bene sunt memores, ita tamen, ut illius finis eo spectet, ut homo, christianae fidei initiatus, ab erroribus atque peccatis removeri, ejusque vita cum Christo, in aeternum vivo, per sanctum dei spiritum arcte debeat conjungi. — Qualem porro baptismus in ecclesia habuerit eventum, hoc superest, ut sequentibus demonstremus.

---

proponit, responderimus. Nec tamen possumus denique non mentionem facere unius loci, ex **Justino Mart.** a Paulo allati, qui, quum partim judaicum quendam baptismum agnoscat, partim, a christiano quantum abhorreat, bene norit, nostram apertissime sententiam confirmat. **Justinus** enim (in Dial. cum Tryph. Jud. p. 34, ed. Wurzeb.) dicit, homines christianos baptisma illud inutile puteorum i. e. in puteis peragendum (videl. judaicum) non recipere, quippe quod nihili sit aestimandum prae christiano vivificante baptismo („*οὐδε γαρ το βαπτισμα ἐκεινο το ἀνωφελες των λακκων προσλαμβανομεν· οὐδεν γαρ προς το βαπτισμα τουτο το της ζωης ἐστιν*“). — Cetera, ut diximus, suo loco a nobis jam sunt pertractata.

PARS SECUNDA.

DOCT. ECCLESIASTICA.



Historia baptismi, quae in ecclesiastica explicanda doctrina proponatur necesse est, in tres dividitur partes, quarum prima significabitur, quae primis quatuor saeculis vera baptismi fuerit ratio; tum Augustini cum Pelagio de baptismo certamen exponetur, et tertia denique parte tum theologorum scholasticorum, tum anabaptistarum, tum reformatorum sententiam de sacra immersione proferemus. Jam quod attinet ad primam partem, quaeritur, quid scriptores eccll. de baptismi necessitate, vi atque effectu senserint, quantumque ab horum sententia haereticae abhorreant opiniones; deinde, quomodo baptisma sit administratum atque in quibus adhibitum, qua in re disserenda simul de infantium baptismo agetur; postremo vero incipientem de sacra immersione controversiam, quae inter Stephanum erat et Cyprianum, percensebimus.

I. HISTORIA BAPTISMI AB ECCLESIAE PRIMORDIIS USQUE AD AUGUSTINI TEMPORA.

1. DOGMATICA PATRUM ORTHODOXORUM SENTENTIA DE SACRAE IMMERSIONIS NATURA.

§. 19.

Ecclesia, a Christo constituta, externa ratione eo conservatur et a quavis alia societate, quaecun-

que est, discernitur, quod sacramenta administrantur, deique verbum docetur; simulque internum vinculum, quo singula illius ecclesiae membra tum inter se, tum cum Christo arctissime conjunguntur, una est omnibusque communis fides, dei filio habita, quae, spiritu nitens, per sanctum dei spiritum ad verum cognoscendum bonumque conficiendum perducitur, quo eadem ecclesia revera sit coeleste divinae gratiae regnum. Quum vero ecclesia eo tendat, ut depravati scelestique mundi regnum evertatur ejusque loco dei regnum ad summum evehatur: sacramenta quoque non solum externam in ecclesia consociationem conservant, sed etiam necessitatem internae in Christi regno ostendunt conjunctionis, quae per vitam, in dei spiritu collocatam, perficitur. Hanc tamen rationem, quam id, quod externo per sacramentum modo conficitur, ad ea habet, quae non nisi interna ratione per spiritum in homine efficiuntur, hanc igitur rationem patres eccll. ita deformant, ut, quaecunque spiritualis cum Christo conjunctio praebet, e sacramento deducant eoque vere effici opinentur. Sic baptisma horrendum aliquod significatur mysterium, quo, et divinorum beneficiorum contineatur summa, et eae conclusae sint vires, quibus maxima ad impetrandam salutem aeternam praesidia comparentur. Ad unum omnes patres sacrae immersioni plane miros, singulares et magicos adscribunt effectus, tamquam deus hac aqua baptismali ut instrumento utatur, quo cum homine, vera fide imbuto, tam spiritum communicet sanctum, quam quaecunque ducunt ad beatitudinem [1]). Negari quidem non potest, veri ali-

---

1) Quantum sit ponderis ac virtutis a scriptoribus eccl. sacrae immersioni tributum, jam ex splendidis cognoscitur vocibus,

quid in patrum eccll. sententiis inesse, quoniam plerique omnes saepius statuunt, hominem istis coelestibus bonis, sacrae immersioni admixtis, frui non posse, nisi si tota sit mente Christo deditus, eumque vitae turpiter actae poeniteat, quo ad frugem animum applicaturus sit et sancte honesteque vivat; attamen id restat falsum, quod communionem Christi veritatis, sanctitatis, beatitudinis non ex fide derivant atque amore, sed ex baptismo, quo neglecto cetera omnia sint imperfecta. Summatim ex eo errorum cohors orta est, quod omnis ecclesia antiqua regenerationem atque baptismum prorsus confundebat, neque poenitentiam neque absolutionem ad totam, dei spiritu fundatam, vitam pertinere, clara mente comprehendebat; hinc omne opus operatum, omniaque opera supererogationis justificantia sunt profecta; hinc eleemosynae et martyrium, tamquam perfecta satisfactio et baptismus alter. Jam vero, ut, quae modo memoravimus, veteris ecclesiae doctrinae esse consentanea intelligatur, nonnullorum, qui inter illustres numerantur, patrum de baptismo sententias proponere opus erit [2]).

---

quibus baptisma vel homo baptizatus vulgo significatur; quo spectant: homo signatus, pro dei filio adoptatus, a peccatis ablutus, divina gratia donatus, in foedus gratiae receptus, illuminatus, sanctificatus, renovatus, regeneratus aliaeque sexcentae; nec minus ad baptismum referuntur graecae voces: *σφραγις*, *μυησις*, *χρισμα*, *δωρον* (scl. *πνευματος ἁγ.*), *χαρισμα κυριου*, *μεγαλη περιτομη*, *τελειωσις*, *το τελειον*, *φωτισμος*, *φωτισμα*, *παλιγγενεσια*; itemque: *ἀναγεννᾷν*, *καινοποιειν*, *ἀνακαινιζειν*, *ἁγιαζειν* aliae.

2) Permulta, quae ad historiam baptismi spectant, et maximum praebent fructum, viri proponunt, magna eruditione atque doctrina ornati: Guil. Wallus lib. supra cit.; Jo. Gerh.

Hermas, baptismi necessitate perspecta, saepius magnas mirasque ei attribuit vires; sic in describenda versans imagine quadam, qua Christi ecclesia ut turris, super aquas exstructa, adumbratur, memorat, turrem istam super aquas esse aedificatam, quoniam vita per aquam (baptismum) salva fiat. Eadem turris imagine alio loco latius descripta, dicit, singulos isti turri (dei civitatem repraesentanti) insertos lapides, qui de profundo adscenderint (petiti sint), prophetas adumbrare, apostolos doctoresque praedicationis filii dei, quos cunctos de profundo per aquam debuisse adscendere, ut, sigillo dei filii signati, regnum dei possent intrare, quoniam aqua sit sigillum, quod hominem, a morte liberatum, vitae tradat; ipsos vero apostolos, jam accepto illo sigillo, in aquam descendisse iterumque adscendisse, quo etiam prophetis darent illud sigillum [3]).

Vossius de baptismo (in opp. tom. VI.); Jo. Aug. Starck.: Geschichte der Taufe und Taufgesinnten. Lps. 1789.; Jos. Bingham.: origines s. antiquitates eccll., lat. vers. a H. Grischovio; vol. quart. —

3) Pastor. lib. I. similit. III. cap. 3.: „Quare igitur super aquas aedificatur turris? Audi: quoniam vita vestra per aquam salva facta est, et fiet." — Deinde Past. lib. III. similit. IX. cap. 15.: „Quare, inquam, de profundo hi lapides adscenderunt, et positi sunt in structuram turris hujus, cum jampridem portaverint spiritus justos? Necesse est, inquit" (scl. angelus, qui ei visionem explicat) „ut per aquam habeant adscendere, ut requiescant: non poterant enim aliter in regnum dei intrare, quam ut deponerent mortalitatem prioris vitae. Illi igitur defuncti sigillo filii dei signati sunt, et intraverunt in regnum dei. Antequam enim accipit homo nomen filii dei, morti destinatus est; at ubi accipit illud sigillum, liberatur a morte et traditur vitae. Illud autem sigillum aqua est, in quam descendunt homines morti obligati, adscendunt vero vitae adsignati etc." et cap. 16.: „Quare ergo, domine, illi quadraginta lapides" (scl. apostoli et doctores praedicationis filii dei) „adscenderunt cum illis" (scl.

Ex **Justini Mart.** sententia, per baptismum, quippe qui in judaicae circumcisionis et abluendi rituum loco sit positus, homines a priori nascentia liberati et a peccatis abluti renascuntur; quapropter eum vocat lavacrum **regenerationis** vel **illuminationis**. Ceterum Justinus persuasum quidem sibi habet, baptismi effectus e propria hominis vivendi ratione pendere, monens, baptisma non nisi eos, qui peccatorum agentes poenitentiam, in viam redeant, purgare a peccatis (*το βαπτισμα, το μονον καθαρισαι τους μετανοησαντας δυναμενον*): id quod a vero non abhorret; nihilominus idem Justinus peccatorum remissionem et cognitionem dei baptismo demum, quamvis sine resipiscentia et ad meliorem frugem reditione nullam habeat vim, perfici prorsus posse atque absolvi, opinatur; ex quo apparet, Justini de baptismo sententiam vera cum falsis confundere. Nam recte quidem baptismi effectus ad propriam hominis vitam sunt reducendi, minime vero ad remissionem peccatorum deique cognitionem baptisma est necessarium [4]).

---

justis V. T. hominibus) „de profundo, jam habentes illud sigillum? et dixit: quoniam hi apostoli et doctores, qui praedicaverunt nomen filii dei, cum habentes fidem ejus et potestatem defuncti essent, praedicaverunt his, qui ante obierunt, et ipsi eis dederunt illud signum. Descenderunt igitur in aquam cum illis, et iterum adscenderunt. Sed hi vivi descenderunt, at illi, qui fuerunt ante defuncti, mortui quidem descenderunt, sed vivi adscenderunt. Per hos igitur vitam receperunt et cognoverunt filium dei, ideoque adscenderunt cum eis, et convenerunt in structuram turris etc.“

4) **Dial. cum Tryph.** pag. 261. edit. Paris.: „*και ἡμεις οἱ δια τουτου προσχωρησαντες τῳ Θεῳ, οὐ ταυτην την κατα σαρκα παρελαβομεν περιτομην, ἀλλα πνευματικην — ἡμεις δε δια βαπτισματος αὐτην, ἐπειδαν ἁμαρτωλοι ἐγεγονειμεν, δια το ἐλεος το παρα του Θεου, ἐλαβομεν, και πασιν ἐφετον ὁμοιως λαμβανειν.*“ In Apologia pr. ad Antonium Pium (prope finem) Justinus, postquam rege-

Neque minus eis, quae **Irenaeus** de baptismi vi sentit, multum inest pravi; baptismo enim et regeneratione saepissime in unum fere confusis, existimat, singulos homines illam redemtionem, per Christum peractam, sacra demum immersione revera assequi itaque renasci. Accuratius autem deinde baptismi naturâ descriptâ, duplicem, pergit, esse effectum, quoniam tum **corpora** per illud lavacrum unitatem, interitus expertem (*ἑνωσιν προς ἀφθαρσιαν*), accipiant, tum **animae** spiritus sancti fiant participes [5]).

Inprimis **Tertullianus** multus est in collau-

---

nerationis (*ἀναγεννησεως*) causa sacram immersionem esse necessartam (ex Christi effato: Jo. III, 3. 5.) memoravit, ita pergit: „*και λογον δε εἰς τουτο παρα των ἀποστολων ἐμαθομεν τουτον· ἐπειδη την πρωτην γενεσιν ἡμων ἀγνοουντες κατ' ἀναγκην γεγεννημεθα ἐξ ὑγρας σπορας, κατα μιξιν την των γονεων προς ἀλληλους, και ἐν ἐθεσι φαυλοις και πονηραις ἀνατροφαις γεγοναμεν, ὁπως μη ἀναγκης τεκνα μηδ' ἀγνοιας μενωμεν, ἀλλα προαιρέσεως και ἐπιστημης, ἀφεσεως τε ἁμαρτιων, ὑπερ ὡν προημαρτομεν, τυχωμεν ἐν τῳ ὑδατι, ἐπονομαζεται τῳ ἑλομενῳ ἀναγεννηθηναι, και μετανοησαντι ἐπι τοις ἡμαρτημενοις, το του πατρος των ὁλων και δεσποτου θεου ὀνομα κ. τ. λ. Καλειται δε τουτο το λουτρον φωτισμος.*“

5) **Adversus haereses** lib. I. cap. 18. ubi baptismum vocat „*το βαπτισμα της εἰς θεον ἀναγεννησεως*“; cf. lib. II. cap. 39. et lib. III. cap. 19., ubi **regenerationis potestatem** ad baptismatis vim seu baptizandi potestatem videtur referre, his verbis: „Et iterum potestatem regenerationis in deum demandans discipulis, dicebat eis: euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen etc.“ Eodem praeterea capite de baptismo ita loquitur: „Corpora enim nostra per lavacrum illud, quod est ad incorruptionem, unitatem acceperunt, animae autem per spiritum s. Unde et utraque necessaria, cum utraque proficiant n vitam dei, miserante domino nostro Jesu Christo.“ Vide postremo lib. V. cap. 15., ubi de homine isto caeco, cui Christus, luto sputoque adhibito, oculos restituit, verba faciens, baptismi quoque facit mentionem, eumque cum regeneratione omnino videtur confundere.

danda baptismatis vi atque potestate. Vario modo baptismi necessitatem studet evincere, ita tamen, ut multa, imprimis vero, quae contra Cajanorum sectam, baptisma parvi aestimantem, disputat, magicam et superstitiosam prae se ferant speciem. Ex ejus enim opinione spiritus sanctus eadem fere ratione, atque in baptismo, a Christo suscepto, de coelo descendens super baptismi venit aquam, sanctificans eam, ut, per angeli interventum sanctificata sanctificandi vim hominibus possit tribuere. Atque eo fieri, ut, qui hanc sacram adeat aquam, renascatur, siquidem ex altera parte, peccatis remissis, istam imaginem, per Adami primum peccatum perditam, recuperet, atque ex altera parte sancto dei spiritu imbutus, aeternam cum deo consequatur similitudinem. Hanc perversam et singularem de baptismo opinionem Tertullianus eo ad verum proprius adducit, quod ipse profitetur, „fidem integram securam esse de salute" quapropter baptismum quoque nullam habere vim sine hominis baptizandi peccatorum poenitentia ac fide; attamen id relinquitur falsum, quod non tam fidei, Christo habendae, quam baptismo, quem verus Christi discipulus subit, miros istos adscribit effectus [6]).

---

6) Quae Tertullianus de sacra immersione sentit, libro continentur de baptismo, ex quo jam plura allegavimus. Initio cap. I. baptismum hisce describit verbis: „Felix sacramentum aquae nostrae, qua abluti delictis pristinae caecitatis, in vitam aeternam liberamur"; deinde contra Cajanorum acriter pugnans sectam quandam, quae baptismum nullius esse momenti opinabatur, fine huj. cap. addit: „nec aliter, quam in aqua permanendo salvi sumus." Cap. IV. de spiritus s. ad baptismi aquam descensu sic loquitur: „Ita de sancto sanctificata natura aquarum et ipsa sanctificare concepit" quibus verbis illustratis pergit. „Supervenit enim statim spiritus de coelis, et aquis super-

Tertulliani vestigia persequitur **Cyprianus**, qui, de baptismo, a se suscepto, verba faciens, com-

---

est, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt" et sub finem huj. cap. „Igitur medicatis quodammodo aquis per angeli interventum, et spiritus in aquis corporaliter diluitur, et caro in eisdem spiritaliter mundatur." Cap. V.: „Ita restituitur homo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem dei fuerat, imago in effigie, similitudo in aeternitate censetur" et cap. VI. initio: „Non quod in aquis spiritum s. consequamur, sed in aqua emundati sub angelo spiritui sancto praeparamur. Nam ut Joannes praecursor domini fuit — ita et angelus, baptismi arbiter, spiritui sancto vias dirigit, ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignata in patre et filio et spiritu s." Cap. VII. primum memorat, quid manuum impositio significet, dicens: „manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans spiritum sanctum" tum non multo post adjicit: „Tunc ille sanctissimus spiritus emundata et benedicta corpora libens a patre descendit super baptismi aquas, tamquam pristinam sedem recognoscens conquiescit columbae figura delapsus in dominum, ut natura spiritus sancti declararetur per animal simplicitatis et innocentiae." Cap. XIII. iis, qui, quum jam fides sufficiat, baptismum non esse necessarium opinentur, reprehensis, addit: „Fuerit salus retro per fidem nudam ante domini passionem et resurrectionem. At ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem resurrectionemque ejus, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda nec potentiam habuit sine sua lege." — Plura ut ex hoc libro citemus, infra locus erit. Ceterum jam sanius de baptismo Tertul. disputat hisce locis: lib. de poenit. cap. VI.: „Lavacrum illud obsignatio est fidei, quae fides a poenitentiae fide incipitur et commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere desinamus, quoniam jam corde loti sumus. Haec enim prima audientis intinctio est, metus integer"; cf. lib. de anima cap. 41.; et lib. de poenit. cap. VI. „Quis enim tibi, tam infidae poenitentiae viro, asperginem unam cujuslibet aquae commodabit? Forte quidem aggredi et propositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci potest. Sed deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere ingignos. — Quidam autem sic opinantur, quasi deus necesse habeat, praestare etiam indignis, quod spopondit, et libertatem ejus faciunt servitutem."

monet, acceptâ sacrâ immersione, erroris et inscientiae tenebras esse sublatas, ipsiusque mentem inde ab illo temporis momento clarissimo rerum lumine imbutam, ita ut, quavis caligine ab animo dispulsa, protinus novum in hominem sit immutatus. Ut Tertullianus spiritum s. ad baptismum descendere opinabatur, ita Cyprianus quoque arbitratur, illum spiritum baptismo inesse, quo res sacramenti consummetur et homo sanctificatus renascatur. Quae opinio maxime e falsa Christi effati Jo. III, 5. interpretatione est orta, quod ad unum omnes antiquae ecclesiae doctores ad baptismum, qui regenerationem efficere putabatur, referunt. Nec tamen id Cyprianus negligit, quod baptismus debeat arcte cum hominis vita cohaerere; quare nullius esse pretii docet, baptizatum aliquem esse et eucharistiam accepisse, nisi idem factis et opere proficiat [7]).

Jam nonnullorum, qui Alexandriae floruerunt, christianae religionis doctorum de baptismo sententiam attingere, par erit. Ecclesia occidentalis in eo multum cedit orientali, quod hujus immortale est me-

---

7) Vide Testt. ad Quir. lib. III. cap. 25.; deinde lib. de gratia, ubi inter alia dicit: „Postquam undae genitalis auxilio superioris aevi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam coelitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare, quod prius difficile videbatur etc.“ Epist. VII. „in baptismo, inquit, omnes nequitiae vires diabolus amittit“ atque ibid. subjungit: „Sicut scorpii et serpentes, qui in sicco praevalent, in aquam praecipitati, praevalere non possunt, aut sua venena retinere, sic et spiritus nequam, qui scorpii et serpentes appellantur et tamen per nos data a deo potestate calcantur, permanere ultra non possunt in hominis corpore, in quo baptizato et sanctificato incipit spiritus sanctus inhabitare etc.“

ritum, perspexisse, christianam fidem in causa esse, ut ad rerum divinarum tendat cognitionem et scientiam (πιστιν ad γνωσιν), ideoque Christi religionem sitam esse in theologia, qua evangelii argumentum per divinum spiritum necessario sit explicandum atque cognoscendum. Quapropter christiana theologia, quippe quae in eo versetur, ut, quaecunque fides ad tempus referat praeteritum vel futurum, praesenti tempore per λογον mente comprehendat, praeclarum suum initium firmissime constituit in schola Alexandrina. Nemo quidem negabit, etiam illos, qui Alexandriae florebant, viros multa, mente et cogitatione a singulis rebus et praesentibus abstracta, sibi finxisse commenta; quod res ipsa ita fert, quoniam apud illos theologiam non tam omnino perfectam, quam revera exortam videmus. Ab ista certe vana opinione, quae, in ecclesia occidentali valens, apud multos patres et praecipue apud Tertullianum reperitur, secundum quam christianae religionis doctrinas necessaria explicatione et scientia non indigere statuebant, scriptores quidem Alexandrini prorsus abhorrebant, qui, quum aeternum, in Christi ecclesia vivum, λογον non solum in fide, sed etiam in rerum cognitione vim suam exserere summam, bene intellexissent, cognoscendi quaerebant rationem. Quod vero ad baptismi sacramentum attinet, etiam Alexandrini patres, quamquam symbolicam vel spiritualem baptismi significationem non omnino quidem negligunt, in eo tamen erraruut, quod illi subitos singularesque effectus adscribunt.

Clemens Alexandrinus arctam statuens baptismi conjunctionem cum dei spiritu atque hominis vita, eo uti deum putat, quo spirituali ratione hominem, ab errore peccatoque purgatum, ad ea du-

cat, quae veritate nitantur; quare omnia tenebrarum docet seu ignorantiae vincula partim humana fide, partim divina gratia dissolvi; medicamentum autem paeonium, quo remittantur peccata, ipsum esse baptisma spirituale; quibus addit, homines, peccatorum afflictos poenitentia, delictis renunciantes, baptismo percolatos, ad aeternam recurrere lucem, ut filios ad patrem; summatim ex Clementis sententia, baptisma, quamvis per se spectatum, non efficiat quidem remissionem peccatorum eaque, quae ad vitam pertineant veram et beatam; hominem tamen, christianae fidei praecepta secutum, illuminat, pro dei filio adoptat, et ipsam ad perfectionem ducit. Etiam Hermae sententiae, quam supra jam proposuimus, Clemens mentionem facit, non qua ipsam baptismi necessitatem ostendat, sed ut deum etiam erga eos, qui ex Paganis atque Judaeis sint justi, misericordem sese praebere evincat et benignum [8]).

---

8) Vid. Paedag. lib. I. cap. VI., ubi, postquam de baptismo a Christo suscepto verba fecit, ita pergit: „*Το δε αὐτο συμβαινει τουτο* (scl. *το* perfici lavacro, et spiritus adventu sanctificari) *και περι ἡμας, ὡν γεγονεν ὑπογραφη ὁ κυριος· Βαπτιζομενοι, φωτιζομεθα· φωτιζομενοι· ὑιοποιουμεθα· ὑιοποιουμενοι, τελειουμεθα· τελειουμενοι, ἀπαθανατιζομεθα. — Καλειται δε πολλαχως το ἐργον τουτο χαρισμα, και φωτισμα, και τελειον, και λουτρον· λουτρον μεν, δι᾽ οὑ τας ἁμαρτιας ἀπορρυπτομεθα· χαρισμα δε, ᾧ τα ἐπι τοις ἁμαρτημασιν ἐπιτιμια ἀνειται· φωτισμα δε, δι᾽ οὑ τὸ ἁγιον ἐκεινο φως το σωτηριον ἐποπτευεται, τουτεστιν δι᾽ οὑ το θειον ὀξυωπουμεν· τελειον δε, το ἀπροσδεες φαμεν κ. τ. λ.*“ Atque eod. cap. „quemadmodum“ inquit, „qui oculorum suffusionem conantur amovere, non extrinsecus eis lucem suppeditant, quam non habent, sed, quod oculis impedimentum afferebat, depellentes, liberam efficiunt pupillam: *οὑτως και οἱ βαπτιζομενοι, τας ἐπισκοτουσας ἁμαρτιας τῳ θειῳ πνευματι ἀχλυος δικην ἀποτριψαμενοι, ἐλευθερον και ἀνεμποδιστον και φωτεινον ὀμμα του πνευματος ἰσχομεν*“.

Origenes interdum videtur discrepare a **Clementis** de baptismo sententia; sed si ex ipsius scriptis, ea contuleris, quae baptismi naturam maxime respiciunt, idem fere atque unum ambo hi sentiunt. Quemadmodum **Clemens** baptismum denotat, ut **spiritualem**, ita **Origenes** eum vocat **symbolum purificationis**, quo omnem vim magicam a sacra immersione alienam putaris contineri. Attamen sibimetipsi non constans, Origenes symbolicam baptismi significationem praetermittit, dicens, eundem ritum esse remedium, quo hominis anima ab omnibus prioris vitae labibus mundetur. Qua re hoc non potest nos offendere, quod hic etiam pater eccl., baptismo cum ea peccata, quibus inquinatus homo nascatur, tum cetera omnia, quae se fecisse hominem poeniteat, remitti regenerationemque effici, existimet [9]).

---

et non multo post: „*τα δε δεσμα ταυτα, ᾗ ταχος, ἀνιεται· πιστει μεν ἀνθρωπινῃ, θεϊκῃ δε τῃ χαριτι· ἀφιεμενων των πλημμελημματων ἑνι Παιωνιῳ φαρμακῳ, λογικῳ, βαπτισματι· παντα μεν οὐν ἀπολουομεθα τα ἁμαρτηματα, οὐκετι δε ἐσμεν παρα ποδας κακοι κ. τ. λ.*“ (cf. Paed. lib. III. cap. 9.); ac perpaucis interjectis verbis de baptismo loquitur ut *διυλισμῳ*, dicens: „*τον αὐτον οὐν προπον και ἡμεις ἐπι τοις ἡμαρτημενοις μετανενοηκοτες, ἀποταξαμενοι τοις ἐλαττωμασιν αὐτων, διυλιζομενοι βαπτισματι, και προς το ἀϊδιον ἀνατρεχομεν φως, οἱ παιδες προς τον πατερα.*“ Denique **Pastoris** verba Cl. allegat **Strom.** lib. II. cap. 9. et lib. VI. cap. 6.

9) Cont. **Celsum** lib. III. cap. 51.: „Christiani vero ante omnia pertentant quoad licet animas eorum, qui ipsos audire cupiunt, et privatim illas informant; atque cum auditores, antequam in coetum admittantur, satis in voluntate honeste vivendi profecisse videntur: *το τηνικαδε αὐτους εισαγουσιν, ἰδια μεν ποιησαντες ταγμα των ἀρτι ἀρχομενων, και εισαγομενων, και οὐδεπω το συμβολον του ἀποκεκαθαρθαι ἀνειληφοτων· ἑτερον δε το των κατα το δυνατον παραστησαντων ἑαυτων την προαιρεσιν, οὐκ ἀλλο τι βουλεσθαι, ἠ τα χριστιανοις δοκουντα.*“ Minus recte de baptismo disputat **Comment.** in **Matt.** lib. XV.: „*οὐκ ἐστιν*

Saeculo quarto magna et divina auctoritas, qua baptismus jam secundo et tertio saeculo vigebat, multum adhuc incrementi atque amplificationis capit; nam hujus aetatis scriptores eccll., in laudanda sacra immersione omnî sermonis ubertate effusa, maxime persuasum sibi habent, hominem non nisi per eam ad divinae gratiae beneficia, remissionem peccatorum, regenerationem, immortalitatem, aeternam et beatam vitám pervenire. Sicuti per sanctum dei spiritum baptismi aqua funditus permutatur, eique vires inseruntur coelestes, ita per baptismum, spiritu addito, illuminatio mirifice communicatur homini et sanctificatio. Nonnulli quidem patres saniorem de baptismo sententiam interdum attingunt; attamen eosdem illos nunquam tenet ea opinio, quae ab omni magico vel mystico additamento prorsus sit vacua. Id certe ad unum omnes putant, quod in aqua baptismali divina lateat gratia, quae magnis hominem perfundat viribus. Jam quorundam scriptorum, saeculo quarto viventium, opiniones strictim significare sufficiat.

Cyrillus Hieros. Pauli apost. de baptismo sententiae (Rom. VI, 3.) quodammodo accedens, ho-

---

ἀφεσιν ἁμαρτηματων χωρις βαπτισματος λαβειν“ atque ibid., postquam monuit, neminem a labibus purum nasci, addit: „κατα δε την ἐκ λουτρου παλιγγενεσιαν πας μεν καθαρος ἀπο ῥυπου ὁ γεννηθεις ἀνωθεν ἐξ ὑδατος και πνευματος κ. τ. λ.“ (Cf. Comm. in Rom. V.) Praeterea vid. homil. XXI. in Luc. — „in peccatorum remissionem accipit baptisma, qui peccare desistit; si quis enim peccans ad lavacrum venît, ei nôn fit remissio peccatorum“; porro hom. XI. in Exod. „lota sunt semel vestimenta tua, cum venisti ad gratiam baptismi, purificatus es corpore, mundatus ès ab omni inquinamento carnis et spiritus“; et hom. XV. in Jos. „omne genus peccati, cum ad salutare lavacrum venimus, aufertur.“

minem in peccatis mortuum docet descendere in aquam, vivum in justitia adscendere; quod ita fusius explicat, ut baptismum cum peccatorum praebere remissionem et spiritum s., tum ipsum esse existimet antitypum eorum, quos Christus passus sit, dolorum. Aqua baptismi, ex ejus judicio, mundat corpus, spiritus autem, quippe qui in baptizando efficiat salutem, sigillum animae imprimit, ita ut homo non tam aquae simplici, quam spirituali gratiae, quae cum illa aqua detur, accedat. Qui igitur hoc, per spiritum consecratum, subit lavacrum, is ab omnibus liberatur peccatis, quae corpus vulnerant et animam [10]).

Basilius M. tria, quae inter se differant, baptismi genera recenset, scl. baptismum Mosis, Joannis, Christi. Mosis baptismus, non omnibus veniam praebens peccatis, ex Bas. mente, imperfecta erat purificatio, multis aliis, vel etiam externis rebus juncta; Joannis autem baptisma, etsi judaico perfectius, a christiano tamen superatur, siquidem illud praeparans abducat hominem a peccatis, hoc vero, omnia perficiens, conjungat cum deo (quare illud appellat: „ἁμαρτιας ἀναχωρησιν“; hoc „οἰκειω-

---

10) Catech. II. — „ἀλλα ἀκριβως εἰδοτων ἡμων, ὁτι ὡς ἐστιν (βαπτισμα) ἁμαρτηματων καθαρτηρων και πνευματος ἁγιου δωρεας προξενον, οὑτω και των του Χριστου παθηματων ἀντιτυπον κ. τ. λ.“ Cat. III. „νεκρος ἐν ἁμαρτιαις καταβας, ἀναβαινεις ζωοποιηθεις ἐν δικαιοσυνῃ“ — ibid.: „μελλων τοινυν εἰς το ὑδωρ καταβαινειν, μη τῳ ψιλῳ του ὑδατος προσεχε, ἀλλα τῃ του ἁγιου πνευματος ἐνεργειᾳ την σωτηριαν ἐκδεχου· ἀνευ γαρ ἀμφοτερων ἀδυνατον σε τελειωθηναι“ — atque iterum ibid.: „μη ὡς ὑδατι λιτῳ προσελθε τῳ λουτρῳ, ἀλλα τῃ μετα του ὑδατος δεδομενῃ πνευματικῃ χαριτι κ. τ. λ.“; postremo vid. cat. XVIII., ubi commemorat, peccata vulnerare corpus et animam, ita ut signa cicatricum maneant, quae non nisi lavacro tollantur.

σιν προς θεον"). Sed maxime baptismatis in eo vis ac potestas est sita, ut hominem a peccati corpore liberet, ne morti amplius indulgeat, eumque per spiritum in sanctificatione vivificet, quo mens ad coelestia tollatur. Unde fit, ut, e Basilii opinione, baptisma tamquam praesidia comparet, quibus ad coelestem dei regnum perveniamus (Jo. III, 5.), et qui illius (circumcisionis scilicet non manu factae) sit expers, aeternam amittat beatitudinem [11]).

Gregorius Nazianz. triplex nativitatis esse genus putat; quorum primum, corpore et carne fundatum, nocturnum, servum sit et libidinibus junctum; alterum, e baptismo proficiscens, diurnum, liberum, a cupiditatibus liberans, idemque omne, quod a carnali nascentia contractum sit, velamen discindens, et ad coelestem vitam nos ducens; tertium denique, in resurrectione positum, formidabilius, consonius, ac quamvis creatu-

---

11) Inprimis vid. ejusd. orationem exhortatoriam ad baptismum (homil. XIII.), in qua uno tenore rhetorice et gravissimis verbis homines, baptismum differentes, excitat ad sacram immersionem suscipiendam, ut, a quibusvis maculis, sordibus, et malis daemonibus liberati, coelestium bonorum deliciis frui, et una cum angelis possint esse. Jam placidius et sedato animo de baptismo loquitur in homil. XVII. quae est in s. baptisma seu de spiritu sancto; ubi inter alia leguntur: „*δυο σκοπων ἐν τῳ βαπτισματι προκειμενον, καταργησαι μεν το σωμα της ἁμαρτιας του μηκετι αὐτο καρποφερειν τῳ θανατῳ· ζην δε τῳ πνευματι και τον καρπον ἐχειν ἐν ἁγιασμῳ*“ — atque ibid.: „*ὥσπερ ὁ σταυρουμενος ἀπαλλοτριουται των ζωντων· οὕτω και ὁ ἐν τῳ ὁμοιωματι του θανατου συσταυρωθεις τῳ Χριστῳ ἀπαλλοτριουται παντπασι των κατα τον παλαιον ἀνθρωπον ζωντων ὑψωσας ἑαυτου το φρονημα προς την ἐπουρανιον πολιτειαν.*“ — Ceterum plura baptismo imponit nova nomina: v. c. *ὀχημα προς οὐρανον* — *βασιλειας του θεου προξενον* — *την ἀχειροποιητον περιτομην την τελειουμενην* — aliaque.

ram, creatori exhibitam, in unum cogens. Sacrae immersionis vim et facultatem praedicans, existimat Greg. eam alterius vitae esse sanctionem, quapropter cavendum, ne ista violetur, quum nulla jam posthac altera sit regeneratio (*οὐκ ουσης δευτερας ἀναγεννησεως*). In baptismo igitur, Gregorio auctore, divina latet gratia, et corpora et animas sanctificans, ita quidem, ut aqua ratione visibili (*θεωρητως τε και σωματικως*) corpus, spiritus autem modo invisibili (*ἀσωματως και ἀθεωρητως*) animam abluat. Dominus, e Gregorii mente, nunquam creaturam auxilio suo destitutam relinquit, sed divinitus eam instaurat baptismo, qui, sicut vitae cursum ineuntibus est signaculum, ita iis, qui adultiori sunt aetate, gratia et collapsae imaginis erectio. Itaque omnes aetatum gradus baptisma attingit, omniaque vitae genera, cum neminem non illuminet, incorruptione induat, eique ad coeleste regnum aperiat iter [12]). — Unum

---

12) Vid. ejusd. orationem XL. in s. baptisma. Greg. nonnunquam quidem ad sanam de baptismo sententiam prope videtur accedere, sed nihilominus multa, quae magicam prae se ferunt speciem, baptismi naturae admiscet; id quod jam nomina, quae ei dat, significant: v. c. *το μεγα και καλον φυλακτηριον* — *ἀφθαρσιας ἐνδυμα* — *τελειωσις* — *φωτισμος* — *ἁγιασμος* — *χαρισμα* — *σφραγις* — *της πεσουσης εἰκονος ἐπανορθωσις* (*τοις μεν ἀρχομενοις ἐστι σφραγις, τοις τελειοτεροις την ἡλικιαν, και χαρισμα, και της πεσουσης εἰκονος δια την κακιαν ἐπανορθωσις*) — *παλιγγενεσιας* s. *ἀναγεννησεως λουτρον* alia. — De tribus autem istis nativitatis generibus ita loquitur: „*τρισσην γενεσιν ἡμιν οἰδεν ὁ λογος, την ἐκ σωματων, την ἐκ βαπτισματος, και την ἐξ ἀναστασεως. Τουτων δε ἡ μεν νυκτερινη τε ἐστι, και δουλη, και ἐμπαθης· ἡ δε ἡμερινη, και ἐλευθερα, και λυτικη παθων, παν το ἀπο γενεσεως καλυμμα περιτεμνουσα, και προς την ἀνω ζωην ἐπαναγουσα· ἡ δε φοβετερα, και συντονοτερα, παν το πλασμα συναγουσα ἐν βραχει τῳ πλαστῃ παραστησομενον.*“ In quibus Gregorii verbis veri quid inest,

fere idemque de baptismo sentit **Gregorius Nyssenus**, qui itidem spiritum vivificantem baptismo junctum putat, quo et corpus et anima ab omni labe abluatur, et sic totus homo quodammodo redintegretur. Visibili enim aquae, ut consecratae, per divinam gratiam vis illa inest et facultas, quae omnium peccatorum remissionem, et renovationem regenerationemque efficit [13]).

At omnium maxime **Jo. Chrysostomus**, summâ saepissime eloquentiae vi, in enumerandis sacrae immersionis bonis modum excedit. Ex ejus opinione, neque physicae aquae natura per se sanat, nec sim-

---

quoniam recte quidem hominis vita triplex dici potest; at primum est innocens (nocturna), quo vitae gradu homo per suam potestatem neque malus est neque bonus; deinde noxia, ubi homo sui ipsius voluntatem et studium sequitur veluti ducem; postremo divina et coelestis (resurrectione fundata), cum homo, in aeterni *λογου* versans luce ideoque cum deo conjunctus, ad veritatem sese applicat et sanctitatem. Baptisma autem, in innocenti homine adhibitum, declarat, alteram istam vivendi rationem esse tollendam, et tertiam omni conamine acquirendam; a qua quidem sententia Gregorius abhorret, qui baptismo tum scelestam vitam exstingui, tum ad tertium illud, quod memorat, nascentiae genus viam muniri opinetur. Quam ob rem eos quoque, qui baptismi expertes de vita discedant, coelesti gloria carere censet; ii quidem, qui se invitis, baptismum non acceperunt, e Greg. judicio, neque coelesti gloria fruuntur, neque suppliciis coercentur; qui vero baptismum aspernantur, ii gravissimis post vitam afficientur poenis (vid. ejusd. orat. in b.).

13) Vid. ejusd. orationem adversus eos, qui differunt baptismum; ubi baptismi naturam paucis verbis denotat ita: „*βαπτισμα τοινυν ἐστιν ἁμαρτιων καθαρσις, ἀφεσις πλημμελληματων, ἀνακαινισμου και ἀναγεννησεως αἰτια.*“ Procrastinandi autem morem valde vituperans, commonet Greg., praestare, confestim baptismum accipere, etsi homo forte in antiquam peccandi consuetudinem nonnunquam recidat, quam, eo non accepto, in magnum sese mittere periculum.

plex aqua in hominibus, qui in eo sint, ut baptizentur, operatur, sed eadem illa aqua spiritus accipit gratiam, eoque ipso, omnibus ablutis peccatis, intimus hominis animus radicitus commutatur; etenim sanctus spiritus baptizandi momento tamquam ignis animos ingreditur, et absumta similitudine terrena, coelestem illam novam et claram, veluti ex fornace fulgentem, praebet. Judaicam circumcisionem, Chrys. existimat, dolorem efficere et laborem, eamque non aliam praebere utilitatem, nisi ut ex hoc signo Judaei possint dignosci et ab aliis gentibus sejungi, christianam vero circumcisionem seu baptismum, in quo peccatorum deponantur onera, medicinam offerre in dolorem ac laborem, et innumera praebere bona, et spiritus s. gratiâ homines implere. Summatim, quaecunque Christus veris evangelii sectatoribus promisit; quae, qualia, quantaque per sanctum dei spiritum possint in homine effici: ea cuncta Chrysostomus, superstitiosis laborans opinionibus, uno temporis momento baptizandi actu perfici atque impetrari arbitratur; quo fit, ut eos, qui in vita baptismum non susceperint, sempiternis, quae in orco sint luendae, poenis afficiat [14]).

---

14) Vid. ejusd. homil. XXXV. in evang. Joa. (cap. 5.): „οὐχ ἁπλως το ὕδωρ ἐργαζεται ἀλλ᾽ ὅταν την του πνευματος ἁγ. δεξηται χαριν, ἅπαντα λυει τα ἁμαρτηματα“ — hom. XXIV. de Christi baptismo: „βαπτισμα και ἁμαρτηματων ἀπαλλαττει, και ψυχην ἀποσμηχει, και πνευματος διδωσι χορηγιαν“ — hom. LXXVI. de poenit.: „προ δε βαπτισματος οὐκ ἐστι πατρωαν λαβειν, ἢ δεξασθαι κληρονομιαν“ atque ibid.: „οὐδεις δε ὑιος βαπτισματος ἀν κληθειη χωρις“ — hom. X. in Jo. (cap. I.) memorat, baptisma eadem ratione, qua ignis metallorum terram attactam reddat auream, nos pro luteis facere aureos (ἀντι πηλινων χρυσους), cum spiritus veluti ignis nostros ingrediatur animos, „και την μεν εἰκονα του χοϊκου κατακαιοντες, την δε εἰκονα

Jam ad latinam ecclesiam reversuri, postremo videamus, quam **Ambrosius** de baptismo teneat opinionem. Huic autem baptisma spiritualis omnium peccatorum est circumcisio, quae nemini non est suscipienda, ut salvus fieri possit, utque peccatum nullam amplius habeat vim; nec enim homo coeleste ingreditur regnum, nisi per baptismatis sacramentum.' Aqua vero, qua baptismus continetur, ex Ambro-

---

του ἐπουρανιου νεοπαγη και λαμπραν και ὡς ἀπο χωνευτηριου στιλβουσαν ἀναφεροντος." — De sacra immersione, cum judaica circumcisione comparata, haec facit verba: „ἡ δε ἡμετερα περιτομη, ἡ του βαπτισματος λεγω χαρις, ἀνωδυνον ἐχει την ἰατρειαν, και μυριων ἀγαθων προξενος γινεται ἡμιν, και της του πνευματος ἡμας ἐμπιπλησε χαριτος, και οὐδε ὡρισμενον ἐχει καιρον, καθαπερ ἐκει (apud Judaeos), ἀλλ' ἐξεστι και ἐν ἀωρῳ ἡλικιᾳ, και ἐν μεσῃ, και ἐν αὐτῳ τῳ γηρᾳ γενομενον τινα ταυτην δεξασθαι την ἀχειροποιητον περιτομην, ἐν ᾗ οὐκ ἐστι πονον ὑπομειναι, ἀλλ' ἁμαρτηματων φορτια ἀποθεσθαι, και των ἐν παντι χρονῳ πλημμελληματων την συγχωρησιν εὑρεσθαι" (vid. homil. XL. in Genes.). — Praeterea apud Augustinum (cont. Julian. lib. I.) haec, e Chrysostomi homilia quadam „ad baptizatos" allegata, verba leguntur: „Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paullo ante captivi, et cives ecclesiae sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, et justitiae in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed et sancti; non tantum sancti, sed et justi; non solum justi, sed et filii; non solum filii, sed et heredes; non solum heredes, sed et fratres Christi; nec tantum fratres Christi, sed et coheredes; non solum coheredes, sed et membra; non tantum membra, sed et templum; non tantum templum, sed et organa spiritus. Vides, quot sunt baptismatis largitates!" — Quae omnia si animo tenemus, mirum nobis esse non potest, quod Chrys. istorum hominum, qui, baptismo non accepto, a vita recedant, conditionem horridissimam describat; cujus rei exemplum jam haec praebent verba: „ἀλλ' εἰ γενοιτο; ὁ μη γενοιτο, ἀπροσδοκητου της τελευτης ἐπελθουσης ἀμυητους (i. q. non baptizatos) ἐντευθεν ἀπελθειν, κἂν μυρια ἐχωμεν ἀγαθα, οὐδεν ἡμας ἑτερον διαδεξεται ἡ γεεννα, και σκωληξ ἰοβολος, και πυρ ἀσβεστον, και δεσμα ἀλυτα (hom. XXV. in Joa.).

sii sententia, sanare non potest, nisi gratiam habet Christi, quam revera eo accipit, quod spiritus s., de coelo descendens, eandem illam aquam consecrat. Quo facto, illa cum spiritu vel cum gratia permixta aqua, sanguine quoque Christi est tincta (id quod alii etiam statuunt scriptores eccll.), ita ut tria illa in baptismate sint unum ac simplex, scl. aqua, sanguis, spiritus (1 Jo. V, 7.); quae arcte inter se juncta, baptismum reddunt sacrum sacramentum [15].

Quae hactenus sunt prolata, sat coarguisse putamus, in qua fuerit de baptismo opinione ecclesia antiqua. Omnino apud omnes patres eccll. de necessitate ac mirifica sacrae immersionis vi et effe-

---

15) Vid. ejusd. de Abrahamo lib. II. cap. XI., ubi, postquam de judaica disseruit circumcisione, haec de spirituali adjicit: „Mysterii autem ratio dilucida. Vernaculi enim Judaei, pretio emti sunt gentes, qui crediderunt, quia pretio sanguinis Christi redemta est ecclesia. Ergo et Judaeus et Graecus, et quicunque crediderit, debet scire se circumcidi a peccatis, ut possit salvus fieri. Et domesticus et alienigena, et justus et peccator, circumcidatur remissione peccatorum, ut peccatum non operetur amplius: quia nemo adscendit in regnum coelorum, nisi per sacramentum baptismatis.“ Contortius baptismi naturam lib. I. cap. V. de sacram. regen. explanat ita: „Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat, quae habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio spiritus sancti est. Non sanat aqua, nisi spiritus sanctus descenderit, et aquam illam consecraverit“ — et cap. IV. „hinc cognosce, quod aqua non mundat sine spiritu, ideoque legisti, quod tres testes in baptismate unum sint, aqua, sanguis et spiritus, quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid enim aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine ullo sacramenti effectu; nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est“ — quibus addas, quae lib. III. cap. XI. de spiritu s. leguntur: „Spiritus dei vos per adoptionem filios dei facit, sacri fontis unda vos abluit, sanguis domini vos redemit.“

ctu una est eademque sententia; pravum vero, vel magicum, vel superstitiosum, quod ei adhaeret, praecipue ortum est ex illis, a scriptoribus eccll. minus recte intellectis, sacrae scripturae locis, qui primo quidem adspectu videantur ambigui, sed re diligenter perpensa, non tam, quid baptisma efficiat, significant, quam, quid eius sententia sibi velit (Jo. III, 5.; Marc. XVI, 16.; Eph. V, 26.; Tit. III, 5.). Quamquam vero omnes omnino patres orthodoxi baptismum ad impetrandam vitam aeternam putant necessarium, simul tamen statuunt, posse accidere, ut homo, baptismo non accepto, salvus praestetur. Si quis enim mortem pro Christi nomine occumbat, eam docent baptismum esse secundum s. baptismum sanguinis, qui priorem non acceptum omni ex parte suppleat; quoniam is homo, qui suo ipsius sanguine baptizetur, eodem, quo salvator (Matt. XX, 22.), lavacro sit tinctus [16]. Itaque haec

16) Veteris ecclesiae patres martyrium, quod sit baptisma secundum, crebro usurpant; jam quid ii, quorum de baptismo sententias modo recensuimus, hac de re senserint, strictim nonnullis significabimus dictis; quapropter vid. Tertull. de bapt. cap. XVI.: „Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet; de quo dominus: habeo, inquit, baptismo tingui, quum jam tinctus fuisset. Hic est baptismus, qui lavacrum, et non acceptum repraesentat et perditum reddit“ (cf. ejusd. lib. de patient. cap. XIII.; apologet. cap. L.; Scorp. cap. VI.). Cyprian. epist. LXXIII. ad Jubaian.: „Sciant, catechumenos illos primo integram fidem et ecclesiae unitatem tenere — deinde nec privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo et dominus dicebat, habere se aliud baptisma baptizari. Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinae pollicitationis gratiam consequi, declarat in evangelio idem dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem et confidentem loquitur, et quod secum futurus sit in paradiso, pollicetur“ (cf. ejusd. lib. de unit.

martyris mors, qua eadem, atque baptismo, vis continetur salutifera, quasi cumulus habetur omnium coelestium bonorum; atque e patrum sententiis homo, licet piam sanctamque egerit vitam, aeternam tamen beatitudinem assequi non potest, nisi simul vel baptizatus sit, vel mortem pro evangelio obierit. — Notatu denique dignum est, veteris ecclesiae doctores tum maxime baptismi vim ac facultatem majori, quam fas est, laude efferre, quum ipsius necessitatem vindicare student contra ejusmodi homines, qui aut temere eum procrastinent, aut omnino respuant; etsi iidem patres sanius interdum de baptismo disputant, quum tales oppugnant sectas, quae nihil nisi meram et amentem superstitionem ad externum baptizandi ritum trahant. Jam operae erit pretium, nonnullarum sectarum, quae primis degerunt saeculis, de baptismo opiniones commemorare.

Inter gnosticas sectas aliae, in rebus corporeis vel visibilibus nihil agnoscentes veri, tum baptismum, tum omnem cultum externum repudiabant, aliae maximi faciebant spiritus baptismum, cui

---

eccl.; praet. epistt. LIV. et LVII. ad Cornel.). Origen. Comm. XII. in Matt.: „Remissionem autem peccatorum accepit et qui martyrii suscipit baptismum etc.“ Cyrill. catech. III. n. 2: „εἰ τις μη λαβη το βαπτισμα, σωτηρια οὐκ ἐχει, πλην μονων μαρτυρων· οἱ και χωρις του ὑδατος λαμβανουσι την βασιλειαν κ. τ. λ.“ Basil. hom. VII. de spir. s. cap. XV.: „ἠδη δε τινες ἐν τοις ὑπερ εὐσεβειας ἀγωσιν, ἀληθειῳ και οὐ μιμησει τον ὑπερ Χριστου θανατον ὑποσταντες, οὐδεν των ἐκ του ὑδατος συμβολων εἰς την σωτηριαν ἐπεδεηθησαν, ἐν τῳ ἰδιῳ αἱματι βαπτισθεντες.“ Gregor. Naz. orat. XXXIX. (εἰς τα ἁγια φωτα): „οἰδα και τεταρτον βαπτισμα, το δια μαρτυριου και αἱματος, ὁ και αὐτος Χριστος ἐβαπτισατο, και πολυ γε των ἀλλων αἰδεσιμωτερον, ὁσῳ δευτεροις ῥυποις οὐ μολυνεται.“ Plura et Chrysostomi et Ambrosii et Augustini et aliorum patrum de hac re testimonia congessit Jos. Bingham. l. c. vol. quart. p. 49.

celebrando magnificum et verborum et aliarum rerum mysticarum adhibebant splendorem atque ornatum, opinantes scilicet, hominem spiritualem, illo accepto, ad perfectam pervenire redemtionem, vel ad *πλήρωμα* redire. In eorum autem numero, qui baptismum rejiciebant omnem, habendi sunt multi Marcosiani (a Marco quodam appellati), deinde Archontici et Ascodryti, qui omnes Valentinianorum scholam secuti videntur esse. Irenaeo teste, alii quidem Marcosiani baptismum servabant, alii autem dicebant, ineffabilis et invisibilis virtutis, itemque incomprehensarum et incorporalium rerum mysterium non posse perfici per visibiles et corruptibiles creaturas, vel per res, sensibus et corpori subjectas; esse autem perfectam redemtionem, ipsam inenarrabilis magnitudinis agnitionem [17]. Neque minus multi Archontici, qui mundum a quibusdam angelis s. potestatibus, quas *ἄρχοντας* vocabant, esse creatum contendebant, Epiphanio narrante, baptismum, qui non a supremo deo, sed ab judaicae legis auctore (Sebaoth s. Demiurgo) sit exortus, damnabant [18]. Ascodryti autem, cum Marcosianis idem sentientes, testante

---

17) Iren. advers. haeres. lib. I. cap. 18.: *φασκουσι, μη δειν το της ἀῤῥήτου και ἀορατου δυναμεως μυστηριον δι᾽ ὁρατων και φθαρτων ἐπιτελεισθαι κτισματων, και των ἀνεννοητων και ἀσωματων, δι᾽ αἰσθητων, και σωματικων· εἶναι δε τελειαν ἀπολυτρωσιν αὐτην την ἐπιγνωσιν του ἀῤῥήτου μεγεθεος.*" — Cf. quae Neander de sectarum gnostt. cultu tradit: Allg. Gesch. der christl. Rel. u. K. part. I. p. 537 sq.

18) Epiphan. haeres. XL. de Archonticis: „*ἀναθεματιζουσι το λουτρον, κἂν τε εἰεν τινες ἐν αὐτοις προειλημμενοι και βεβαπτισμενοι*" (cf. Theodoret. haeret. fabul. lib. I. cap. 11.).

Theodoreto, dicebant, divina mysteria, quae invisibilium rerum sint signa, non debere perfici per res visibiles, neque incorporea per sensualia et corporea. Quapropter nec baptizabant eos, qui accedebant, neque apud eos celebrabatur baptismatis mysterium; nam redemtionem vocabant universitatis cognitionem [19]). — Tertullianus porro in libro de baptismo acriter contra Quintillam quandam pugnat, quae Cajanorum sectam professa multisque insaniis laborans, Carthagine effutiverit, solam fidem ad salutem impetrandam sufficere, neque baptismum esse necessarium, quia etiam Abrahamus nullius aquae, nisi fidei sacramento deo placuerit [20]). Praeterea Tertullianus nonnunquam Menandrum (Simonis Magi discipulum) irridet, qui, se ipsum pro paralecto habens, docuerit, eos, qui in ipsius nomine baptizarentur, immortales et incorruptibiles, et confestim resurrectionis esse futuros compotes. Quam delirationem brevi temporis decursu sat esse refutatam, Tertullian. mo-

---

19) Theodoret. haeret. fabul. lib. I. cap. 10.: „οὗτοι δε φασιν, μη χρηναι τα θεια μυστηρια, ἀορατων ὀντα συμβολα, δι᾿ ὁρωμενων ἐπιτελεισθαι πραγματων, και τα ἀσωματα δι᾿ αἰσθητων και σωματικων· — δια τουτο, οὔτε βαπτιζουσι τους προσιοντας, οὔτε ἐπιτελειται παρ᾿ αὐτοις του βαπτισματος το μυστηριον· λυτρωσιν γαρ καλουσι, την των ὁλων ἐπιγνωσιν.“ — Cf. Walli lib. laud. part. alt. p. 169 sqq. et Binghami l. c. vol. quart. p. 153 sqq.

20) Tertull. de baptismo initio cap. I.: „Nuper conversata istic quaedam de Cajana haeresi vipera venenatissima doctrina plerosque rapuit, imprimis baptismum destruens“ — et cap. XIII.: „Adeo dicunt, baptismus non est necessarius, quibus fides satis est; nam et Abraham. nullius aquae nisi fidei sacramento deo placuit.“ —

net [21]). — Inter haereticos, qui christianum baptisma reprobabant vel certe parvi faciebant, etiam Manichaei referendi sunt; Augustinus enim narrat, eos, quum baptismum in aqua quidquam adferre salutis negassent, neminem eorum, quos reciperent, baptizandum putasse. Attamen ex aliis argumentis apparet, Manichaeos vel aliquid habuisse, quod baptismatis erat simillimum, vel eos illud non nisi in iis adhibuisse, quos vocabant electos (i. e. fideles, sejunctos ab auditoribus s. catechumenis), aut denique eos baptismum (tamquam cujusdam tenebrarum principis opus) solum externum putasse ritum, qui, quoniam nihil, quod ad hominis pertineret salutem, efficeret, vel posset peragi vel omitti; id quod nobis veri videtur simillimum, quum etiam Augustinus alio loco notet, Manichaeos in parvulis baptizandis, quantum ad remissionem attineat peccatorum, visibile destruere elementum [22]). Praeterea Augustinus alia etiam

---

21) Tertull. de praescriptt. adv. haeres. cap. XLVI.: „Quidquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset“ — deinde de anima cap. L.: „in hoc scilicet se a suprema et arcana potestate legatum, ut immortales et incorruptibiles et statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma ejus induxerint“; atque eod. cap. „quamquam si et Menander in Stygem mergit, moriendum erit nihilominus, ut ad Stygem venias. Apud inferos enim dicitur“; et in fin. huj. cap.: „At ubi sunt illi, quos Menander ipse perfudit, quos in Stygem suam mersit? Apostoli perennes veniant, adsistant; videat illos meus Thomas, audiat, contrectet, et credat.“ Eadem fere, quae Tertull., de Menandro isto tradit: Iren. lib. I. cap. 21. et Epiphan. haeres. XXII. et Theodoret. haeret. fab. lib. I. cap. 2. —

22) De haeres. cap. XLVI.: „baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis adferre, nec quemquam eorum, quos re-

duo haereticorum genera, Seleucianos scilicet et Hermianos commemorat, qui baptismum in aqua respuant, quia ipse Joannes moneat: „ego vos baptizo aqua, venturus vero post me baptizabit vos spiritu s. et igne; ex quo Joannis dicto colligunt, christianum baptismum non posse esse non spiritualem [23]).

---

cipiunt, baptizandum putant"; at idem Aug. contra duas epistt. Pelagianorum lib. II. cap. 2. haec profert: „Manichaei lavacrum regenerationis, id est, aquam ipsam, dicunt esse superfluam, nec prodesse aliquid, profano corde contendunt. — Ac per hoc in parvulis baptizandis, quantum ad remissionem attinet peccatorum, Manichaei visibile destruunt elementum." — Vid. praet. Walli l. c. part. alt. p. 173. n., qui inter alia multa non inutilia affert, Hieronymum homines, a Manichaeis baptizatos, memorare cont. Lucif. tom. IV. p. II. p. 305.; ex quo cognoscitur, eos baptismum non omnino contemsisse. Neander. (l. c. p. pr. p. 568.) et Gieseler (Lehrb. d. Kirchengesch. tom. pr. p. 226.) conjiciunt, apud Manichaeos sacramenta solum ad arcanum electorum pertinuisse cultum. — Bingham. (l. c. vol. qu. p. 157) et Vossius (l. supra laud. de bapt. disput. I. thes. 2.) in numero Manichaeorum, baptisma rejicientium, etiam Paulicianos habent, de quibus Euthymius (Panoplia part. II. titul. XXI.) narret: „quum baptismum aspernentur, illum tamen se fingunt suscipere. Nam evangelii verba baptismum existimant, quoniam dominus, Ego sum, inquit, aqua viva", quibus verbis Euthymius eodem loco, Binghamo observante, haec adjicit: „Liberos etiam suos ab ecclesiae presbyteris salutari baptimo volunt aliquando lustrari; existimant enim, crucem et baptismum corpori prodesse. Hanc tamen vim ad animae purgationem pervenire non putant, nec ullam aliam adferre utilitatem." - Hi igitur Pauliciani, aeque ac Manichaei baptismum pro externo abluendi habebant ritu.

23) August. de haeres. cap. LIX.: „Seleuciani et Hermiani baptismum in aqua non recipiunt." Adde Philastr. de haeres. n. VIII. „Seleucus et Hermias haeretici, animas hominum de igne et spiritu esse existimantes, isto baptismo non utuntur, propter verbum hoc, quod dixit Joannes baptista: Ipse vos baptizabit de spiritu et igne." Utrum vero baptismi simile aliquid admiserint, an qua ratione spiritualem, quem habuisse videntur, baptismum administraverint, non constat.

Jam superest, ut sectae mentio fiat **Messalianorum** s. **Euchetarum**, qui, omni tempore omnique labore in precibus faciendis consumto, non magni aestimasse dicuntur sacram immersionem, quippe quae ad animam a malis daemonibus (quibus hominem esse occupatum, Manichaeorum instar docebant) liberandam, nullam fere habeat vim. Theodoretus refert quidem, hos haereticos, **baptismum suscipientibus nihil prodesse**, opinatos esse; sed alio loco ipse addit, eos baptisma eatenus putasse utile, quatenus **praecedentia auferre possit peccata**, quamvis nulla majora largiatur bona. Unde perspicimus, Messalianos non omnino quidem baptismum rejecisse, in eo autem ab orthodoxae ecclesiae doctrina recessisse, quod nullos fere ei tribuerint effectus [24]).

Praeter hos haereticos multi etiam alii primis saeculis fuerunt, qui, quamvis baptismum non rejicerent, ejus tamen formam vel cunctam vel ex parte immutarent et corrumperent; qua de re, iis,

---

24) **Theodoret. haeret. fab.** lib. IV. cap. 11.: „*Μεσσαλιανοι — το μεν βαπτισμα φασι μηδεν ὀνειν τους προσιοντας — ἡ δε ἐνδελεχης προσευχη, και την ῥιζαν της ἁμαρτιας ποῤῥιζον ἀνασπᾳ, και τον ἐξ ἀρχης συγκληρωθεντα πονηρον δαιμονα της ψυχης ἐξελαυνει*“; at lib. V. cap. 18. de iisdem haec facit verba: „*οὐ γαρ, ὡς δι φρενοβλαβεις Μεσσαλιανοι νομιζουσι, ξυρον μονον μιμειται το βαπτισμα, τας προγεγενημενας ἀφαιρουμενον ἁμαρτιας· τουτο γαρ ἐκ περιουσειας χαριζεται· εἰ γαρ τουτο μονον ἐργον ἠν του βαπτισματςς, ἀνθ᾽ δτου τα βρεφη βαπτιζομεν, οὐδεπω της ἁμαρτιας γευσαμενα· οὐδε γαρ τουτο μονον ἐπαγγελλεται το μυστηριον, ἀλλα και τουτων μειζω, και τελειωτερα· ἀῤῥαβων γαρ ἐστι των μελλοντων ἀγαθων, και της ἐσομενης ἀναστασεως τυπος, και κοινωνια των δεσποτικων παθηματων, και μετουσια της δεσποτικης ἀναστασεως, και ἱματιον σωτηριου, και χιτων εὐφροσυνης, και στολη φωτοειδης, μαλλον δε αὐτο φως.*“

quae ad orthodoxae ecclesiae baptismi formam pertinent descriptis, agemus. Nunc vero videndum est, quomodo antiqua ecclesia baptismum administraverit, atque in quibus eum adhibuerit.

2. DE BAPTIZANDI RATIONE, QUAE IN ECCLESIA ANTIQUA OBSERVABATUR.

§. 20.

Quamquam patres eccll. superstitiosis de baptismi natura laborabant opinionibus, cavebant tamen, ne magicam istius baptismi vim ad res extenderent inanimatas; quem pravum et superstitiosum abusum (v. c. campanas baptizandi) media aetate in ecclesia romana obtinuisse constat. Aliam non minus superstitiosam consuetudinem, mortuos scilicet baptizandi, id quod Montanistas s. Cataphryges fecisse, Philastrius tradit, ecclesia condemnabat eamque abolere studebat [25]). Imo vero orthodoxa eccle-

---

25) Philastrius de haeres. cap. II. de Cataphryg.: „Hi mortuos baptizant." Concil. Carthag. III. cap. 5.: „Cavendum, ne mortuos baptizari posse fratrum infirmitas credat." Huic superstitiosae consuetudini similis erat ista: vivos baptizandi, mortuorum loco; de qua re jam supra in explicando Pauli loco 1 Cor. XV, 29. egimus. Hic addantur, quae Chrysostom. contra istam a Marcionitis inductam consuetudinem notat, homil. XL. in I. Pauli epist. ad Corinth.: „*ἐπειδαν γαρ τις κατηχουμενος ἀπελθῃ παρ᾽ αὐτοις* (scl. ap. Marcionitas), *τον ζωντα ὑπο την κλινην του τετελευτηκοτος κρυψαντες, προσιασι τῳ νεκρῳ, και διαλεγονται, και πυνθανονται, εἰ βουλοιτο λαβειν το βαπτισμα· εἰτα ἐκεινου μηδεν ἀποκρινομενου, ὁ κεκρυμμενος κατωθεν ἀντ᾽ ἐκεινου φησιν, ὁτι δη βουλειτο βαπτισθηναι, και οὑτω βαπτιζουσι αὐτον ἀντι του ἀπελθοντος, καθαπερ ἐπι της σκηνης παιζοντες· τοσουτον ἰσχουσι ταις των ῥαθυμων ψυχαις ὁ διαβολος· εἰτα ἐγκαλουμενοι, τουτι παραγουσι το ῥημα λεγοντες, ὁτι και ὁ ἀποστολος εἰρηκεν, οἱ βαπτιζομενοι ὑπερ των νεκρων*" (cf. Tertull. cont. Marc. lib. V. cap. 10.). Chrysost. illum Pauli locum ita ex-

sia ad suscipiendum baptismum non nisi homines vivos habebat idoneos, qui quidem vel infantes esse poterant vel adulti. Jam, priusquam ad describendas caeremonias consuetudinesque, quae baptismo adultorum vulgo erant junctae, progrediamur, investigandum est: quo tempore paedobaptismus more usuque sit receptus [26].

Primis duobus saeculis nulla inveniuntur monumenta, quibus evidenter confirmari possit, infantes jam tunc temporis continuo baptismum suscepisse; imo verisimile est, usque ad saeculi secundi finem non nisi eos, qui christianae doctrinae elementis erant imbuti, ad baptismum esse admissos. Sed huic sententiae Justini Mart. verba quaedam videntur repugnare, quae saepissime in paedobaptismi antiquitatem afferuntur. Justinus nimirum dicit: permultos sexus utriusque, et sexaginta et septuaginta natos annos, qui inde a pueri-

---

plicat, ut formulam *βαπτ. ὑπερ των νεκρων* putet significare: in fidem resurrectionis mortui corporis baptizari; quod quidem nobis videtur arbitrarium (vid. quae supra de hoc dicto disputavimus). Ipsa ejus verba haec sunt: „*εἰ μη ἐστιν ἀναστασις, τι και βαπτιζῃ ὑπερ των νεκρων, τουτ᾽ ἐστι, των σωματων; και γαρ ἐπι τουτο βαπτιζῃ, του νεκρου σωματος ἀναστασιν πιστευων, ὁτι οὐκετι μενει νεκρον*“ (ibid.). Similiter Tertull. (cont. Marc. lib. V. cap. 10.) illum locum interpretatur, dicens: „pro mortuis tingui, pro corporibus est tingui; mortuum enim corpus ostendimus.“

26) Tum Wallus (vid. l. c.), tum Binghamus (l. c. p. 184—205.), invitis historiae testimoniis, infantes baptizandi morem ad aetatem apostolicam reducunt, opinantes, jam Clementem Rom. (quippe qui neminem, etsi unius diei sit vita ejus, a sorde esse mundum putet), itemque Hermam (quia baptismum ad hominis salutem habeat necessarium) significare, infantes esse baptizatos. Attamen non minus convincere possis, etiam sacram scripturam paedobaptismum habere necessarium, eumque praescribere, quamquam ne verbo quidem memoratur, infantem esse baptizatum.

tia Christi doctrinam sint edocti (*οἱ ἐκ παιδων ἐμαθητευθησαν τῳ Χριστῳ*), incorruptos permanere [27]). Quamquam formulam „*μαθητευεσθαι τινι*“ discipulum esse alicujus significare, non potest negari; haec tamen significatio nequaquam id semper continet, quod ille discipulus jam sit baptizatus; discipulus enim is quoque vocari potest, qui, etsi baptismum nondum suscepit, animum suum in doctrina Christi percipienda infigit, ideoque evangelium edocetur [28]); id quod Justinus in mente videtur habuisse. Nam ipse alio loco de ordine rationeque baptizandi loquens, tradit, non nisi eos, qui credant, quae doceantur, ita ut persuasum sibi habeant, se praescripta ratione christiana posse

---

27) Justin. Apolog. II.: „*και πολλοι τινες και πολλαι, ἑξηκοντουται και ἑβδομηκοντουται, οἱ ἐκ παιδων ἐμαθητευθησαν τῳ Χριστῳ, ἀφθοροι διαμενουσι.*“

28) Etiam aliis locis facile probari potest, voc. *μαθητευεσθαι* apud scriptores eccll. non semper baptismum simul complecti. Sic Basilius de baptismo lib. I. cap. 1. in memoriam revocat „*ὁτι δει πρωτον μαθητευθηναι τῳ κυριῳ, και τοτε καταξιωθηναι του ἁγιου βαπτισματος*“; quare aliquis esse poterat *μαθητευθεις τῳ Χριστῳ*, quamquam nondum erat baptizatus. Idem illud Basil. monet cont. Eunom. lib. III.: „*πιστευσαι γαρ δει προτερον· εἰτα τῳ βαπτισματι ἐπισφραγισασθαι.*“ Primo adspectu uterque locus vel contra praedobaptismum videtur pugnare; sed Basil. de eo tantum loquitur, quod adultis, ut baptismum possent accipere, erat necessarium; neque tamen paedobaptismum impugnat, quem ipse multis aliis locis approbet; nam eo tempore, quo Basilius florebat, infantium baptismus jam communi usu moreque erat receptus. Sed postremo nonnulla Basilii verba notentur, quae, isti Justini dicto similia, leguntur ita: „*ὀκνεις και βουλευη και διαμελλεις· ἐκ νηπιου τον λογον κατηχουμενος, οὐπω συνεθου τῃ ἀληθειᾳ*“ (orat. exhort. ad bapt.) Basil. tales nimirum reprehendit, qui quamquam a pueritia fidei christianae rudimentis erant imbuti, nihilominus baptismum nondum susceperant.

vivere, ad baptismum adduci; ex quo liquet, e Justini sententia baptismum post fidem demum, Christo habitam, esse conferendum. Itaque isto Justini dicto nihil aliud continetur, nisi quod multi, ab ineunte aetate evangelio instructi, permaneant incorrupti.

Gravius quoddam **Irenaei** est dictum, quod paedobaptismum videtur attingere. Ille videlicet ostensurus, per Christum omnem aetatem sanctificari, dicit: eundem salvatorem omnes per semetipsum salvatum venisse: omnes igitur, qui per eum **renascantur in deum, infantes et parvulos**, et pueros, et juvenes, et seniores [29]. Res in eo vertitur, num voc. „renasci" necessario baptismum significet? Neutiquam in dubium vocari potest, quin **Irenaeus** baptismum vulgo soleat **regenerationem in deum** appellare [30]; nec tamen idem docet,

---

29) Totus locus, qui lib. II. cap. 39. adv. haer. invenitur, hic est: „Magister (scl. Christus) ergo exsistens, magistri quoque habebat aetatem. Non reprobans nec supergrediens hominem, neque solvens suam legem in se humani generis, sed omnem aetatem sanctificans, per illam, quae ad ipsum erat, similitudinem. Omnes enim venit per semetipsum salvare, omnes inquam, qui per eum renascuntur in deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes et seniores. Ideo per omnem venit aetatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes: in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes aetatem, simul et exemplum illis pietatis effectus, et justitiae et subjectionis; in juvenibus juvenis, exemplum juvenibus fiens et sanctificans domino."

30) Vid. v. c. lib. I. cap. 18. „*και ὁτι μεν εἰς ἐξαρνησιν του βαπτισματος της εἰς θεον ἀναγεννησεως, και πασης της πιστεως ἀπυθεσιν ὑποβεβληται το εἰδος του ὑπο του Σατανα, ἐλεγχοντες αὐτους ἀπαγγελουμεν ἐν τω προσηκοντι τοπω.*" Ceterum apud alios quoque scriptores eccll. voces „*βαπτισμος*" et „*ἀναγεννησις*" saepissime promiscue adhibentur, id quod jam ex iis, quos supra citavimus, locis cognoveris.

jam sua aetate infantes nunquam non esse baptizatos, imo potius id solum illo loco continetur, quod infantes, sicut parvuli et pueri salvi reddantur, siquidem per Christum renascantur scl. in baptismo. Quamquam igitur Irenaeus infantes regenerationis ideoque etiam baptismi (quippe qui ex Iren. opinione regenerationem efficiat) participes esse putat, in ambiguo tamen relinquitur, infantesne semper necne sint baptizati. Probabiliter ex Irenaei dicto confici potest, saeculo secundo extremo (circa ann. CLXXX.) infantes nonnunquam esse baptizatos.

Crebro etiam Clemens Alex. laudatur, qui, paedobaptismum saeculo secundo in more fuisse aperte téstetur. Idem enim, annullorum mentione facta, quos digitis induere solebant, exhortatur, ne signacula illis insculpantur, homine christiano indigna; innocentia autem signacula esse: columbam, vel piscem, vel navem, quae celeri cursu a vento feratur, vel lyram musicam, vel ancoram nauticam; et si quis sit piscator, apostoli meminerit (annuli signaculo), et puerorum, qui ex aqua extrahantur (*και των ἐξ ὑδατος ἀνασπωμενων παιδιων*)[31]. Quae postremo verba, quin omnino baptismum latenter innuant, non dubitamus; minime tamen infantium baptismum speciatim significant. Clementis enim animo Petrus obversatur, quem Christus hominum fecit piscatorem; atque „*παιδια*"

---

31) Paedag. lib. III. cap. 11. (non procul ab initio): „*αἱ δε σφραγιδες ἡμιν ἐστων πελειας, ἡ ἰχθυς, ἡ ναυς οὐρανδδρομουσα· ἡ λυρα μουσικη, ᾗ κεχρηται Πολυκρατης· ἡ ἀγκυρα ναυτικη, ἣν Σελευκος ἐνεχαραττετο τῃ γλυφῃ· κἂν ἁλιευων τις ᾖ, Ἀποστολου μεμνησεται, και των ἐξ ὑδατος ἀνασπωμενων παιδιων.*"

omnes declarant homines, qui baptismo regenerentur, vel tamquam e vita impia improbaque extrahantur et ad verum tollantur. Sexcenta autem exempla eademque ex Paedagogo possunt afferri, quibus Clemens voce „παιδιον“ (opposita scilicet θειῳ παιδαγωγῳ) quemvis intelligit hominem, nullo aetatis discrimine, ita quidem, ut „παιδια“ significent „μαθητας“, quos divinus ille λογος ad veram ferat vitam ac sanctam.

Apertissime Tertullianus, quae exeunte saeculo secundo atque ineunte tertio paedobaptismi fuerit ratio, demonstrat. Hic enim pater eccl., quem, quodvis ut ecclesiae institutum, siquidem apostolicae erat originis, servetur, summo studio esse nisum, nemo ignorat, infantes tamen baptizandi morem vehementer impugnat; unde patet, paedobaptismum tunc temporis, in Carthaginiensi certe ecclesia, usu fuisse receptum, eundemque pro instituto, a Christo vel apostolis non profecto, esse habitum. Singula autem Tertulliani verba haec sunt: „Itaque pro cujusque personae conditione ac dispositione, etiam aetate, cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malae indolis falli. Ait quidem dominus: Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur: fiant Christiani quum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in saecularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minori de causa innupti

quoque procrastinandi, in quibus tentatio praeparata est; tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vocationem, donec aut nubant, aut continentiae corroborentur. Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem. Fides integra secura est de salute" [32]). Videmus igitur, Tertullianum, cum timeat, ne vitâ virtuti non conveniente grave momentum atque ingens baptismi pondus violetur, idcirco baptismi velle procrastinationem, ut partim, perspecta Christi doctrina, quid illo perficiatur, possit intelligi; partim isti, quos memorat, homines honesta vivendi ratione, paratiores sint ad ea, quae baptismus efficit, bona accipienda. Verum causae, ipsi allatae, baptismum procrastinandi, multis, quae alias apud eum reperis, verbis videntur repugnare. Quamquam enim hîc parvulorum aetatem appellat innocentem, veluti a peccatis immunem, alio tamen loco, Christi respectu effati, quod quisque ex aqua et spiritu debeat renasci, confirmat: „omnem animam eousque in Adam censeri, donec in Christo recenseatur, et tamdiu immundam vel peccatricem, quamdiu recenseatur"; nec minus, etsi verbis modo laudatis, fidem integram esse securam de salute, videtur probasse, alibi hic idem istos vocat scelestissimos, qui, fidem satis esse existimantes, baptismum contemnant et negligant, quin etiam, quum nimiam rursus suam de baptismi vi ac potestate opinionem proferat, acriter contendit, urgente necessitate, quemvis hominem christianum potestatem baptismi exercendi habere, ne quis, baptismo neglecto, mortuus pereat [33]). Quae

32) Tertull. de bapt. cap. XVIII.

33) De immunda cujusvis animae conditione loquitur in lib.

quidem sibi invicem repugnantia verba ita solum possunt conferri, ut Tertullianum statuas vel non tam originale peccatum, quam actualia, quae scilicet inprimis baptismi vi tollantur, in animo habuisse, vel putasse, istum baptismum etiamsi differatur, nihilominus maximi esse habendum, ac, re postulante, statim conferendum. Ceterum, quum Tertullianus, ut jam monuimus, acerrimus ecclesiasticae traditionis sit propagator, et novarum rerum, excepto Montanismo, inimicissimus, in promtu est, paedobaptismi tunc temporis nondum omnibus in ecclesiis morem et consuetudinem increbuisse. — Verumenimvero his de infantium baptizandorum more statutis videtur maxime repugnare Origines, quippe

---

de anima cap. XXXIX. (sub finem) et ita quidem: „Adeo nulla fere nativitas munda est, utique ethnicorum. Hinc enim est apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait; tam ex seminis praerogativa, quam ex institutionis disciplina. Ceterum, inquit, immundi nascerentur. Quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios, ut hujus spei pignore matrimoniis, quae retinenda censuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat dominicae definitionis: nisi quis nascetur ex aqua et spiritu, non ibit in regnum dei, id est, non erit sanctus. Ita omnis anima eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, et tamdiu immunda, quamdiu recenseatur; peccatrix autem, quia immunda.“ Deinde eos, qui baptismum repudiant, hisce reprehendit verbis: „Hic ergo scelestissimi illi provocant quaestiones; adeo dicunt: baptismum necessarium non est, quibus fides satis est, nam et Abraham nullius aquae, nisi fidei sacramento, deo placuit“ (de bapt. cap. XII.). Praeterea vid. ejusd. lib. cap. XVII.: „Omnia licere dixit sanctissimus apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personae conditio compellit. Tunc enim constantia succurentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit praestare, quod libere potuit.“

cur infantes sint baptizandi, etiam sequenti valuit tempore, quoniam plerique omnes patres eccll. persuasum sibi habebant, infantibus baptismum esse conferendum, quo ab originalis peccati pollutione et culpa purgarentur.

Jam vero, quamquam medio saeculo tertio paedobaptismi necessitas ubivis agnoscebatur, nihilominus eodem illo et subsequenti tempore hominis provecta demum aetate esse solitos baptizari, manifestum est. Quod quidem vel ex eo facile potest intelligi, quod primis tribus saeculis sectatorum Christi doctrinae numerus augebatur maxime per transeuntes Judaeos et Paganos, qui, christianae fidei rudimentis instituti, baptismo initiabantur, vel quod ipsi scriptores

---

mundo" — et deinde, baptismo cum circumcisione comparato, admonet, spiritualem circumcisionem non ad carnalem esse accommodandam; quibus addit haec: „Propter quod neminem putamus a gratia consequenda impediendum esse ea lege, quae jam statuta est, nec spiritualem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere, sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam Christi" — tum in fine epist.: „Porro autem si etiam gravissimis delictoribus et in deum multum ante peccantibus, quum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata." — Plane singularem et permiram rationem, infantes baptizandi, Cyp. in extremis litteris reddit, dicens: „Quod (scl. a baptismo et gratia dei neminem prohibere) cum circa universos observandum sit atque retinendum, magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra ac de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim nativitatis suae ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt, quam deprecantur."

eccll. in causa fuerunt, ut baptisma differetur [36]); tum alii, voluptatum amore capti, baptismum ad tempus, morti proximum, procrastinabant, ut, repente ab omnibus liberati peccatis, coelesti possent frui beatitudine; alii denique metu peccatorum baptismum subsecutorum, vel culpae conscientia vexati, eo usque baptismo carere voluerunt, dum male factorum intima poenitentia acta, se dignos putarent, qui summa ista sacrae immersionis bona acciperent [37]). Verum omnes fere ecclesiae doctores, etsi eorum nonnulli **infantium** baptismum ad breve tempus posse differri probabant, in adultis tamen procrastinandi consuetudinem vehementer oppugnabant, etiam atque

---

36) Sic Gregor. Nazianz., Tertulliano adstipulans, exhortatur, ut, si nulla urgeat necessitas, infantium baptismum ad tertium vitae annum differatur, ut mystici quiddam possint audire et respondere. Verba ejus, quae orat. XL. de bapt. leguntur, sunt haec: „*Τι δ᾽ ἀν εἰποις περι των ἐτι νηπιων, και μητε της ζημιας ἐπαισθανομενων, μητε της χαριτος; ἡ και ταυτα βαπτισομεν; πανυγε, εἰπερ τις ἐπειγοι κινδυνος· κρεισσον γαρ ἀναισθητως ἁγιασθηναι, ἡ ἀπελθειν ἀσφραγιστα και ἀτελεστα· και τουτου λογος ἡμιν ἡ ὀκταημερος περιτομη, τυπικη τις οὖσα σφραγις και ἀλογιστοις ἐτι προσαγομενη — περι δε των ἀλλων διδωμι γνωμην την τριετιαν ἀναμειναντας, ἡ μικρον ἐντος τουτου, ἡ ὑπερ τουτου, ἡνικα και ἀκουσαι τι μυστικον, και ἀποκρινεσθαι δυνατον· εἰ και μη συνιεντα τελεως, ἀλλ᾽ οὖν τυπουμενα, οὕτως ἁγιαζειν και ψυχας και σωματι τῳ μεγαλῳ μυστηριῳ της τελειωσεως.*“

37) **Constantinus**, etsi evangelio jam diu favebat, non prius baptizabatur, quam morti erat proximus: nam **Eusebius** (de vita **Constant.** lib. IV. cap. 61 et 62.), narrat, eum, quamquam ad Christi exemplum in **Jordane** flumine olim baptismum subire voluerit, **Nicodemiae** tamen esse baptizatum, quia extremum vitae diem ipsi imminere senserit. Itidem alios plures imperatores ipsosque patres eccll. in infantia non esse baptizatos constat. Sed si quis plura hac de re desiderat, evolvat **Walli** lib. I. part. alt. p. 69 sqq. —

etiam impellentes, ut sine mora ad baptismum suscipiendum accederent [38]).

Nunc ad ea progressuri describenda, quae baptismatis administrationi erant juncta, singulas vel gravissimas certe ceremonias et consuetudines, quae ante baptismum adhibebantur, eum comitabantur et sequebantur, ordine enarrabimus eo, quo ipsa ecclesia eas solebat observare [39]).

§. 21.

Priusquam in ecclesia antiqua aliquis, religionem christianam amplexurus, in coetum exciperetur, vulgo per biennium evangelii doctrinis instituebatur atque inter catechumenos (*κατηχουμενους*) numerabatur, ita quidem, ut primum, sacras scripturas audiens, privatim erudiretur (unde talis vocabatur *ἀκροωμενος*, *ἀκροατης*, *κατ' ἰδιαν* informatus; audiens, auditor), deinde autem ad ipsum coetum communem admissus, instrueretur et praepararetur ad ea, quae cum baptismate erant conjuncta [40]). Qui

---

38) Basilius in „orat. exhort. ad bapt." baptismi procrastinationem acriter oppugnat, graviterque ad eum accipiendum exhortatur; quare cunctantes sic compellat: „*ὀκνεις και βουλευῃ και διαμελλεις ἐκ νηπιου τον λογον κατηχουμενος, οὔπω συνεθου τῃ ἀληθειᾳ; παντοτε μανθανων, οὐδεπω ἠλθες προς την ἐπιγνωσιν; παραστης δια βιου, κατασκοπος μεχρι γηρως, ποτε γενησῃ χριστιανος; ποτε γνωρισομεν σε ὡς ἡμετερον κ. τ. λ.*" Praeterea vid. Greg. Nyss. orat. adv. eos, qui differunt bapt.; Greg. Naz. orat. XL. in bapt. —.

39) Hac de re inprimis Binghami inspicias lib. saep. laud. vol. quart., ubi, quae huc pertineant, diligenter et accurate sunt pertractata.

40) Origines cont. Cels. lib. III. cap. 51. hominis in christianorum coetum recipiendi ordinem et rationem describit ita: „*χριστιανοι δε*" (scl. de philosophis aliisque, qui auditores non seligant, locutus est) „*κατα το δυνατον αὐτοις, προβασανι-*

vero iis, quae ad Christi pertinent doctrinam, jam satis erant instructi, ii nomina sua apud episcopum dabant, eo consilio, ut, proxima occasione oblata, baptizarentur [41]). Quo facto per plures dies precibus, jejuniis, poenitentiaque actis exercebantur [42]); addito mox exorcismo, aliisque plu-

---

σαντες των ἀκουειν σφων βουλομενων τας ψυχας, και κατ᾽ ἰδιαν αὐτοις προεπασαντες, ἐπαν δοκωσιν αὐταρκως οἱ ἀκροαται, πριν εἰς το κοινον εἰσελθειν, ἐπιδεδωκεναι προς το θελειν καλως βιουν· το τηνικαδε αὐτους εἰσαγουσιν, ἰδιᾳ μεν ποιησαντες ταγμα των ἀρτι ἀρχομενων, και εἰσαγομενων, και οὐδεπω τα συμβολον του ἀποκεκαθαρθαι ἀνειληφοτων, ἑτερον δε το των κατα το δυνατον παραστησαντων ἑαυτων την προαιρεσιν, οὐκ ἀλλο τι βουλεσθαι, ἠ τα χριστιάνοις δοκουντα· παρ᾽ οἱς εἰσι τινες τεταγμενοι προς το φιλοπευστειν τους βιους, και τας ἀγωγας των προσιοντων, ἱνα τους τα ἐπιῤῥητα πραττοντας ἀποκωλυσωσιν ἡκειν ἐπι τον κοινον αὐτων συλλογον· τους δε μη τοιουτους ὁλῃ ψυχῃ ἀποδεχομενοι, βελτιους ὁσημεραι κατασκευαζωσιν· οἱα δ᾽ἐστιν αὐτοις ἀγωγη και περι ἁμαρτανοντων, και μαλιστα των ἀκολασταινοντων, οὑς ἀπελαυνουσι του κοινου κ. τ. λ.“ Binghamus (l. c. p. 17—21.) quatuor catechumenorum ordines s. gradus inter veteres statuit, etsi illud satis idoneis scriptorum testimoniis non confirmat; ex ejus nimirum sententia catechumeni primum erant: ἐξωθουμενοι, extra ecclesiam privatim instituti; deinde: ἀκροουμενοι, auditores; tum: γονυκλινοντες, genuflectentes; postremo: βαπτιζομενοι s. φωτιζομενοι (i. e. non tam homines jam baptizati, quam baptismum cupientes), competentes s. electi.

41) Hi vulgo nominabantur: competentes scl. baptismum; quod Augustinus testatur, de fid. et oper. cap. VI.: „quum fontis illius sacramenta peteremus, atque ab hoc competentes etiam vocaremur etc.“; id. de cura pro mortuis cap. XII.: „Pascha appropinquante dedit nomen inter alios competentes.“ Primis saeculis haec certa nominum profitendorum consuetudo non tam diserte et distincte significatur.

42) Ineunte saeculo secundo longissime adhuc a christiano cultu aberant omnes istae futiles ethnicaeque praestigiae, quibus mox etiam baptisma observas deformatum. Quae enim tunc baptismo adjungebantur, simplicia erant et innocentia, teste Justino M., qui (Apol. I. in fine) de baptismi conferendi ratione

ribus ceremoniis, quales sunt: **impositio manuum**, **signum crucis**, **insufflatio**, itemque interdum mos erat, tum **nares** catechumeni **auresque** aperiendi vel tangendi, tum **oculos luto illinendi**, tum **caput** ejus **velandi** [43]). Primis tamen saeculis hae postremae ineptae ceremoniae, excepta manuum impositione, quae, scriptura s. testante, apostolicae est originis, in baptismo desiderantur. **Exorcismum** autem itidem ab isto apostolico more, daemones ex-

---

tradit haec: „*ὁσοι ἀν πεισθωσι και πιστευωσιν ἀληθη τα ὑφ᾽ ἡμων διδασκομενα και λεγομενα εἰναι, και βιουν οὑτως δυνασθαι ὑπισχνωνται, εὐχεσθαι τε και αἰτειν νηστευοντες παρα του θεου των προημαρτημενων ἀφεσιν διδασκονται, ἡμων συνευχομενων και συννηστευοντων αὐτοις. ἐπειτα ἀγονται ὑφ᾽ ἡμων ἐνθα ὑδωρ ἐστι και τροπον ἀναγεννησεως, ὁν και ἡμεις αὐτοι ἀνεγεννηθημεν, ἀναγεννωνται.*“ — **Concil. Carthag.** quart. c. 84. cum istis precationibus jejuniisque jam alia multa conjungit, ita statuens: „Baptizandi nomen suum dent, et diu sub abstinentia vini et carnium ac manus impositione crebro examinati baptismum recipiant.“ Addas **August. de fid. et operr.** c. VI.: „Sine dubio non admitterentur (scl. ad baptismum), si per ipsos dies quibus eandem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis exorcismisque purgantur, cum suis legitimis et veris uxoribus se concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitae, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos.“

43) **Cyrill. Hier.** praef. ad catech. n. V: exorcismis magnam salutiferamque tribuens vim, inter alia catechumeno inculcat haec: „*τους ἐπορκισμους δεχου μετα σπουδης· κἀν ἐμφυσηθῃς, κἀν ἐπορκισθῃς, σωτηρια σοι το πραγμα νομισον εἰναι*“ et paullo post: „*ἀνευ ἐπορκισμων οὐ δυναται καθαρθηναι ψυχη· εἰσι δε θειοι* (scl. istae precandi et adjurandi formulae), *ἐκ θειων γραφων συνεκλεγμενοι*“ — atque iterum non multo post: „*των ἐπορκιζοντων δια πνευματος θειου ἐμβαλλοντων τον φοβον, και ὡσπερ ἐν χωνῃ τῳ σωματι την ψυχην ἀναζωπυρουντων, φευγει μεν ὁ ἐχθρος δαιμων, παραμενει δε ἡ σωτηρια, και παραμενει ἡ ἐλπις της αἰωνιου ζωης, και λοιπον ἡ ψυχη καθαρθεισα των ἁμαρτηματων, ἐχει την σωτηριαν.*“ Ex **Cyrilli** opinione exorcismus veluti **ignis** est, animam funditus purgans. Etiam Gregor. Naz. ca-

pellendi, originem suam trahere, a vero non discrepat. Attamen mox certi in ecclesia erant homines, exorcistae appellati, quippe qui singulari functi munere et peculiari chrismate ad illam rem exsequendam idonei habiti, varii generis homines, qui a daemonibus vel a diabolo putabantur obsessi (*ἐνεργουμενοι*), ab hoc morbo vel exteriori vel interiori sanarent. Quoniam vero sanatio ista, in multis certe, saepe cum baptismo conjungebatur, nec non, paedo-

---

techumenum exhortatur: „*μη διαπτυσῃς ἐξορκισμου θεραπειαν, μηδε προς το μηκος ταυτης ἀπαγορευσῃς· βασανος ἐστι και αὑτη της περι το χαρισμα γνησιοτητος*“ (orat. XL. de bapt.). Itidem August. exorcismum cum catechisatione conjunctum magni facit, de fid. et oper. c. VI.: „Suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis exorcismisque purgantur. — Ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur“ — atque id. in psalm. LXV.: „Et in sacramentis, in catechizando et exorcizando adhibetur prius ignis — post ignem autem exorcismi venitur ad baptismum, ut ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium“ (cf. de nuptiis et concup. lib. I. cap. 20.; de gratia Ch. lib. II. cap. 40.; de peccatt. mer. et remiss. lib. I. cap. 34.; ubi profert, infantes, siquidem in diaboli sint familia, exorcizari, ut diabolica potestas recedat). — Ceremonia aures catechumenorum aperiendi vel tangendi, addita voce: „Ephphata“ primis saeculis insolennis, vel omnino non adhibita videtur fuisse. In lib., Ambrosio inscripto: de iis qui initiantur c. I. ejusdem hisce fit mentio verbis: „Quod vobis significavimus, quum apertionis celebrantes mysterium, diceremus: Effeta, quod est aperire. — — Hoc mysterium celebravit Christus in evangelio, quum mutum curaret et surdum.“ Id. de sacram. lib. I. cap. 1.: „Mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos et nares.“ Ibid. lib. III. cap. 2. etiam istius moris, oculos luto illinendi, ratio habetur: „Ergo quando dedisti nomen tuum, tulit lutum et linivit super oculos tuos. Quod significat, ut peccatum tuum fatereris, ut conscientiam tuam recognosceres, et poenitentiam ageres delictorum, hoc est, sortem humanae generationis agnosceres.“ Plura tum de hac, tum de aliis minoris momenti ceremoniis, ante baptismum celebrandum usitatis, apud Binghamum invenis l. c. p. 32 sqq. —

baptismo ubivis usu recepto, originalis peccati notio durissima induebatur forma, infantes etiam recens nati a daemonibus capti credebantur; itaque utrumque, baptisma et exorcismus s. mos, malos daemones adjuratione quadam expellendi et fugandi, solebat connecti. Praecipue autem ethnici a multis ecclesiae patribus daemoniacis cujusvis generis operibus distenti censebantur, quapropter in hisce, religioni christianae accedentibus, exorcismi usus ante baptismum subeundum in more erat. Primum certi exorcismi testimonium exhibet concilium Carthag. (a. 256. hab.), ubi Caecilius Biltanus, suam de hac re sententiam proferens, exorcismum necessario ad baptismum pertinere sensit [44]. — Praeter istas, quas attigimis, in catechumenis adhibitas ceremonias, ultimis tandem ante baptismum diebus iidem edocebantur symbolum fidei, domini precationem, aliaque multa, antea ipsos celata, quae partim ad renuntiandum diabolo ejusque operibus, partim ad sese Christo adscribendum pertinebant; quae nimirum cuncta jam jam baptizandi debebant ediscere, ut in ipso baptismali actu possent pronuntiare [45].

---

44) Concil. Carth.: „Censeo, omnes haereticos et schismaticos, qui ad catholicam ecclesiam voluerint venire, non ante ingredi, nisi exorcizati et baptizati prius fuerint." — Ibid. Vincentius a Thibari de haereticorum ad ecclesiam cathol. reditu monet haec: „Primo per manus impositionem in exorcismo, secundo per baptismi regenerationem, tunc possunt ad Christi pollicitationem venire."

45) Tertull. de coron. mil. cap. III.: „Aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia, sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, et pompae et angelis ejus." Auctor constitutt. apostoll. de hac consuetudine tradit haec: „και όταν ή προς αυτο λοιπον το βαπτισθηναι ό κατηχηθεις, μαν-

Solemnes dies, quibus baptisma administrare solebant, pascha erat, pentecoste et epiphania; at patres eccll., ne forte superstitiosa istis diebus festis adjungeretur quaedam vis, vel quodvis anni tempus ad baptismum habebant aptum [46]).

θανεται τα περι της ἀποταξης του διαβολου, και τα περι συνταγης του Χριστου· δει γαρ αὐτον πρωτον μεν ἀποσχεσθαι των ἐναντιων· και τοτε ἐντος γενεσθαι των μυστηριων, προκαθαραντα ἑαυτον την καρδιαν πασης κακοηθειας, σπιλου τεκαι ῥυτιδος, και τοτε των ἁγιων μεταχειν" (lib, VII. cap. 40.). Ambrosius competentes a reliquis catechumenis distinguens, epist. XXX. ad Marcel. sor. scribit ita: „Dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus tradebam in baptisteriis etc." August. denique hom. XLII. catechumenos commonet ita: „Tenete hanc orationem, quam reddituri estis ad octo dies. Quicunque autem vestrum non bene symbolum reddiderunt, habent spatium, teneant, quia die sabbathi audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri estis die sabbathi novissimo, quo die baptizandi estis. Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri estis hanc orationem, quam hodie accepistis. Cujus caput est: „Pater noster etc."

46) Gregor. Naz. in orat. XL. de bapt. ejusmodi homines, qui baptismum suum ad paschatis, vel pentecostes, vel epiphaniae festum differebant, hisce oppugnat verbis: „μενω τα φωτα, το πασχα μοι τιμιωτερον, την πεντηκοστην ἐκδεξομαι, χριστῳ συμφωτιασθηναι βελτιον, Χριστῳ συναναστηναι κατα την ἀναστασιμον ἡμεραν, του πνευματος τιμησαι την ἐπιφανειαν· εἰτα τι; ἥξει το τελος ἐξαιφνης ἐν ἡμερᾳ ᾗ οὐ προσδοκας, και ἐν ὡρᾳ ᾗ οὐ γινωσκεις" (cf. Basil. exhort, ad bapt.; et Chrysost. homil. I, in act.). Pascha tamen in pentecoste solemniora erant tempora; quod e Tertull, patet verbis: „Diem baptismo solemniorem pascha praestat, quum et passio domini, in qua tinguimur, adimpleta est, nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quod quum ultimum pascha dominus esset acturus, missis discipulis ad praeparandum: Invenietis, inquit, hominem aquam bajulantem. Paschae celebrandae locum de signo aquae ostendit. Exinde pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est, quo et domini resurrectio inter discipulos frequentata est, et gratia spiritus sancti dedicata, et spes adventus domini subostensa etc." (De bapt. cap. XIX.)

Nec primis etiam saeculis certus erat solusque ad baptizandum designatus locus, sed in quocunque fluvio et lacu, vel ubicunque erat aqua, sacra immersio poterat peragi [47]). Quum vero magna pulchraque templa essent exstructa, certus quoque aedis locus, qui baptisterium, gr. βαπτιστηριον, κολυμβηθρα, item ἡ θεια δεξαμενη dicebatur, cisternam habens vel lacum, solum ad illum usum destinabatur, ita tamen, ut in duas divideretur partes, in quarum una mares, in altera feminae possent baptizari. — Iis, quae diem baptismalem antecedebant et ad ipsam baptismi administrationem erant praeparanda, strictim significatis, nunc videndum est, qui ecclesiae ministri antiquis temporibus hoc sacramentum administrarint, et quae deinceps postea baptizandis contigerint. Certum munus ecclesiasticum, cui soli baptismatis administratio sit adstricta, in antiqua ecclesia non invenitur; vulgo episcopi quidem, utpote apostolorum successores, huic muneri praeerant, sed hi ipsi ex consuetudine presbyteris, itemque frequen-

---

47) Tertull. de bapt. cap. IV.: „Nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine, an fonte, lacu, an alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos, quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit“ (cf. Justini M. loc. supra jam cit. Apol. I. in fine). Ambrosius, etsi ejus tempore baptisteria variis ecclesiis jam fuerint, similia tamen de hac re videtur sentire: „Debemus“ inquiens „fratres dilectissimi, vobis catechumenis loquor, gratiam baptismatis ejus omni festinatione suscipere, et de fonte Jordanis, quem ille benedixit, benedictionem consecrationis haurire, ut in eum gurgitem, in quem se illius sanctitas mersit, nostra peccata mergantur. — Sed ut eodem fonte mergamur, non nobis orientalis petenda est regio, non fluvius terrae judaicae. Ubi enim nunc Christus, ibi quoque Jordanes est. Eadem consecratio, quae orientis flumini benedixit, occidentis fluenta sanctificat“ (vid. serm. XLI. ad catechum.).

ter etiam diaconis baptismi conferendi potestatem dabant, atque adeo, quum necessitas postulabat, idem tum quovis tempore, quocunque loco, tum a quovis quoque laico potuit peragi, ne quis, baptismo nondum accepto, e vita discederet [48]). Jam proxime ante baptismum ipsum sacerdos vel alius ecclesiae minister baptizandum catechumenum palam renuntiare jubebat diabolo (ἀποτασσεσθαι τῳ σατανᾳ) et fidem Christo profiteri (συντασσεσθαι Χριστῳ); id quod in eo perficiebatur loco, qui ad baptizandum erat paratus, vel, baptisteriis aedificatis, in vestibulo quodam (προαυλιῳ οἰκῳ), quod parvo intervallo ab interiori domo (ἐσωτερῳ οἰκῳ) s. ab ipso baptisterio erat disjunctum. Istam Satanae iisque, quae ad eum pertineant, renuntiandi formulam, quae vulgo per interrogationes et respon-

---

48) Tertull. de bapt. cap. XVII.: „Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri et Diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiae honorem. Alioquin etiam laicis jus est; quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest. — Proinde et baptismus aeque dei census ab omnibus exerceri potest. Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personae conditio compellit." In eandem sententiam abit Hieronym. in dial. cont. Luciff.: „si necessitas cogit „inquit" scimus etiam licere laicis baptizare. Ut enim accipit quis, ita et dare potest." Gregor. Naz. in orat. XL, de bapt., postquam, annulum et aureum et ferreum eadem regia imagine sculptum, idem exprimere signum, memoravit, pergit ita: „οὑτως ἐστω σοι πας βαπτιστης, κἀν τῃ πολιτειᾳ προεχῃ, ἀλλ' ἡγε του βαπτισματος δυναμις ἰση, και τελειοποιος σοι." Ibid. vehementer etiam in eos invehitur. qui non nisi ab episcopo, et metropolitano quidem vel hierosolymitano, aut a presbytero saltem, qui caelebs sit, se baptizari velint; contra quos inter alia affert haec: „σοι δε πας ἀξιοπιστος εἰς την καθαρσιν· μονον ἐστω τις των ἐγκριτων, και μη των προδηλως κατεγνωσμενων, μηδε της ἐκκλησιας ἀλλοτριος."

siones videtur esse facta, baptizandus repetere, ad occidentem (velut tenebrarum locum) versus, solebat pluries, quoniam singulatim et diabolo, et idololatriae, et mundo renuntiabat [49]); quo facto, ad orientem (tamquam lucis regionem) versus, obedientiam Christo promittebat, eoque ipso professus est, se ut strenuum Christi militem esse victurum et pro ejus evangelio esse pugnaturum; unde for-

---

49) Abrenuntiationis formulae, si verba spectas, aliae erant in aliis ecclesiis, quamquam, quod attinet ad sensum, omnes significant: baptizandum ejurare diabolum, deos fictos, improbitatem vel mundum scelestum. Tertull. eandem de cor. mil. cap. III. hisce complectitur verbis: „Renuntiamus diabolo et pompae et angelis ejus“ (cf. de idolol. cap. VI. et XVIII.; de spectac. cap. IV. initio). Cyprian. (in lib. de lapsis circa med.) de homine, qui a Christi doctrina defecit, loquens, diabolum et mundum conjungit, et ita quidem: „Stare illic potuit dei servus, et loqui et renuntiare Christo, qui jam diabolo renuntiarat et saeculo!“ Perfectam renuntiandi formulam proponit Pseudo-Clem. in Constitt. apostt. lib. VII. cap. 41.: „*Ἀποτασσομαι τῳ σατανᾳ, και τοις ἐργοις αὐτου, και ταις πομπαις αὐτου, και ταις λατρειαις αὐτου, και πασι ταις ὑπ' αὐτον.*“ Similem in Cyrill. legis cat. myst. I.: „*Ἀποτασσομαι σοι Σατανᾳ, και πασι τοις ἐργοις σου, και πασῃ τῃ πομπῃ σου, και πασῃ τῃ λατρειᾳ σου.*“ Idem etiam alios in hac ceremonia solitos corporis motus tangit ibid. n. 2.: „*εἰσῃειτε πρωτον εἰς τον προαυλων οἰκον του βαπτιστηριου, και προς τας δυσμας ἑστωτες, ἠκουσατε και προσεταττεσθε ἐκτεινειν την χειρα* (quo scl. summum contra Sat. odium significaretur), *και ὡς παροντι ἀπεταττεσθε τῳ σατανᾳ*“ — et paulo post: „*βουλομενος, και τινος ἑνεκεν ἱστασθε προς δυσμας, εἰπειν· ἀναγκαιον γαρ, ἐπειδη του φαινομενου σκοτους τυπος αἱ δυσμαι· ἐκεινος δε σκοτος τυγχανων, ἐν σκοτῳ ἐχει και το κρατος· τουτου χαριν συμβολικως προς δυσμας ἀποβλεποντες, ἀποτασσεσθε τῳ σκοτεινῳ ἐκεινῳ και ζοφερῳ ἀρχοντι.*“ Ambrosius denique de sacram. lib. I. cap. 2. istam abrenuntiationem etiam interrogando et respondendo esse factam, hisce testatur verbis: „Quando te interrogavit: Abrenuntias diabolo et operibus ejus: quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias saeculo et voluptatibus ejus, quid respondisti? Abrenuntio.“

mula orta est: *συντασσομαι σοι Χριστε*, tuorum militum numero adscribor, Christe!“ [50]). Tum vero catechumenus in suscipiendo baptismo fidei professionem palam debebat edere, quod ita exigebatur, ut ille singulis e communi fidei symbolo petitis quaestionibus, quas ipsi ecclesiae minister proponebat, singulatim responderet. Hoc fidei symbolum (s. signum, in quo nimirum christianae fidei natura potissimum cernitur, ideoque i. q. regula, *κανων*), quo professio ista continebatur, in diversis ecclesiis diversum erat; cujus rei ratio videtur esse haec. Non singulae quidem istius symboli doctrinae, per se spectatae, sed res omnium gravissima, qua cetera cuncta nituntur, a Christo ejusque apostolis et profecta est et comparata (unde nomen *κηρυγμα ἀποστολικον, παραδοσις ἀποστολικη*). Omnia enim, quae colligas, symbola eandem certe complectuntur substantiam, si quidem doctrinam de trinuno deo primarium proponunt Christi praeceptum, quo tum propria christianae religionis natura maxime dignoscitur et indicatur,

---

50) Vid. Constitt. apostt. l. c. (VII. cap. 41.): „*μετα δε την ἀποταγην, συντασσομενος λεγετω, ὁτι και συντασσομαι τῳ Χριστῳ, και πιστευω, και βαπτιζομαι κ. τ. λ.*“ Chrysost. homil. VI. in Coloss.: „*ὁρατε, μη τουτῳ ἀλωμεν, μετα το εἰπειν· ἀποτασσομεν τῳ Σατανᾳ, και συντασσομεν σοι, Χριστε.*“ De illa ceremonia, quod baptizandus sese ad orientem vertit, Cyrill. catech. mystag. I. n. 6. disputat ita: „*ὁτε οὐν τῳ Σατανᾳ ἀποταττῃ, πασαν την προς αὐτον παντως διαθηκην λυσας, τας παλειας προς τον ᾁδην συνθηκας, ἀνοιγεται σοι ὁ παραδεισος του θεου, ὁν ἐφυτευσε κατα ἀνατολας· ὁθεν δια την παραβασιν ἐξορἱστος γεγονεν ὁ ἡμετερος προπατωρ· και τουτου συμβολον του στραφηναι σε ἀπο δυσμων προς ἀνατολην, του φωτος το χωριον.*“ Probabile est, simili de causa veteres christianos in precando ad orientem vultum vertisse.

tum reliquae omnes doctrinae sunt fundatae. Hoc vero, quod omnia symbola in eadem illa doctrina inter se congruunt, sat ostendit, diversas ecclesias, quamvis in variis dissensionem cognoscas, in eo tamen, quod christianam rem causamque maxime continet, fidem habuisse unam eandemque. Prima symbola, quae vel apostolicam tangunt aetatem, simplicia sunt et brevia, ita ut nihil aliud tueantur, nisi quod iisdem fere verbis a Christo profectum apostoli tradidere; mox vero, dubitatâ unâ alterâve christianae fidei parte, quae, nondum perspicue illustrata, in illa de trinuno deo doctrina simul inest, exortisque haeresibus, prior simplicitas et brevitas non amplius potuit servari, sed gravissima pressit ecclesiam necessitas, fidei substantiam dilucidius explanandi, ut, quae Christi evangelio essent consentanea, intelligeretur. Quo factum est, ut, quamvis una eademque teneretur substantia, forma tamen symboli mox mutaretur; nam, ad illustrandas res quasdam, vel ad oppugnandas et refutandas haereses istas, quae in uno alterove loco summis christianae fidei capitibus adversarentur, nonnulla verba vel articuli debebant addi, itaque ipsa fidei regula augeri. Omnia autem additamenta, summam evangelii planius explicantia, ex eodem emanarunt fonte, atque singula singularum ecclesiarum symbola, etiamsi, si verba spectas, inter se dissentiant, unum tamen commune habent fundamentum, quae est fides, trinuno deo habenda. Sed ne hanc causam longius persequamur, memorasse sufficiat, catechumenum in baptismo administrando fidei professionem ita debuisse edere, ut interroganti ecclesiae ministro inter immergendum ad singulos symboli articulos responderet. Quae ceremonia tam necessaria habeba-

tur, ut, quum infantes aut aegroti, qui pro se respondere ipsi non poterant, baptizabantur, alii homines fideles (sponsores, susceptores, fidejussores, ἀναδοχοι appellati) illorum nomine ad omnes in baptismo fieri solitas interrogationes responderent, simulque piae parvulorum educationis et spiritualis vitae curam se esse gesturos sponderent, praesertim si iidem parentibus jam carerent, vel si forte parentes non ipsi pro suis liberis essent sponsores [51]). Ceterum in antiqua ecclesia baptis-

---

51) Singulorum symbolorum enumeratione praetermissa, nonnulla tantum exhibebimus testimonia, ex quibus, qualis in baptismo symboli profitendi fuerit ratio, fiat apertum. Justini Mart. aetate istae interrogationes et responsa (ἐπερωτησεις κ. ὑποκρισεις i. q. sacramentum s. doctrinam sacram interrogare) nondum in baptismo usitatae videntur fuisse; nam ille, postquam Apolog. I. (prope finem) narravit, eos, quibus quaecunque doceantur, vera esse persuasum fuerit, ad aquam duci ut renascantur, administrationem baptismi simplicem describit sic: „ἐπ᾿ ὀνοματος γαρ του πατρος των ὁλων και δεσποτου θεου, και του σωτηρος ἡμων Ἰησου Χριστου, και πνευματος ἁγιου το ἐν τῳ ὑδατι τοτε λουτρον ποιουνται.“ Inde a Tertulliani aetate istarum interrogationum, singulis symboli articulis accomodatarum, fit mentio; idem enim de cor., mil. cap. III. tradit haec: „Denique ut a baptismo ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquanto prius, in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, et pompae, et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam dominus in evangelio determinavit.“ Cyprian. epist. LXX. (ad episc. Numid. sc.): „Sed et ipsa interrogatio, quae fit in baptismo, testis est veritatis. Nam quum dicimus: Credis in vitam aeternam, et remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam? intelligimus remissionem peccatorum non nisi in ecclesia dari“ (cf. ejusd. epist. LXX. VI. ad Magnum sc., ubi contra Novatianum certans, idem illud repetit). Ambrosius illam ceremoniam accuratius his exponit verbis: „Ideo in mysteriis (h. e. baptismo) interrogatio trina defertur, et confirmatio trina celebratur, nec potest quis nisi trina confessione purgari. Unde et ipse Petrus in evangelio tertio interrogatur, utrum diligat do-

mus tum adultorum tum infantium, qui utrique vestibus exuebantur, itemque seriori tempore in nonnullis certe ecclesiis jam ante baptismum oleo quodam inungebantur, adhibito crucis signo, per immersionem eamque trinam quidem plerumque fiebat, aquâ ecclesiae ministri precibus consecratâ [52]). Quo de com-

---

minum, ut trina responsione vincula, quae dominum negando ligavit, absolveret" (de spir. s. lib. II. cap. 11.). Id. de sacram. lib. II. cap. 7.: „Interrogatus es: Credis in deum patrem omnipotentem? dixisti: credo, et mersisti, hoc est: sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in dominum nostrum Jesum Christum, et in crucem ejus? dixisti: credo, et mersisti. Tertio interrogatus es: Credis et in spiritum sanctum? dixisti: credo, tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris aetatis absolveret trina confessio." Addantur, quae Cyrill. cat. myst. II. n. 4. de hac re profert: „*Μετα ταυτα ἐπι την ἁγιαν του θειου βαπτισματος ἐχειραγωγεισθε κολυμβηθραν, ὡς ὁ χριστος ἀπο του σταυρου ἐπι το προκειμενον μνημα· και ἠρωτατο ἑκαστος, εἰ πιστευει εἰς το ὀνομα του πατρος, και του ὑιου, και του ἁγιου πνευματος, και ὡμολογησατε την σωτηριον ὁμολογιαν, και κατεδυετε τριτον εἰς το ὑδωρ, και παλιν ἀνεδυετε κ. τ. λ.*" — Binghamus (l. c. p. 274 sqq.) existimat, illam fidei professionem non tam in ipso baptismo, quam ante baptismum a competentibus palam esse editam; quod tamen, si Tertulliani, Cypriani, Ambrosii all. testimonia spectas, a vero videtur abhorrere. — Restat, ut, quaenam in infantium baptismo symboli recitandi fuerit ratio, videamus; qua de re praeter Tertullianum, cujus de sponsorum promissionibus seu officiis dictum (de bapt. cap. XVIII.) jam supra citavimus, Augustinum audias, qui epist. XXIII. ad Bonifac. sc. edicit haec: „Interrogamus eos, a quibus offeruntur, et dicimus: Credit in deum? de illa aetate, quae utrum sit deus, ignoret, respondent: Credit; et ad ceterá sic respondent singula, quae quaeruntur" — et serm. CXVI. de temp.: „Fidejussores pro ipsis respondent, quod abrenuntient diabolo, pompis et operibus ejus." In epist. illa ad Bonif. sc. subtiliter definit, quid illud sibi velit, quod infans fidem habere dicatur in baptismo; infantem nimirum fidei effectum nondum habere, sed fidei sacramentum (i. e. divinam fidei facultatem, quae aetate matura ad effectum potest adduci), ideoque eum vocari fidelem hujus ipsius sacramenti causa.

52) Pauli exemplum sequentes veteres christiani ad reprae-

muni immergendi more ecclesia non recedebat, nisi forte aegroti, in extremo vitae periculo versantes, erant baptizandi, quorum baptisma (bapt. clinicorum vocatum), per adspersionem collatum, non minus quam aliud quodvis habebatur justum et perfectum [53]).

---

sentandam Christi mortem, sepulcrum, resurrectionem, simulque hominis, ad novam vitam resurgentis, ratione habita, per immersionem baptizabant; cujus consuetudinis symbolica expositio saepissime invenitur. Vid. v. c. Ambrosii locum, quem antecedente nota proposuimus; Chrysost. hom. XL. in 1 Cor. immergendi atque emergendi ritum ad descensum refert ad inferos, itemque ad adscensum ex iis: „το γαρ βαπτιζεσθαι, inquit, και καταδυεσθαι, ειτα ανανευειν, της εἰς ἁδου καταβασεως ἐστι συμβολον, και της ἐκειθεν ἀνοδου"; id. hom. XXV. in Jo. III, 5.: „καθαπερ ἐν τινι ταφῳ, τῳ ὑδατι καταδυοντων ἡμων τας κεφαλας, ὁ παλαιος ἀνθρωπος θαπτεται, και καταδυς κατω κρυπτεται ὁλος, καθαπαξ ειτα ανανευοντων ἡμων, ὁ καινος ἀνεισι παλιν." Itidem hominem exuendi morem Chrysostomus symbolice ad deponendum trahit peccati corpus; quare homil. VI. in Coloss. dicit: „ἐνταυθα γυμνοτης (puta baptizandum), κακει γυμνοτης (puta Adamum)· ἀλλ᾽ ἐκει μεν ἁμαρτησας ἐγυμνωθη, ἐπειδη ἡμαρτεν· ἐνταυθα δε, ἱνα ἀπαλλαγῃ, γυμνουται· ἀπεδυσατο τοτε την δοξαν, ἡν εἰχεν ἐκεινος, ἀποδυεται νυν τον παλαιον ἀνθρωπον οὑτος, και πριν ἡ ἐπιβηναι, οὑτως εὐκολως ἀποδυεται, ὡσπερ τα ἱματια." Cyrill. cat. myst. II. n. 3. inunctionis, ante baptismum factae, his memorat verbis: „ειτα ἀποδυθεντες ἐλαιῳ ἠλειφεσθε ἐπορκιστῳ, ἀπ᾽ ἀκρων τριχων κορυφης ἑως των κατω, και κοινωνοι ἐγενεσθε της καλλιελαιου Ἰησου Χριστου." — Usus signi crucis primis saeculis pervulgaris erat, uti ex hoc Tertulliani vides loco: „ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecunque eos conversatio exerceret, frontem crucis signaculo tenere" (de cor. mil. cap. III.). — De consecratione tandem aquae baptismalis Cyprianus epist. LXX. (ad Januar. sc.) censet ita: „Oportet mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere" (cf. Tertull. de bapt. cap. IV.).

53) Ipse Cyprianus, quamquam saepissime baptismum, solemni ritui non prorsus convenientem vehementer impugnat,

Simulatque homo baptizatus ex aqua adscenderat, confirmationem aggredebatur, quae sancta unctione (*χρισματι; μυστικῳ μυρῳ*, in fronte vulgo adhibito), addito crucis signaculo, et manuum impositione (*χειροθεσιᾳ*) absolvebatur. E communi praecepto solus episcopus manuum certe impositionem poterat perficere; quapropter ii, qui absente episcopo erant baptizati, vel confestim istius ceremoniae causa ad illum ducebantur, vel, in remotioribus locis baptismo suscepto, manebant, dum episcopus longinquas dioeceses singulis annis spectatum veniret, iisque, qui ab inferiori ecclesiae ministro sacra lotione in coetum Christianorum erant recepti, manum imponeret, quo spiritum acciperent sanctum [54]). In nonnullis ecclesiis (et seriori

---

hoc tamen clinicorum baptisma (quod etiam Novatianus acceperat) pro vero habet. Nam epist. LXXVI. (ad Magnum sc.) hac de re judicat ita: „Nos, quantum concipit mediocritas nostra, aestimamus, in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena et tota fide et dantis et sumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur" — deinde nonnullis interjectis pluribusque e V. T. locis allegatis, pergit sic: „Unde apparet, adspersionem quoque aquae, instar salutaris lavacri obtinere; et quando haec in ecclesia fiunt, ubi sit et dantis et accipientis fides integra, stare omnino et consummari ac perfici posse majestate domini et fidei veritate." — De eo, quod haec adspersio, congestâ aquae copiâ ad immersionem non sufficiente, locum habuerit, fusius disputat Bingham. l. c. p. 336.

54) Cyrillus catech. mystag. III. n. 1. de Christi baptismo locutus, addit haec: „*και ὑμιν ὁμοιως ἀναβεβηκοσιν ἀπο της κολυμβηθρας των ἱερων ναματων ἐδοθη χρισμα, το ἀντιτυπον, οὗ ἐχρισθη χριστος· τουτο δε ἐστι το ἅγιον πνευμα.*" Idem n. 3. etiam testatur, in ecclesia certe Hierosolymitana hanc unctionem non solum in fronte, sed in aliis quoque corporis partibus esse adhibitam: „*πρωτον ἐχριεσθε*, inquit, *ἐπι το μετωπον, ἱνα ἀπαλλαγητε της αἰσχυνης, ἡν ὁ πρωτος παραβατης ἀνθρω-*

tempore in omnibus) jam ante consecrationem vel statim post eam alia etiam usitata erat consuetudo, recens nimirum baptizatos, sive infantes, sive adultos, candidis induendi vestibus, quas plures per dies gestabant, quo se, vetere homine exuto, novum induisse hominem, Jesum Christum, significabant, lucisque et diei factos filios; cui ceremoniae mos quoque, ardentes candelas in manibus gerendi, ut symbolum praesentis illuminationis, mox est additus [55]).

πος πανταχου περιεφερε, και ἱνα ἀνακεκαλυμμενῳ προσωπῳ την δοξαν κατοπτριζησθε· ειτα ἐπι τα ὠτα, ἱνα προσλαβητε τα ἀκουστικα των θειων μυστηριων ὠτα — ειτα ἐπι την ὀσφρησιν, ὁπως του θειου ἀντιλαμβανομενοι μυρου, λεγητε, χριστου εὐωδια ἐσμεν τῳ θεῳ ἐν τοις σωζομενοις· μετα ταυτα ἐπι τα στηθη, ἱνα ἐνδυσαμενοι τον θωρακα της δικαιοσυνης, στητε προς τας μεθοδειας του διαβολου.“ Prae ceteris ad baptisma celebrandum pertinebat manuum impositio; quod e nonnullis facile apparebit locis. Tertull. de bapt. cap. VII.: „Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans spiritum sanctum“ (antec. cap. de unctione dicit: „Exinde egressi de lavacro perunguimur benedicta unctione etc.“). Cyprian. epist. LXXIII. (ad Jubaian. sc.): „Quod“ (scl. de apostolorum manuum impositione locutus est) „nunc quoque apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur, praepositis ecclesiae offerantur, ut per nostram orationem et manus impositionem spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.“ Id. epist. LXX. (ad Jan. sc.) de unctione judicat ita: „Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus dei et habere in se Christi gratiam possit.“

55) Istarum vestium albarum (indumenti Christi) Cyrill. mentionem facit cat. myst. IV. n. 2.: „ἀποδυσαμενος δε τα παλαια ἱματια, και ἐνδυσαμενος τα πνευματικα λευκα, χρη λευχειμονειν διαπαντος κ. τ. λ.“ Ad hanc consuetudinem etiam notum illud Paulini respicit distichon, quod in epist. XII. (ad Sever. sc.) legitur ita:

„Unde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.“

Alteram ceremoniam, lampades in manibus portandi, ejusque significationem Gregor. Nazianz. orat. XL. de bapt. hisce

Antiquior tamen multoque magis usu receptus ille erat mos, ut recens baptizatis post confirmationem mellis particula et lactis praeberetur, quo eosdem novae infantiae, simulque coelestium Hierosolymarum, ubi mel flueret et lac, participes factos esse, significarent [56]). Finis denique baptizandi actui eo imponebatur, quod baptizato vel adulto vel recens nato pacis s. caritatis osculum (*εἰρηνη*) ferebatur, quo, ut communi fraternitatis signo, pro fratre christiano agnosceretur [57]).

---

explicat verbis: „*αἱ λαμπαδες, ὡσπερ ἀναψεις, της ἐκειθεν φωταγωγιας μυστηριον, μεθ᾽ ἡς ἀπαντησομεν τῳ νυμφιῳ φαιδραι, και παρθενοι ψυχαι φαιδραις ταις λαμπασι της πιστεως, μητε καθευδουσαι δια ῥαθυμιαν, ἱνα μη λαθῃ παρων ἀδοκητως ὁ προσδοκωμενος, μητε ἀνελαιοι, και καλων ἐργων ἐπιδεεις, ἱνα μη του νυμφωνος ἐκπεσωμεν.*“

56) Tertull. de coron. mil. cap. III.: „Inde suscepti lactis et mellis gustamus concordiam“; id. cont. Marc. lib. I. cap. 14.: „Sed et ille usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos unxit, nec mellis et lactis societatem, qua suos infantat, nec panem, quo ipsum corpus suum repraesentat.“ Praeterea vid. Clem. Alex. paedag. I. cap. 6.: „*τῳ γαλακτι, τῃ κυριακῃ τροφῃ, εὐθυς μεν ἀποκυηθεντες, τιθηνουμεθα· εὐθυς δε ἀναγεννηθεντες, τετιμημεθα, της ἀναπαυσεως την ἐλπιδα, την ἀνω Ἰερουσαλημ, εὐαγγελιζομενοι· ἐν ᾗ μελι και γαλα ὀμβρειν ἀναγεγραπται.*“

57) E Cypriani epist. LIX. liquet, Fidum, ea quoque de causa infantes, recens natos, non statim esse baptizandos, existimasse, „quia unusquisque eos horreat exosculari.“ Ad quod Cypr. respondet ita: „Nam et quod vestigium infantis, in primis partus sui diebus constituti, mundum non esse dixisti, quod unusquisque nostrum horreat exosculari, ne hoc putamus ad coelestem gratiam dandam impedimento esse oportere; scriptum enim est: omnia munda sunt mundis. Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans a partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat exosculari; quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes dei manus debeat cogitare, quas in

Ceremoniis baptismi finitis adulti confestim sacra coena utebantur; nec tamen apertum est, utrum jam tertio saeculo etiam infantes statim post baptismum, an pluribus demum exactis annis ad eam sint admissi. Primum in Africana ecclesia eucharistiae loco vinum solum iis videtur esse oblatum; tum inde a saeculo quinto illud sacramentum in ecclesia romana cum infantium baptismo conjungebatur, etsi illud circa annum millesimum, exorta transsubstantiationis doctrina, iterum est intermissum [58].

§. 22.

Contra orthodoxam baptismi administrationem

---

homine modo formato et recens nato quodammodo exosculamur, quando id, quod deus fecit, amplectimur." — Chrysost. serm. XLVII. de util. leg. script. s. fusius explicans, quid illud osculum sibi velit, dicit inter alia: „ἐπειδη γαρ προ του φωτισματος ἐχθρος ἠν, μετα το φωτισμα γεγονε φιλος του κοινου παντων ἡμων δεσποτου· δια τουτο παντες συνηδομεθα, δια τουτο και το φιλημα εἰρηνη καλειται, ἱνα μαθωμεν, ὁτι πολεμον κατελουσεν ὁ θεος, και προς την οἰκειωσιν ἐπανηγαγε την ἑαυτου."

58) Cyprian. in lib. de lapsis narrat, filiolam, quippe quae inscia panem, de immolatione ethnica relictum, ederit, postea in coetu christianorum eucharistia uti non potuisse. „Ubi vero" ait Cypr. „solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre praesentibus coepit, et accipientibus ceteris locus ejus advenit, faciem suam parvula, instinctu divinae majestatis, avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet de sacramento calicis infudit. Tum sequitur singultus et vomitus. In corpore atque ore violato eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit." Cyprian. in incerto relinquit, quot annos ille infans sit natus, numque statim post baptismum eucharistiam, seu ejus loco potum acceperit. — Bingham. l. c. p. 393. censet, infantibus inde a primo saeculo eucharistiam aeque ac baptismum continuo esse impertitam; quod idqneis quidem testimoniis non confirmavit. Walli de hac re sententia, quam l. c. part. alt. p. 570 sqq. bene exposuit, vera nobis videtur esse.

quomodo haeretici quidam baptismum administrarint, paucis jam exponendum erit. In qua re exploranda primum de iis loquemur haereticis, qui formulam in baptizando mutarunt; deinde de gnosticis quibusdam sectis, qui prorsus fere aliam baptismi statuerunt formam; postremo de iis, qui, anabaptistarum instar, eosdem homines pluries solebant baptizare. — Inter eos autem, qui vulgaris formulae loco aliam in baptizando adhibebant, referendi sunt Eunomiani, Anomoei, itemque Montanistae s. Cataphryges. Theodoreto teste isti Eunomiani, Pauli verbis Rom. VI, 3. perperam intellectis, non in trinitatem, sed in mortem Christi baptizabant, neque ter, sed semel tantum baptizandum immergebant [59]). Anomoei autem, Eunomii sectatores, suae de deo opinioni baptizandi formula accommodata, baptismum in nomine dei increati, et in nomine filii creati, et in nomine spiritus sanctificantis, a creato filio procreati, administrabant [60]). Montanistae denique, Montanum, ipsorum antesignanum, pro paracleto s. spiritu sancto habentes, orthodoxa baptismi formula corrupta, in patrem, filium et Montanum atque

---

59) Theodoret. haeret. fabul. lib. IV. cap. 3. de Eunomio: „*τον ἀνεκαθεν παρα του κυριου και ἀποστολων παραδοθεντα θεσμον ἀντενομοθετησε, μη χρηναι λεγων τρις καταδυειν τον βαπτιζομενον, μηδε ποιεισθαι την τριαδος ἐπικλησιν, ἀλλ' ἁπαξ βαπτιζειν εἰς τον θανατον του Χριστου κ. τ. λ.*“

60) Epiphan. haeres. LXXVI. Anom.: „*ἀναβαπτιζει τους ἠδη βαπτισθεντας, οὐ μονον τους ἀπο ὀρθοδοξων προς αὐτον ἐρχομενους, και αἱρεσεων, ἀλλα και τους ἀπο αὐτων των Ἀρειανων· ἀναβαπτιζει δε αὐτους εἰς ὀνομα θεου ἀκτιστου, και εἰς ὀνομα ὑιου κεκτισμενου, και εἰς ὀνομα πνευματος ἁγιαστικου, και ὑπο του κεκτισμενου ὑιου κτισθειτος*“ (cfr. Greg. Nyss. contra Eunom. lib. XI.).

ejusdem vates duas gravissimas, Priscillam et Maximillam, baptizasse dicuntur [61]).

Irenaeo auctore multi quidem Valentiniani vel Marcosiani baptismum servabant, sed diversa eum celebrabant ratione. Multi baptisma esse spirituales nuptias iactabant; alii autem baptizabant: in nomen incogniti patris omnium, in veritatem matrem omnium, in eum, qui descenderit in Jesum, in unionem et redemtionem et communionem virtutum; alii nomina quaedam hebraica pronuntiabant, quo initiandos perterrerent; alii denique hac utebantur formula: in nomen, omnibus numinibus, omnique veritati absconditum, quod Jesus Nazarenus in luminis zonis induit etc. Cui respondebat baptizatus: confirmatus sum et redemtus sum, et redimo animam meam ab aeone hoc, et omnibus, quae proficiscuntur ab eo, in nomine Jao etc. Quo facto, baptizatum ungebant consecrato opobalsamo, symbolo pleromatis suavitatis. Erant autem alii, qui oleum et aquam, in unum commixtum, super eorum, qui baptizabantur, caput effundebant, idque, unctione addita, redemtionem s. baptismum esse opinabantur [62]).

---

61) Basil. epist. I. c. 1.: „*τινα λογον ἐχει, το τουτων βαπτισμα ἐγκριθηναι, των βαπτιζοντων εἰς πατερα, και ὑιον, και Μοντανον ἠ Πρισκιλλαν; οὐ γαρ ἐβαπτισθησαν ἐι εἰς τα μη παραδεδομενα ἡμιν βαπτισθεντες.*“ Plura de kisce haereticis, baptismi formam mutantibus, invenis apud Bingham. l. c. p. 170 sqq.

62) Iren. adv. haeres. lib. I. c. 18.: „*οἱ μεν γαρ αὐτων νυμφωνα κατασκευαζουσι και μυσταγωγιαν ἐπιτελουσι μετ᾽ ἐπιρρησεων τινων τοις τελειουμενοις, και πνευματικον γαμον φασκουσι εἰναι το ὑπ᾽ αὐτων γινομενον, κατα την ὁμοιοτητα των ἀνω συζυγιων. — Οἱ δε ἀγουσιν ἐφ᾽ ὑδωρ, και βαπτιζοντες οὑτως ἐπιλεγουσιν· εἰς*

Marcionitae prae reliquis haereticis eo insignes sunt, quod omnium primi in ecclesia reperiuntur, qui in eodem homine baptizato diversis temporibus conditionibusque baptismum iterabant. Marcion nimirum, Epiphanio testante, docebat: ter omnino licere aquis elui, et baptismo ad peccatorum remissionem expiari, ut, si quis post usurpatum priorem peccasset, ad secundum cum poenitentia confugeret, similiterque tertium, si post secundum iterum se delictis obstrinxisset [63]). Vis igitur atque potestas baptismi a Marcionitis non nisi ad peccata

---

ὀνομα ἀγνωστου πατρος των ὁλων, εἰς ἀληθειαν μητερα παντων, εἰς τον κατελθοντα εἰς Ἰησουν, εἰς ἑνωσιν, και ἀπολυτρωσιν, και κοινωνιαν των δυναμεων" (cf. Theodoret. haeret. fab. lib. I. cap. 9.). — „Ἀλλοι δε ἑβραϊκα τινα ὀνοματα ἐπιλεγουσι, προς το μαλλον καταπληξασθαι τους τελειουμενους οὑτως· Βασεμα, Χαμοσση, κ. τ. λ. — Ἀλλοι δε παλιν την λυτρωσιν ἐπιλεγουσιν οὑτως· το ὀνομα το ἀποκεκρυμμενον ἀπο πασης θεοτητος, και ἀληθειας, ὁ ἐνεδυσατο Ἰησους ὁ Ναζαρηνος ἐν ταις ζωναις του φωτος κ. τ. λ. — Ὁ δε τετελεσμενος ἀποκρινεται· ἐστηριγμαι, και λελυτρωμαι και λυτρουμαι την ψυχην μου ἀπο του αἰωνος τουτου, και παντων των παρ' αὐτου ἐν τῳ ὀνοματι του Ἰαω κ. τ. λ. — Ἐπειτα μυριζουσι τον τετελεσμενον τῳ ὀπῳ τῳ ἀπο βαλσαμου· το γαρ μυρον τουτο τυπον της ὑπερ τα ὁλα εὐωδιας εἰναι λεγουσιν. — Ἐνιοι δε αὐτων το μεν ἀγειν ἐπι το ὑδωρ περισσον εἰναι φασκουσι, μιξαντες δε ἐλαιον και ὑδωρ ἐπι το αὐτο μετ' ἐπιρρησεων ὁμοιοτροπων, αἱς προειρηκαμεν, ἐπιβαλλουσι τῃ κεφαλῃ των τελειουμενων· και τουτο εἰναι την ἀπολυτρωσιν θελουσι· μυριζουσι δε και αὐτοι τῳ βαλσαμῳ." Postea Iren. de baptismi contemtoribus loquitur, quorum jam supra mentionem fecimus.

63) Epiphan. haeres. XLII. Marcionit. Marcionem narrat pronuntiasse: „ὁτι ἐξεστιν ἑως τριων λουτρων, τουτεστι τριων βαπτισμων, εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων διδοσθαι ἐν' εἰ τις παρεπεσεν εἰς το πρωτον, λαβῃ δευτερον μετανοησας, και τριτον ὡσαυτως, ἐαν ἐν παραπτωμασι μετα το δευτερον γενηται" — atque iterum ibid. „οὐ μονον δε παρ' αὐτῳ ἐν λουτρον διδοται, ἀλλα και ἑως τριων λουτρων, και ἐπεκεινα, ἐξεστι διδοναι παρ' αὐτοις τῳ βουλομενῳ, ὡς παρα πολλων ἀκηκοα."

praeterita referebatur, ita ut ad remittenda peccata, baptismum subsecutura iterato esset opus baptismo; ecclesia contra orthodoxa itidem quidem non omnia, quae homo esset commissurus delicta baptismo extingui arbitrabatur; attamen, baptismo semel accepto, sinceram justamque poenitentiam atque assiduam vitae probitatem pro continuato et perpetuo habebat baptismo, quo homini peccatorum contingeret venia. Iterationem autem baptismi ea, qua apud Marcionitas fiebat, ratione nusquam alibi in ecclesia antiqua invenimus; multi quidem haeretici, ut Novatiani, Donatistae, Eunomiani vel etiam seriori tempore omnes fere Ariani [64]) eos, qui ab ecclesia catholica aut secta aliqua desciverant, rebaptizabant, ea tamen de causa, quia illorum baptisma acceptum nihili putabant esse. Neque minus in ipsa ecclesia orthodoxa poterat fieri, ut aliquis baptismum susciperet alterum, si quidem nesciebant, istene homo jam esset baptizatus; denique multi etiam haeretici, quorum baptisma pro irrito habebatur, ut Montanistae, Paulianistae aliique [65]),

---

64) Cyprian. epist. LXXIII. ad Jubaian.: „Nec nos movet, quod in litteris tuis complexus es, Novatianenses rebaptizare eos, quos a nobis sollicitant.“ Augustin. de haeres. cap. LXIX. de Donatistis refert hoc: „Audient etiam rebaptizare catholicos, ubi se amplius haereticos esse firmarunt, quum ecclesiae catholicae universae placuerit, nec in ipsis haereticis baptisma commune rescindere“ (scl. si ante ipsorum defectionem hoc bapt. commune jam susceperant). De Eunomianis vid. Epiph. locum haer. LXXVI., quem modo citavimus. Reliquos autem Arianos anabaptismi accusat August. de haeres. cap. XLIX.: „Rebaptizari quoque ab his catholicos novimus, utrum et non catholicos nescio.“

65) Concil. Constant. I. can. VII. de Montanistis nec non de Sabellianis statuit ita: „κατηχουμεν αὐτους, και ποιουμεν αὐτους χρονιζειν εἰς την ἐκκλησιαν, και ἀκροασθαι των γρα-

ad ecclesiam catholicam reversi, denuo baptizabantur, quo magna veri baptismi possent obtinere beneficia. Si quis tamen, priusquam ad sectam aliquam transiisset, in ecclesia orthodoxa baptismum jam acceperat, ei redeunti nequaquam baptismus tribuebatur alter, sed poenitentiâ, per aliquid temporis actâ sicut alii multi haeretici per repetitam confirmationem seu manuum impositionem admittebatur. Verumenimvero multis demum variisque difficultatibus ac litibus motis, certae de haereticorum baptismo leges potuerunt constitui, quum patres eccl. in magna versarentur de hac re varietate ac dissensione. Jam Clemens Alexand. haereticum baptismum non convenientem vocat neque germanam aquam [66]; atque Tertullianus, quamquam tam ex domini evangelio, quam ex apostoli litteris non nisi unum esse baptisma affirmat, haereticos tamen, quum non eundem habeant baptismum, etiam uno isto censet carere [67]. Praecipue

---

φων· και τοτε αὐτους βαπτιζομεν." Plures e conciliis locos collegit Bingham. l. c. p. 174. De Paulianistis Augustin. de haeres. cap. XLIV. memoriae prodit haec: „Pauliani, a Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, asseverant. Istos sane Paulianos baptizandos esse in ecclesia catholica Nicaeno concilio (can. XIX.) constitutum est. Unde credendum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi haeretici, cum de catholicis discederent, abstulerunt, eamque custodiunt." Ceterum num baptismi formam revera mutaverint, incertum est.

66) Clemens Strom. I. cap. 19. in fine: „το βαπτισμα το αἱρετικον, οὐκ οἰκειον και γνησιον ὑδωρ."

67) Tertull. de bapt. cap. XV.: „Unus omnino baptismus est nobis tam ex domini evangelio, quam ex apostoli litteris, quoniam unus dominus, unum baptismum et una ecclesia in coelis. — Haeretici autem nullum habent consortium nostrae disciplinae, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio com-

vero in certamine isto, quod inter Cyprianum fuit et Stephanum, res in eo vertitur, quantum baptisma valeat haereticum, quibusque conditionibus haeretici sint rebaptizandi. Reliquum igitur est, ut hoc certamen accuratius et enarremus, et dijudicemus.

3. HISTORIA CONTROVERSIAE CYPRIANI ET STEPHANI.

§. 23.

Non alienum putamus, nonnulla, quae Cypriani cum Stephano litem praecessere, strictim praemittere. — Quaestio ista, quid de iis sit agendum, qui, persecutionis tempore christianis sacris desertis, postea, evangelii veritatem sibi persuadentes, ad fidem Christo addictam sint redituri, magnas in ecclesia antiqua excitavit perturbationes. In Africa, ubi primum gravis de ista causa disceptatio exstitit, Felicissimus quidam, a Novato presbytero, „nec sciente nec permittente" Cypriano episcopo, diaconus consignatus, volebat, lapsos, quos vocant, continuo in ecclesiam recipi, dummodo a martyribus vel stabilibus christianae doctrinae confessoribus pacis libellos offerrent. Diaconus hic rem suam eo perduxit, ut ne ullam quidem diversorum lapsorum haberet rationem, sive erant sacrificati (thurificati s. idololatrae), sive libellatici, i. e. tales, qui ut persecutione supersederent, aut revera jam sacrificarant, numinaque ethnica coluerant, aut a praefectis vel magistratu, pecunia data, libellum quendam emerant, quo Christum denegasse ac mandatis ethnicis morem gessisse vide-

---

municationis. Non debeo in illis agnoscere, quod mihi est praescriptum, quia non idem deus est nobis et illis, nec unus Christus i. e. idem. Ideoque nec baptismus unus, quia non idem."

rentur, neque amplius, ut deos colerent fictos, cogerentur. Cyprianus, Felicissimi leni agendi ratione improbata, ita in lapsos statui volebat, ut ad poenitentiam quidem agendam impellerentur, nec tamen continuo ad coetum et sacrae coenae communionem denuo admitterentur, quum de eo pace ecclesiae restituta, accuratius esset agendum. Interea idem Novatus, qui Felicissimum fecerat diaconum, Romam sese confert, ibique Novatianum presbyterum contra Cornelium, Cypriani amicum, inflammat, etsi ipsius prior sententia magis menti Cornelii, qui leniter de lapsis agi volebat, quam Novatiani conveniebat. Jam hic concitatus Novatianus, partium suarum episcopus factus, clamabat, omnes lapsos, quoniam persecutionis metu foedus baptismale violassent fidemque abnegassent, nulla ratione ad communionem ecclesiasticam esse admittendos; Cornelium autem reliquosque catholicos, contrarium defendentes, immundos esse habendos, siquidem societatem cum lapsis coirent, se contra suaeque partis sectatores esse mundos (καϑαρους). Longius in partium studio progressi, Novatiani hi baptismum quoque, in ista, a qua desciverant, ecclesia administratum, pro falso irritoque habebant; quapropter inde venientes, ut verae et purae ecclesiae essent asseclae, rebaptizabant. At vice versa permultae etiam ecclesiae catholicae idem faciebant; etenim Cyprianus et reliqui patres Africani non minus rebaptizabant omnes, qui ab haereticis seu schismaticis ad ecclesiam erant redituri. Romana tamen ecclesia in hac re dissentiebat cum Africana, quum redeuntes haereticos, manibus iis impositis, reciperet; sed haec dissensio utriusque ecclesiae communionem nondum dissolvit. Quod vero-

similiter eo maxime factum est, quod Cyprianus suam agendi rationem nonnullorum episcoporum et conciliorum auctoritate poterat confirmare [68]. Nihilominus mox Stephanus, episcopus Romanus, Africanae ecclesiae rationi acriter resistebat, contentione de haeretici baptismi vi ac momento denuo excitata. Nimia incitatus perturbatione ille omnibus istis episcopis, qui contra legem apostolicam baptismum repeterent, communionem renuntiabat ecclesiasticam, quoniam iis, qui ab haeresi quadam ad ecclesiam essent redituri, non nisi manus in poenitentiam deberent imponi [69]. Cyprianus contra monebat,

---

68) Jam duae synodus, Iconii et Synnadis in Phrygia habitae, idem, quod Cyprianus sentiebat, probaverant; id quod ex Firmiliani verbis, quae in Cyp. epist. LXXV. leguntur, apparet: „Quod totum jam pridem in Iconio, qui Phrygiae locus est, collecti in unum, convenientibus et Galatia et Cilicia et caeteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra haereticos firmiter et vindicandum, cum a quibusdam de ista re dubitaretur“ (cf. Eusebii hist. eccl. lib. VII. cap. 6.). Praeterea Cypriani sententia cum ea congruebat, quam septuaginta episcopi Agrippino praeside in concilio Carthag. dixerant. Cyprian. enim epist. LXXI. (ad Quintum sc.): „Quod quidem“ inquit „et Agrippinus, bonae memoriae vir, cum caeteris episcopis suis, qui illo tempore in provincia Africa et Numidia ecclesiam dei gubernabant, statuit, et librato concilii communis examine firmavit, quorum sententiam et religiosam et legitimam et salutarem, fidei et ecclesiae catholicae congruentem nos etiam secuti sumus.“ Idem epist. LXXIII. (ad Jubaian. sc.) his repetitur verbis: „Apud nos autem non nova aut repentina res est, ut baptizandos putamus eos, qui ab haereticis ad ecclesiam pervenerunt, cum multi jam anni sint et longa aetas, ex qua sub Agrippino, bonae memoriae viro, convenientes in unum plurimi hoc statuerunt.“

69) Dionysius Alex., qui leniter in isto certamine sese gerebat, in epist. ad Sixtum II. (apud Euseb. lib. VII. cap. 5.) de Stephano refert hoc: „ἐπεσταλκει (Στεφ.) μεν οὐν προτερον και περι Ἑλενου και περι Φιρμιλιανου και παντων των τε ἀπο της

omnes extra ecclesiam baptizatos profanae aquae esse maculatos labe, quare iis, ab haereticis erroribus aversis, non solum manus imponerentur, sed etiam ad accipiendum spiritum s. verum ecclesiae baptisma impertiretur, oportere [70]). Manuum igitur impositionem et baptisma posse disjungi negans, **Cyprianus** reprehendebat **Stephanum**, qui, sibi non constans, **baptismo** haereticorum pro justo habito, **confirmationem** tamen eorum irritam putaret, ideoque iis manus imponi juberet; at **Stephanus** in eo perseverabat, quod mos, manus tantum imponendi, vetere plerarumque ecclesiarum niteretur consuetudine; cui sententiae **Cyprianus** objiciebat, consue-

---

Κιλικιας και Καππαδοκιας και Γαλατιας, και παντων των ἑξης ὁμορουντων ἐθνων, ὡς οὐδε ἐκεινοις κοινωνησων δια την αὐτην ταυτην αἰτιαν, ἐπειδη τους αἱρετικους, φησιν, ἀναβαπτιζουσι. Και σκοπει το μεγεθος του πραγματος. Ὀντως γαρ δογματα περι τουτου γεγονεν ἐν ταις μεγισταις των ἐπισκοπων συνοδοις, ὡς πυνθανομαι, ὡστε τους προσιοντας ἀπο αἱρεσεων προκατηχηθεντας, εἰτα ἀπολουεσθαι και ἀνακαθαιρεσθαι τον της παλαιας και ἀκαθαρτου ζυμης ῥυπον." Quinque Cypriani epistolae (LXX—LXXV.) optime, quae istius concertationis fuerit ratio, significant. Epist. LXXIV. Steph. suam sententiam exprimit ita: „Si quis ergo a quacunque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam. — Qui in nomine Jesu Christi ubicunque et quomodocunque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur."

70) Epist. LXXII.: „eos, qui sunt foris extra ecclesiam tincti et apud haereticos et schismaticos profanae aquae labe maculati, quando ad nos atque ad ecclesiam, quae una est, venerunt, baptizari oportet, eo quod parum est eis manum imponere ad accipiendum spiritum sanctum, nisi accipiunt et ecclesiae baptismum." Addatur epist. LXX. locus: „Censentes scilicet et pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra ecclesiam posse, cum sit baptisma unum in sancta ecclesia constitutum, et scriptum sit, domino dicente: me dereliquerunt, fontem aquae vivae, et effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare."

tudinem veritatis expertem nihil nisi veterem esse errorem. In eo ceterum ipse Cyprianus, etsi haereticum baptismum nihili aestimaret, lubenter Stephano accedebat, quod unum solum esset baptisma, ita ut vel ii qui, priusquam ad haereticos transiissent, in ecclesia catholica essent baptizati, nunquam baptismi indigerent iteratione [71]. Itaque amborum episcoporum res controversa eos solos spectabat, qui, non nisi ab haereticis baptizati, ad catholicos erant transituri; quorum baptisma acceptum Cyprianus nullum omnino censebat, ita ut ad unum omnes denuo putaret baptizandos; Stephanus vero, haeretico baptismate in eadem, qua catholico, auctoritate posito, ne eos quidem rebaptizari debere credebat, qui falsa in multis doctrinis gravibus laborantes fide, ipsam denegarent trinitatem [72].

Sequitur, ut rei summam, qua utriusque sententia maxime fundatur, accuratius percenseamus. Vidimus modo et Cyprianum et Stephanum causam eo confirmasse suam, quod non nisi unum statuerent baptisma. Ille duos judicat Stephano esse agnoscendos baptismos, haereticorum baptismo ut vero statuto et legitimo; quam quidem repugnantiam eo tolli,

---

71) Per se intelligitur, Stephanum hoc debuisse statuere; sed Cyprianum nihil aliud de hac re sensisse, ex hisce apparet verbis: „Qui e quacunque haeresi convertuntur unico et legitimo baptismate baptizantur, exceptis, qui baptizati prius fuerunt et sic ad haereticos transierunt“ (epist. LXXIII.).

72) Hanc Stephani sententiam vituperat Cyprian. epist. LXXIV. clamans: „Cur in tantum Stephani, fratris nostri obstinatio dura prorupit; ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini et Apelletis, et ceterorum blasphemantium in deum patrem contendat filios deo nasci? et illic in nomine Jesu Christi dicat remissionem peccatorum dari, ubi blasphematur in patrem et dominum deum Christum?“

quod non nisi orthodoxae ecclesiae, cui soli divinus inhabitet spiritus, baptismi administrandi jus et potestatem tribuatur, ita ut salubres baptismatis effectus solo a baptizante pendeant, qui, fide imbutus orthodoxa, per spiritum sanctum aquae baptismali mirificam et sanctificantem inserat vim [73]. Facile intelligitur, Cyprianum, etsi omnes omnino ab haereticis baptizatos denuo esse baptizandos duxit, minime anabaptismi posse accusari, quum solum catholicae ecclesiae baptismum verum putet et justum; neque potest negari, veri aliquid in ista opinione inesse, siquidem sacerdos, in ecclesiae fidem baptizans, ipsam in administrando baptismo repraesentat ecclesiam. Quod si negligitur, difficile est intellectu, quidni ex arbitrio et quacunque ratione ecclesiae minister vel quivis homo laicus baptismum possit administrare? itemque, quid sit discriminis inter judaicum baptismum vel quamlibet lustrandi ceremoniam, et hanc a Christo institutam sacram immersionem? Attamen Cyprianus modum excedit eo, quod, nullo inter singularem (subjectivam) sacerdotis fidem atque suum (objectivum) ecclesiae spiritum statuto discrimine, eundem sacerdotem non tam repraesentare, quam ipsum esse ecclesiam opinatur. Quo fit, ut, superstitiosarum addita opinionum silva, isti sacerdoti catholico, qui ipse infidelis esse potest et flagitiosus, spiritum sanctum veluti vi inculcet, eundemque habeat pro in-

---

73) Vid. Cypr. epist. LXX. ubi inter alia istam opinionem ita affert: „Quomodo sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est et apud quem spiritus sanctus non est? Sed et pro baptizato quam precem facere potest sacerdos sacrilegus et peccator.“

strumento, quo deus baptismum mirum in modum sanctificet, nec non reliquis ecclesiae membris spiritum suum largiatur. Atqui, quum Cyprianus, una et communi spiritus divini natura male intellecta, ecclesiae notionem unice ad singularem sacerdotem, ne dicam ad peculiarem quendam locum adstringat, ipsam Christi ecclesiam Donatistarum et Novatianorum instar facit sectam quandam. Falsum denique, quo ejus de haeretico baptismo nititur opinio, eo maxime continetur, quod baptismi vim ac momentum non tam a recta, Christi instituto spiritui que consentanea, administratione deducit, quam externa ratione a sacerdote, qui, dummodo orthodoxam prae se ferat speciem, baptismo effectus inserit magicos.

Stephanus contra, veritati propius accedens, baptismi, solenniter ac legitime administrati, vim effectumque esse objectiva statuebat ideoque nequaquam ex subjectiva baptizantis sacerdotis pendere conditione, quum non hic, sed deus baptismum pura mente ac fide subeunti gratiam impertiret. At e Cypriani verbis cognovimus, Stephanum vel ejusmodi baptismum pro vero habuisse ac legitimo, cui ab haereticis alia atque orthodoxa subdita sit sententia; quo rursus verum permiscetur falso. Si enim certa baptismi forma eique juncta sententia potest commutari, quo tandem significatur, peractum baptizandi ritum esse sacramentum illud, a Christo institutum? Stephanus, quando, quae extra ecclesiam exercentur, ea aequat, quae sunt in ecclesia administranda, videtur neglexisse, Christi ecclesiam tum certa sacramentorum administratione, tum firma doctrina et fide esse adstrictam, quo ab haeretica arbitrariaque agendi et cogitandi ratione dignoscatur.

Quem vero ad modum Cyprianus baptisma, utpote per se spectatum nihil valens, per baptizantem demum sacerdotem vim suam accipere opinatur, ita Stephanus eandem semper divinam gratiam baptismo censet includi, quisquis sit baptizans, et quocunque administretur modo. Utriusque sententia a vero videtur abhorrere, quoniam ex altera parte ratio, quam baptismus ad Christi ecclesiam habet nequaquam est levis, ex altera autem parte nec id ecclesiae Christi repugnat, quod, etiamsi non ab hoc vel illo peculiari proficiscatur sacerdote orthodoxo, in Christi tamen spiritu perficitur. Quocirca ecclesia quoque post mortem Cypriani et Stephani, mediam secuta viam, haereticos redituros non rebaptizabat, nisi forte iidem baptismum, Christi instituto atque ecclesiae fidei repugnantem, acceperant [74].

Res controversa, quam modo explicuimus, omnino non ideam baptismi vel notionem, sed tum ejus formam vel administrationem, tum ecclesiae notionem attinebat. Quaestiones vero, quae illic considerari debebant, hae fere sunt: quae Christi ecclesiae sit notio vera, quod verum indicium, quo ecclesia maxime dignoscatur et judicetur; utrum externis eadem rebus vel finibus possit cohiberi, an omnino ei id sit consentaneum, quod sancto dei fundetur spiritu? Neque minus, haeretici baptismi respectu, quaerendum erat: quid haereticos ab ecclesia ortho-

74) Concil. Arelat. can. VIII.: „placuit, ut si ad ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quodsi interrogatus non responderit hanc trinitatem, baptizetur," Vid. quos jam supra ea de re citavimus locos.

doxa necessario excluderet; quo eorum baptisma fieret falsum et irritum, qua conditione esset verum et legitimum? Quae omnia, multaque alia, huc pertinentia, leviter quidem in ista Cypriani cum Stephano concertatione attinguntur, non accurate tamen perlustrantur; cujus rei causa ea videtur esse, quod uterque antea conceptis, ne dicam superstitiosis, de baptismo, ecclesia ac dei efficacia opinionibus laborat. Neque magis a Cypriano vel a Stephano expositum est, quo tandem christiani baptismi idea veraque natura contineatur, sed de eo iis erat lis atque altercatio, per quem vel ubinam baptisma, ut pro legitimo posset haberi, esset administrandum. Unde intelligitur, istâ controversiâ unam tantum baptismi partem, eamque quidem exteriorem, quae administrationem spectat, leviter esse consideratam; altera eademque interior pars, quae notionem baptismi, necessitatem et finem respicit, seriori demum tempore ab Augustino et Pelagio in controversiam est vocata. Eandem vero rationem, in qua exteriora vides collocata esse ad interiora, ista Cypriani cum Stephano concertatio habet ad illam, quae Augustino erat cum Pelagio, quoniam illic de forma, hic de sententia baptismi disputatur. Itaque, quale inter Augustinum et Pelagium de baptismo fuerit certamen, secunda baptismatis historiae parte nunc exponetur.

II. AUGUSTINI ET PELAGII DE BAPTISMO CONTROVERSIA.

§. 24.

Diversa Augustini et Pelagii sententia de originali peccato et divinae gratiae vi, simul de baptismo iisque, quae per eum in infantibus efficerentur, contentionem excitavit. Supra vidimus, paedobaptismum jam tertio saeculo communi omnium ecclesiarum usu fuisse probatum; causas tamen, cur infantes essent baptizandi, non easdem invenimus in orientalibus atque in occidentalibus ecclesiis. Plerique enim graeci scriptores eccll., etsi peccatum originale non negant, parum tamen ponderis ei afferunt, opinantes, baptismum non tam ut peccatum deleatur illud hereditarium, quam ut nova et majora in infantibus efficiantur bona, adhiberi; latini contra patres, sacram immersionem maxime ad extinguendam primi peccati culpam vim habere, arbitrantur. Quae supra ad significandas patrum eccll. de baptismo opiniones protulimus, strictim illud quoque jam attigerunt, qui baptisma cum originali peccato sit conjunctum; sed ut accuratius quam rationem Augustini et Pelagii sententia ad priorem ecclesiae doctrinam habeat, perspiciamus, nonnullorum certe patrum de peccato originali sententias diligentius persequi, operae erit pretium.

Patres, qui apostolicam circiter aetatem floruerunt, nondum aperte peccatum originale ejusque infaustam in genus humanum vim commemorant; sed jam Justinus M. monet, salvatorem natum esse et crucifixum humani generis causa, quod per Adamum in mortem, fraudem seductionemque serpentis

delapsum sit, propria peccatoris culpa silentio praetermissa [75]). Neque minus Irenaeus primum Adami peccatum perniciosam ad omnes homines habuisse vim censet; nam variis locis totum genus humanum illo peccato in conditionem praedicat debitorum dei, violatorum, inimicorum, sub antiqua serpentis plaga degentium, mortique adstrictorum; in altero tamen Adamo inesse redemtionem ac reconciliationem [76]). Inter Alexandrinos ecclesiae doctores inprimis Origines nimiam de labe congenita sibi finxit ideam, perniciem opinatus omnibus hominibus innatam, ipsosque recens natos a peccato neutiquam esse immunes, sed per baptismum demum ab omni immunditie purgari [77]). Nihilominus idem Origenes pelagianismi ab Hieronymo accusatus est, quia scilicet opinatus sit, fieri posse, ut homo, ad meliora conversus, tantam ad fortitudinem perveniret, ut ultra peccare non posset [78]). Sequentis

---

75) Justin. M. dialog. cum Tryph.: „και οὐχ ὡς ἐνδεῆ αὐτον του βαπτισθηναι, ἢ του ἐπελθοντος ἐν εἰδει περιστερας πνευματος, οἰδαμεν αὐτον ἐληλυθεναι ἐπι τον ποταμον, ὡσπερ οὐδε το γεννηθηναι αὐτον και σταυρωθηναι ὡς ἐνδεης τουτων ὑπεμεινεν, ἀλλ' ὑπερ του γενους του των ἀνθρωπων, ὁ ἀπο του Ἀδαμ ὑπο θανατον και πλανην την του ὀφεως ἐπεπτωκει, παρα την ἰδιαν αἰτιαν ἑκαστου αὐτων πονηρευσαμενου.“

76) Iren. adv. haeres. lib. III. cap. 20.; IV. c. 5.; V. c. 16. 19. 21.

77) Vid. quos supra ex Origenis scriptis citavimus locos de paedobapt.

78) Hieron. in prooem. dialog. adv. Pelag. quorundam haereticorum mentione facta, adjicit: „illud autem Origenis proprium est, impossibile esse, humanam a principio usque ad mortem non peccare naturam; et rursum esse possibile, cum se aliquis ad meliora converterit, ad tantam fortitudinem pervenire, ut ultra peccare non possit.“ Quae verba, quomodo cum Pelagii doctrina cohaereant, postea videbimus.

aetatis graeci scriptores omnes fere primi peccati cohaerentiam cum uniuscujusque hominis conditione plus minusve profitentur; sunt tamen, qui vel pro Pelagii de peccato originali doctrina videantur sensisse. Sic Chrysostomus, singulis baptismi beneficiis enumeratis, annotat, infantes quoque, quamquam peccata non habeant, baptizari, ut iis sanctitas detur et justitia, adoptio, hereditas, Christique, cujus sint membra, fraternitas [79]). Quo dicto Pelagiani utebantur, ut infantes peccati originalis, Chrysostomo auctore, expertes esse, probarent; quod quidem illis verbis non plane continetur, quoniam propria fortasse peccata Chrysost. in mente habuerit, etsi id certe ante oculos ponitur, quod ex illius patris sententia infantes non tam propter originalis peccati veniam consequendam, quam aliis de causis baptizantur. Quam opinionem eodem fere tempore alii quoque in graecis ecclesiis scriptores tenebant; nam Theodoretus opponit Messalianis, qui baptismum antecedentia solum auferre peccata arbitrentur, si illud solum baptismatis sit opus, quorsum infantes, qui peccatum nondum gustarint, baptizentur, intelligi non posse; imo potius baptismi sacramentum non solum id, sed multo etiam majora

---

79) Hic Chrysostomi locus occurrit in primo contra Julian. libro cap. VI., ubi Julianus eum (e Chrys. homil. ad bapt.) sic allegat: „Vides, quot sunt baptismatis largitates. Et nonnulli deputant, coelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato („peccatis“ potius, ut August. notat, siquidem graeca verba sint: *δια τουτο και τα παιδια βαπτιζομεν, καιτοι ἁμαρτηματα οὐκ ἐχοντα.*), ut eis detur, vel addatur, sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.“

et perfectiora polliceri [80]). Quo dicto rursus neutiquam negatur, infantes peccati originalis omnino esse expertes. Prorsus autem a Chrys. et Theod. partibus stat Isidorus Pelusiota, qui, quamvis infantes peccatorum pronunciet expertes (*τα βρεφη, ἀναμαρτητα ὀντα*), nihilominus addit, baptismum tum istam ob Adami peccatum humanae naturae proditam immunditiem (*τον δια την παραβασιν του Ἀδαμ διαδοθεντα τῃ φυσει ῥυπον*) eluere, tum alia quoque multa beneficia homini concedere [81]). Ex quibus Isidori verbis ista Chrysostomi et Theodoreti dicta commode possunt explicari, quum ille saepissime Chrysostomi sententiam sequatur. — Haec sufficiant ad ea, quae orientalis ecclesia de peccato originali ejusque cum baptismi vi cohaerentia senserit, intelligenda; jam occidentalem ad ecclesiam perventum est.

Plerique patres latini idem fere cum Augustino sentiunt. Tertullianus, ut vidimus, omnem censet animam Adamo insertam, immundam, ac peccatricem esse, talemque remanere, donec in Christo innovetur; alioque iterum loco malum animae ab originis vitio esse exortum arbitratur [82]). In eas-

---

80) Theodoret. haeret. fabul. lib. V. cap. 18.: „*οὐ γαρ, ὡς οἱ φρενοβλαβεις Μεσσαλιανοι νομιζουσι, ξυρον μονον μιμειται το βαπτισμα, τας προγεγενημενας ἀφαιρουμενον ἁμαρτιας. Τουτο γαρ ἐκ περιουσιας χαριζεται· εἰ γαρ τουτο μονον ἐργον ἠν του βαπτισματος, ἀνθ᾽ ὁτου τα βρεφη βαπτιζομεν, οὐδεπω της ἁμαρτιας γευσαμενα; οὐδε γαρ τουτο μονον ἐπαγγελλεται το μυστηριον, ἀλλα τα τουτων μειζω, και τελεωτερα κ. τ. λ.*“

81) Vid. ejusd. epist. CXCV. ad Hermin. Comet. scr.

82) Vid. Tertull. lib. de anima cap. XL. (vid. sup. n. 32.), nec non cap. XLI.: „Malum igitur animae, praeter quod ex obventu spiritus nequam, superstruitur, ex originis vitio antecedit. naturale quodammodo“ — et in fine ejusd. cap.: „Excipitur

dem partes Cyprianus ivit, qui infantem nihil peccasse dicit, nisi quod, secundum Adamum carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima sibi nativitate contraxerit, ita ut baptismum suscipienti non propria, sed aliena remittantur peccata [83]). Ambrosius denique nullum tempus existimat vacuum tutelae debere esse, quia nullum sit culpae vacuum, quare neque senem proselytum, neque infantem vernaculum esse exceptum, quum omnis aetas peccato obnoxia, ideoque omnis aetas sacramento sit idonea [84]). — Sed ne plura cumulemus, jam inquirendum est, quomodo per ipsam Augustini cum Pelagio contentionem dogma de peccato originali, cum baptismate conjunctum, ulterius sit explanatum. Istam discrepantem sententiam, quam perpauci patres eccll. obscure tangunt, Pelagius majore, quam putes, levitate persequitur; congruam vero ecclesiae doctrinam Augustinus peracute evolvit et accurate. Quod ut intelligatur, primum Pelagii, deinde Augustini sententiam in medio ponemus.

---

etiam a spiritu sancto, sicut in pristina nativitate a spiritu profano."

83) Cyprian. epist. LXIV. (ad Fidum scr.): — „recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit — ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata."

84) Ambros. de Abraham. lib. II. cap. XL.: „Egregie autem infantiae in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos: quia sicut ab infantia peccatum sic ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelae, quia nullum est culpae vacuum. — Nec senex ergo proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis aetas peccato obnoxia, et ideo omnis aetas sacramento idonea."

§. 25.

Qui a **Pelagii** stant partibus, statuunt:

a) **infantes baptizandos esse, ut in Christo sanctificati ejusque redemtionis participes, a conditione bona (incerta) ad meliorem (certam) pervenire, simulque coelorum regni heredes possint fieri** [85]). Neces-

85) Pelagii doctrinam ex iis, quae Augustinus refert, colligimus; quapropter primum vid. ejusd. de peccatt. mer. et remiss. lib. III. cap. 6., ubi: „Nam ante parvum tempus" inquit „a quibusdam transitorie colloquentibus, cursim mihi aures perstrictae sunt, quum illic apud Carthaginem essemus, non ideo parvulos baptizari, ut remissionem accipiant peccatorum, sed ut sanctificentur in Christo." August. in lib. de pecc. orig. cap. XVII. XVIII. multa ex epistola quadam Pelagii, ad Innocent. papam scripta, allegat, quibus Pel. studet confirmare, neminem sine baptismo redemtione et coelesti regno posse gaudere; ad ista autem Pelagii verba: „Quis ille tam impius est, qui cujuslibet aetatis parvulo interdicat communem humani generis redemtionem?" respondet August. ita: „Et hoc ambiguum est, qualem dicat redemtionem, utrum ex malo ad bonum, an ex boni ad melius. Nam et Coelestius apud Carthaginem in libello suo confessus est redemtionem parvulorum, et tamen noluit confiteri ex Adam in eos transiisse peccatum." Deinceps perstringit Aug. vanum Pelagii dictum: „Quis tam impius est, ut vetet renasci ad perpetuam certamque vitam eum, qui natus sit ad incertam." Postremo vid. Aug. contra Julian. lib. III. cap. 3.: „De baptismi sane quaestione, quam vobis apud ignaros invidiosam mendaciis nostris factam fuisse conquestus es, vix dici potest, quam eleganter existi, hanc a vobis amolitus invidiam, eo quod, parvulos baptizandos esse fateamini, quia gratiam baptismatis, dicitis, non pro causis esse mutandam, quod ipsa dona sua pro accedentium capacitate dispensat. Ideoque Christus, qui est sui operis redemtor, auget, inquis, circa imaginem suam continua largitate beneficia, et quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores. Hoccine est totum, cur vobis de baptismate parvulorum faciendam non existimatis invidiam? quasi quisquam nostrum vos dixerit negare, baptizari parvulos oportere. Non eos dicitis non debere baptizari, sed, pro magnitudine sapientiae vestrae, res mirabiles

sitatem ergo paedobaptismi **Pelagius** nequaquam infitiatur, verum ista beneficia omnia, quibus ex ipsius judicio infantes per baptismum gaudeant, solam respiciunt **futuram** et perfectiorem conditionem, nec tamen **praesentem** revera imperfectam et mancam. Quod enim attinet ad peccatorum remissionem, **Pelagius** docet:

b) **infantes non in remissionem peccati originalis, sed in eam, quae propriis peccatis commissis sit in ecclesia exspectanda, baptizari** [86]). Peccatum originale **Pelagius** con-

---

dicitis: „In sacramento salvatoris baptizantur, sed non salvantur, redimuntur, sed non liberantur etc."

86) Ad hoc probandum Pelagiani nonnunquam ridiculis utebantur argumentis; **Augustino** enim teste (de pecc. mer. et rem. lib. III. cap. 2. 3.), illi colligebant sic: „Si Adae peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo et Christi justitia etiam non credentibus prodest, quia similiter imo et magis dicit, per unum salvari, quam per unum ante perierunt. — Si baptismus mundat antiquum illud delictum, qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato; non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt. Illud quoque accedit, quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantum habet traducem peccati et ipsa solum poenam meretur; injustum esse dicentes" (scl. Pelag.) „ut hodie nata anima, non ex massa Adae, tam antiquum peccatum portet alienum." Quibus verbis opponit **Aug.** ejusd. lib. cap. 9.: „nunc vero, quandoquidem cum eis agimus, qui confitentur baptizatorum filios baptizandos, quanto melius sic agimus, ut dicamus: vos, qui adseritis de hominibus a peccati labe mundatis sine peccato nasci filios debuisse, cur non adtenditis, eo modo vobis posse dici, de christianis parentibus christianos nasci filios debuisse?" Praet. vid. de **pecc. mer.** et **rem.** lib. I. cap. 34.: „redemtionem etiam ipsis opus esse concedunt, sicut cujusdam eorum libello brevissimo continetur, qui tamen ibi remissionem alicujus peccati apertius exprimere noluit" et ibid. lib. II. cap. 36.: „Etsi noluerunt litteris suis aperte exprimere, parvulis remissionem necessariam peccatorum, redemtionem tamen eis necesse esse con-

tinue negat, quia non propagatio vel partus, sed propria hominis voluntas in causa sit, ut peccatum existat. Jam quum infans ab omni congenita labe alienus, et propter spem tantum, fore, ut actualia peccata ipsi mittantur, baptizari putetur: hoc denique per se patet, quod Pelagius

c) vel non baptizatos infantes, omnis condemnationis expertes, salvos posse praestari, arbitratur [87]. Notatu tamen dignum est,

fessi sunt." E Coelestii fidei libello August. de pecc. orig. cap. V. haec citat verba: „Infantes autem debere baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam universalis ecclesiae et secundum evangelii sententiam confitemur, quia dominus statuit regnum coelorum non nisi baptizatis posse conferri, quod, quia vires naturae non habent, conferri necesse est per gratiae libertatem. In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a catholico sensu alienum est. Quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine, quia non naturae delictum sed voluntatis esse demonstratur. — Illud autem, quod infantes etsi peccati omnino expertes baptizantur in remissionem peccatorum nihil aliud est, nisi quod iis peccatorum veniae consequendae spes est" (cfr. Aug. lib. de grat. Ch. cap. XXXII.).

87) Vid. August. lib. de haeres. cap. LXXXVIII.: „Parvulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquae prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo adserunt nasci, ut prorsus non sit, quod eis oporteat secunda nativitate dimitti, sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Non etiamsi non baptizantur, promittunt eis, extra regnum quidem dei, sed tamen aeternam et beatam quandam vitam." Hunc de infantium non baptizatorum condemnatione locum Pelagius mox in incerto reliquit, dubie dicens: „Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant scio, quo eant nescio" (Aug. de pecc. orig. cap. XV.); cujus dicti sensus videtur esse aut: infantes istos non ire in condemnationem scio, verum, quid illis contingat, ignoro; aut: parvulos non

Pelagianos, discrimine inter vitam quandam aeternam et coeleste Christi regnum statuto, hoc non nisi hominibus baptizatis, illam vero infantibus non baptizatis esse destinatam, putasse. Etenim quoniam ex altera parte ad infantem neque peccatum originale, neque aliud quicquam vitium pertinere credunt, ex altera autem parte ipse Christus, non nisi baptizatos homines regnum posse ingredi coelorum, pronuntiat: colligitur, tertium quendam esse opor-

---

baptizatos in regnum coelorum non ire scio, quo eant, nescio. Omnium absurdissima de infantibus non baptizatis opinione laborabat Vincentius Victor quidam, cujus apud Aug. in lib. II. de anima cap. 9 sqq. mentio fit: „Habendam dicimus de infantibus istiusmodi rationem, qui praedestinati baptismo, vitae praesentis, antequam renascantur in Christo, praeveniuntur occiduo. — Ausim dicere, istos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, non tamen ut coeleste inducantur in regnum, sicuti latroni confesso quidem, sed non baptizato, dominus non coelorum regnum tribuit, sed paradisum; quum utique jam moneret, qui non renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non intrabit in regnum coelorum. Praecipue, quia multas esse mansiones apud patrem suum dominus profitetur, in quibus designantur merita multa et diversa mansorum: ut hic non baptizatus perducatur ad veniam, baptizatus ad palmam, quae est parata per gratiam." — Jam postremo juvet, nonnulla e Concil. Carthag. (a. 418. hab.) can. sec. proponere, quae contra Pelagii placita sunt statuta; ibid. legitur: „Item placuit, ut, quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur (unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem non vera, sed falsa intelligatur), anathema sit etc."; et paulo post hoc sequitur additamentum: „Item placuit, ut, si quis dicit, ideo dixisse dominum: in domo patris mei mansiones multae sunt; ut intelligatur, quia in regno coelorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum coelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt, anathema sit."

tere locum, ubi infantes non baptizati post mortem remaneant in aeternum.

His Pelagii placitis reiectis, Augustinus statuit:

a) baptismum infantibus omnino esse necessarium, ut spirituali gratia regenerati, provecta aetate, scelestis operibus reniti et unice deo esse dediti possint; id quod in infantibus revera esse futurum, sponsores totius ecclesiae loco testificari [88]). Hanc sententiam, quippe quae infantes

---

88) Augustinus epist. XXIII. ad Bonif. sc. omni studio conatur ostendere, quid baptismo in infantibus efficiatur, qualisque tum susceptorum tum totius ecclesiae sit ratio ad illum baptismum. Dicit vero inter alia: „Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt, quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus nempe offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offerantur, et quorum sancta atque individua charitate ad communicationem sancti spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo mater ecclesia, quae in sanctis est, facit, quia tota omnes tota singulos parit"; nec ita multo post: „Sicut ergo secundum quendam modo sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est. Nihil est autem aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc, quum respondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum et convertere se ad deum propter conversionis sacramentum. — Sicut de ipso baptismo consepulti, inquit, sumus Christo per baptismum in mortem. Non ait: sepulturam significamus, sed prorsus ait, consepulti sumus. — Itaque parvulum, etsi nondum fides illa, quae in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, sic etiam fidelis vocatur, non ipsam rem mente annuenda, sed ipsius rei sacramentum percipiendo. Cum autem homo sapere coeperit, non aliud sacramentum repetit, sed intelligit, ejusque veritati consona etiam voluntate cooptabitur. Hoc, quamdiu non potest, valebit sacramentum ad

ipso baptismo videatur vitae obstringere verae et sanctae, Augustinus mox ita conformavit, ut contenderet:

b) *baptizatum* demum infantem, gravi peccati originalis culpa liberatum, ad coeleste regnum, quod a beatitudine vel ab aeterna vita non differat, aditum sibi comparasse [89]. Augustino auctore, totum genus humanum uno congenito delicto, quod carnali procreatione ad neminem non propagatur, affectum est ejusque culpa tenetur, et tunc demum homo spiri-

---

ejusdem tutelam adversus contrarias potestates. Et tantum valebit, ut si ante rationis usum ex hac vita emigraverit, per ipsum sacramentum, commendante ecclesiae charitate, ab illa condemnatione, quae per unum hominem intravit in mundum christiano adjutorio liberetur."

89) Inprimis in isto jam cit. lib. de peccat. meritis et remiss. August. de peccato originali et de infantium baptismi necessitate agit; vid. v. c. lib. I. cap. 35.: „Sine ista ergo regeneratione salvos in aeternum posse parvulos fieri, quis audeat adfirmare, tamquam non pro eis mortuis sit Christus? Etenim Christus pro impiis mortuus est. Isti autem, qui, ut manifestum est, nihil in sua propria vita impie commiserunt, si nec originaliter ullo impietatis vinculo detinentur, quomodo pro eis mortuus est, qui pro impiis mortuus est? Si nulla originalis peccati aegritudine sauciati sunt, quomodo ad medicum Christum, hoc est, ad percipiendum sacramentum salutis aeternae suorum currentium pio timore portantur, et non eis in ecclesia dicitur, auferte hinc innocentes istos, non est opus sanis medicus, sed male habentibus: Non venit Christus vocare justos, sed peccatores (cf. ej. lib.: cap. 25. 28. 30. 31. 33.). Praet. insp. lib. III. contra duas epist. Pelag. cap. 10., ubi inter alia leguntur haec: „Sed hoc dico, tam manifestum esse secundum scripturas sanctas originale peccatum, atque hoc dimitti tanta fidei catholicae antiquitate atque auctoritate firmatum, tam claro ecclesiae celebritate notissimum, ut, quidquid de animae origine cujuslibet inquisitione vel adfirmatione disseritur, si contra hoc sit, verum esse non possit."

tuali regeneratione, christianae religionis beneficiis, omnique salute aeterna potest potiri, quum ab innata ista macula sit purgatus; id quod baptismo prorsus perficitur. Quoniam igitur baptisma remedium s. instrumentum est, quo tum vetusta (humanae naturae inusta) culpa poenaque deletur, tum summae beatitudinis semen praebetur, ex ipsa re consequatur necesse est, ut ex Augustini judicio,

c) et infantes, et cuncti homines non baptizati tam salutis aeternae sint expertes, quam condemnationis rei [90]). Hoc gravius

---

90) Veteris ecclesiae de baptismo doctrina, si constanter explanatur, non potest cum hac Augustini sententia non convenire; id quod in multis quoque patribus eccll. revera contingit, ut supra vidimus (vid. v. c. Tertull. lib. de bapt. cap. X.). August. hunc locum saepissime attingit; sic de pecc. mer. et rem. lib. I. cap. 28.: „Hinc et ipse dominus, volens auferre de cordibus male credentium istam, nescio quam, medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiae sint in vita aeterna, sed, quia non baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit, ad haec ora obstruenda, sententiam, ubi ait: Qui mecum non est, adversum me est. Constitue igitur quemlibet parvulum. Si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem, quod habet veritas, ideo baptizatur, ut sit cum Christo, profecto non baptizatus non est cum Christo" (cf. epist. XXVIII. ad Hieron. sc.). Lenius de infantium non baptizatorum sorte loquitur ibid. cap. 16.: „Potest proinde" ait „recte dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit et fallitur, qui eos in damnatione praedicat non futuros, dicente apostolo: judicium ex uno delicto in condemnationem." Atque iterum lib. V. contra Julian. cap. 8.: „Ego autem non dico, parvulos sine Christi baptismate morientes tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expederit, quum hoc dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis et impiissimis dixerit. Si enim, quod de Sodomis ait, et utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur, quis dubitaverit, parvulos non ba-

judicium Augustinus eo lenit, quod infantes istos non baptizatos mitissimam subire opinatur damnationem, ita ut, si res ipsa judicatur, illa nulla alia re, nisi beatitudinis aeternae fructu priventur. Neque minus de istis condemnatis excipiebat eos, qui pro divina Christi doctrina constanter profitenda, cujusvis generis mala, poenas, dolores perpessi, ipsam martyris mortem subirent, seu, sicut jam prius ecclesia statuebat, baptismum susciperent alterum sanguinis. Reliquis vero, quicunque baptismi expertes e vita excedunt, fatum accidit istud inevitabile, quod sunt condemnandi, quia praeter coelorum et condemnationis regnum nullus invenitur tertius locus.

Propositâ rei summâ, quae in disceptatione de baptismo maxime est spectata, restat, ut in totam controversiam Pelagianam paulo accuratius inquiramus, eamque dijudicemus.

§. 26.

Christiana doctrina, quamquam nihil aliud, nisi summa est dei manifestatio, ideoque omnino divina atque infinita, nihilominus per longum finitumque tempus et humana opera et industria indigebat, ut omnibus suis partibus numerisque posset perfici. Omnis

---

ptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis adgravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quae, qualis, et quanta erit, quamvis definire non possum, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret." Unum adhuc addamus locum de martyribus non baptizatis, qui de civit. dei lib. XIII. cap. 7. legitur: „Quicunque etiam non percepto regenerationis lavacro pro confessione Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis" (cf. de orig. animae lib. I. c. 11.).

veritatis substantiam ille, qui certo tempore vixit, Christus praebuit; singula autem hujus substantiae momenta ecclesia, in eodem isto Christo (λογῳ), qui omni tempore vivit, versata, explanavit; itaque deum, quo divina veritas posset esse realis, substantiam suam (i. e. se) revelare; homines autem, ut humana realitas (existentia) posset esse vera, illam substantiam per deum revelatam explanare, oportebat. Quomodo vero, si retro ad ecclesiam respicis, singula istius divinae substantiae momenta in eadem sunt explicita? Sicut aeternitas tempore, vel infinitus deus finitis indigebat hominibus, ut, quae aeterna divina essentia continerentur, in rebus praesentibus possent vere esse: ita explicatio ista, quamvis ipso dei spiritu niteretur, discrepantia et oppugnatione, cui haereticae erant [illegible], egebat, quibus ipsa posset revera absolvi. Nunquam ecclesia controversiis dissidiisque caruit, nunquam carebit, quamquam simul ea eidem Christi ecclesiae est potestas, ut exortas haereses temporis decursu superet. Neque ulla enim christianae religionis invenitur gravis doctrina, quin successu temporis sit impugnata; nunquam explicandae fidei substantiae defuerunt haereses, adeo etiam per has illa demum prodiit explicata, ita ut haeresis tamquam velamentum possit dici, quo nucleus i. e. christiana doctrina includatur, quodque est tollendum, ut ille nucleus possit obtineri. Quodsi nulla in ecclesia fuisset vel haeretica oppugnatio vel contradictio, nulla quoque esse poterat perfecta substantiae explicatio, sed haec mansisset intacta neque patefacta; id quod evenit primis saeculis, quibus, quoniam nondum fuit oppugnatio inter ipsos Christi sectatores, ecclesia nihil aliud, nisi istam per Christum manifestatam,

traditamque per apostolos substantiam, parum explicatam, fide est comprehensa. Movetur enim substantia oppugnatione demum ac contradictione, singula ejusdem momenta exponuntur, nucleus veluti enucleatur, partes prodeunt e toto, itaque res, ab omnibus partibus tam oppugnata, quam examinata, conspicitur perfecta. Itaque oppugnatio habenda est necessaria non minus atque haeresis, quae, nisi merum est deliramentum, ipsa vel necessaria orthodoxae doctrinae est pars, sed propter id ipsum, quod nihil nisi pars est quaedam nec totum, quo orthodoxa continetur doctrina, falsa appellanda est atque haeretica opinio. Quae omnia accidisse videmus in istis, quae gravissimas christianae fidei doctrinas spectavere, haereticis opinionibus, quales sunt, quae de trinitate sunt, de duabus in Christo naturis, de ratione divinae gratiae ad humanam libertatem, aliisque multis doctrinis [91]. A re nostra

---

91) Liceat nobis, quae strictim modo percurrimus, accuratius pertexere, interno nexu explicito, qui inter diversas de praecipuis religionis christianae dogmatis concertationes cernitur; et eo quidem consilio, ut graviores res in dogmatum historia, quam dicunt, non fortuito vel externo quodam modo esse factas perspicias. Priusquam tamen, quomodo singulae controversiae inter se cohaereant, evolverimus, haec pauca nobiscum reputa. — Praecipuum omnis religionis momentum in ea ponitur relatione, quam deus habet ad mundum vel ad genus humanum. Duae autem partes — altera: invisibilis idearum mundus, regnum gratiae, sive dei in semetipso spectati virtutes; altera: visibilis praesentium rerum mundus, homines naturali ingenio praediti, deique auxilio ad verum cogitandum sanctamque vitam agendam indigentes — ista relatione vicissim ad se tendunt, ita quidem, ut deus sese revelet in genere humano suamque absconditam vitam vel omnes in ipso reconditas ideas perducat ad existentiam, humanum autem genus divinas in se recipiat virtutes vel ideas, suamque existentiam perducat ad veritatem. Atque

proposita non videtur abhorrere gravissimam illam de divina gratia ac libero hominis arbitrio contentionem accuratius hîc dignoscere.

---

aeternus ille, qui utramque partem conjungit, motus, ipsa est mundi vel generis humani historia, nec tamen istae innumerabiles externae historiae, ne dicam fabulae, sed una interna et necessaria tum dei tum generis humani, gradatim sese explicantis, historia, cujus summa atque imago repraesentatur in illo, christianae doctrinae aeterno θεανθρωπῳ, Jesu Christo, qui maxima, quae inest ei veritate, ipse est vel notio generis humani, cum deo conjuncti, vel ejusdem historia. Hinc perspicitur, quomodo fieri potuerit, ut per tot saecula de individua Christi persona, deque divinae gratiae auxilio tot controversiae et dimicationes sint ortae; gravissimae enim notiones, quibus interna dei cum homine conjunctio nititur, istâ personae Christi ideâ comprehenduntur atque a simplici mente, inscie quodammodo, pertractantur. — Tres autem distinguendae sunt ideae gradus s. momenta, quibus ista relatio dei generisque humani apparet. Primum deus spectatur in se (i. e. in abstracto, ut ita dicam, s. ut regnum idearum), mundi, generisque humani in concreto, quod dicunt, nondum ratione habita; atque haec est divina idea, simplex scl. ista ac pura, quae trinitatis notione continetur, non ut quae est, sed quae cogitatur per se s. in se. Deinde hoc idearum regnum apparet ut natura divina in concreto, naturae humanae in concreto opposita; utraque autem natura est conjungenda, ut tum existens deus tum verus spectetur homo. Hic igitur illae duae partes primum sese tangunt, et, quid utraque conferat, vel quo vinculo ambae conjungantur, ut unam conficiant conscientiam sui, quaeritur; quapropter hoc dogmate perfecta hominis persona, sive vera i. e. divina humani generis notio significatur et constituitur. Trinuni ideâ (in abstracto), itemque divinae naturae cum humana conjunctae notione (in concreto) definitis, tertio denique gradu dei gratia et hominis voluntas i. e. mutua utriusque efficacia delineatur; ibique de eo agitur, quidquid utriusque efficacia operetur oporteat, ut vera libertas h. e. ea divinae gratiae humanique ingenii relatio efficiatur, quâ divina substantia (absconditus iste deus) necessitatem, humana autem forma (existens homo) mobilitatem exhibeat, et sic tandem per sanctum spiritum (qui ipse in necessitate ratione mobili vel libera, atque in libertate ratione necessaria utitur) perfecta emergat dei et

Pelagius in omnibus, quae de divinae gratiae ratione, ad humanam libertatem collocata, de peccato

---

hominis tam in cogitando, quam in agendo unitas. Per omnes igitur tres istos gradus, fundamentum religionis christianae, dogma de trinitate tractatur, et primo quidem ut mera omnium rerum forma (i. e. ratio et modus, quo omnia moventur); secundo ut regnum finiti et infiniti, sibi vel oppositum, vel ex opposito ad identitatem sese removens; tertio denique gradu trinitas, omni instructa motu et actione, ad existentiam vel realitatem perducitur, ita ut spiritus regnet divinus, qui efficacissimus habitat in hominum genere iisque libertatem filiorum dei impertit. — Imprimis autem tenendum est (id quod saepenumero negligitur, atque a patribus etiam ecclesiasticis mirum quantum est neglectum), in omnibus istis momentis unam eandemque tractari rem, modo unum, modo alterum urgeatur, et certis quibusdam finibus circumscribatur, ita quidem, ut illa dogmata, quae primo adspectu varia complectantur religionis christianae objecta, arctissime inter sese cohaereant, et tamquam singulae unius totius partes invicem sese ponant. Tum dogma de trinitate, tum id quod agit de divina et humana natura, tum quod dei gratiam tractat et liberum hominis arbitrium, si unumquodque per se spectes, totum quoddam constituunt, verum uno cum altero comparato, sicut veritati est consentaneum, totum illud non nisi momentum quoddam complet, quae interna et necessaria explicatione ad aliud sese promovet dogma (sive ad altiorem tollenda est gradum), quod iterum, per se spectatum, totum est, cum reliquis autem compositum dogmatis, partem tantum constituit; quae duplex ratio redit, usque dum circulus conclusus, vel unum totum ab omnibus suis partibus (momentis) absolutum sit. Quod deinde ad ista attinet certamina, in ecclesia de gravissimis evangelii doctrinis excitata, parum refert, num dogma aliquod paullo serius sit impugnatum atque explicitum, quam aliud, quod tempore non antecedere, sed sequi debebat; quamquam enim dogmatis explicatio omnino est necessaria, opus tamen non est, eandem hac ipsa neque alia temporis parte absolvi; si vero secundum notionem dogmata consideras, ita tantum in historia sese possunt excipere, sicut antea significavimus. Tempus autem, quo doctrinae, quas habet religio christiana, gravissimae, motis certaminibus, sunt explicitae, tertii saeculi finem, totumque quartum et quintum implet; etenim ea, de quibus priori tempore certatur, aut omnino sunt inania et a doctrinis vere chri-

originali, de baptismo memorat, rem non ab omni ponderat parte. Externa ratione deum respiciens

---

stianis prorsus aliena (v. c. Chiliasmus, variaeque Gnosticismi, Manichaeismi, Montanismi ineptiae), aut externam tantum ecclesiae attingunt formam (cogita de Donatismo et Novatianismo), aut denique transitum demum faciunt ad ipsa de gravioribus christianae religionis dogmatis certamina jamjam pugnanda. Deinde quae posteriori aetate (medio aevo) videmus tractata — si ingeniosam Anselmi doctrinam, de dei incarnationis et hominum redemtionis necessitate exceperis, nec non novas istas de sacrae coenae natura definitiones — male redolent ea, quae prioribus contentionibus sat superque erant excussa, et ad finem perducta (huc refer Monotheletismum et Adoptianismum, utrumque Nestorianae controversiae jam inclusum). Sed haec quidem hactenus; ad rem ipsam reversis nobis primum de trinitate (de primo isto ideae gradu) est agendum. Tria distinguenda sunt hujus notionis momenta; primum: substantia divina in semetipsa spectata (pater); deinde ejusdem substantiae manifestatio, sive alterum ei oppositum momentum (filius — λογος); utrumque denique conjunctum conspicimus tertio momento, spiritu scilicet sancto patris et filii. Solum primum momentum tenuit Sabellius (itemque Praxeas, Noëtus, Paulus Samosat. Photinus), nam ex ejus doctrina substantia (οὐσια) sese manifestat quidem, at manifestatio non propriam habet existentiam (ὑποστασιν-ὑπαρξιν), sed ad illam recurrit, sicut radius ad solem; primum ac secundum momentum tenuit Arius atque Eunomius; substantia ex eorum placito sese manifestavit (non aeterna ratione, sed certo tempore), et ipsa manifestatio propriam habet existentiam, eamdem tamen a deo (patre) avulsam, neque ejusdem substantiae (quapropter profitebantur filium patri esse vel ἀνομοιον vel ἑτεροουσιον vel ὁμοιουσιον, et qui orthodoxae doctrinae proxime accedebant: ὁμοιουσιον κατα παντα); huc etiam Macedoniani s. Pneumatomachi pertinent, qui, una ab altera persona itidem separata, subordinationem, quam dicunt (ὑπαριθμησιν) confitebantur, ideoque spiritum s. dei putabant διακονον και ὑπηρετην. Athanasius denique et orthodoxa ecclesia, omnibus tribus conjunctis momentis, substantiam (patrem) docent sese manifestare in filio, filiumque per spiritum cum patre esse unitum, ita ut una quidem sit omnibus communis substantia (οὐσια),

atque hominem, ille haec tria discernit: **Posse, Velle, Esse**; quorum primum proprie ad deum

---

tres autem personae (ὑποστάσεις), quarum unaquaeque suas habeat proprietates (ἰδιοτητας) et pater quidem ἀγεννησιαν, filius γέννησιαν, spiritus sanctus ἐκπορευσιν s. ἐκπεμψιν. — In persona Christi in concreto (i. e. in secundo isto ideae gradu), sive in notione generis humani item tria distingui debent momenta; primum: divina natura (respondens illi divinae substantiae s. patri in trinitate), alterum: humana natura, per se spectata (respondens patris manifestationi s. λογῳ in trinit.), tertium: utriusque conjunctio in persona θεανθρωπου (respondens spiritui). Primum solummodo momentum variis modis temere arripuerunt Docetae (docentes: λογον aut imaginario corpore, aut certo tantum tempore reali corpore fuissse imbutum), Apollinaristae (doc.: rationalis humanae animae loco in Christo fuisse λογον), Eutychiani vel Monophysitae (quorum opiniones in hac rerum summa conveniebant, unam — μιαν ἐκ δυαιν φυσιν — et divinam quidem naturam, humana deleta, unice in Christo regnasse); primum atque secundum momentum tenuit Nestorius, qui utramque naturam in συναφειᾳ σχετικῃ, oppos. συναφειᾳ φυσικῃ, disjungebat, ita quidem, ut humana natura non vere particeps esset divinae; concilium denique Chalcedonense, et unitate et diversitate servata, tria tenuit ista momenta, ita ut naturae non solum ἀσυγχυτως et ἀτρεπτως (cont. Eutych.), sed etiam ἀδιαιρετως et ἀχωριστως (cont. Nestor.) sint unitae. — Jam quod ad dei gratiam et liberum hominis arbitrium, vel ad mutuam attinet utriusque efficaciam (i. e. tertium illum ideae gradum), iterum tria sunt distinguenda momenta; primum: divina gratia (efficacia) ut necessitas, deinde hominis voluntas (humana forma) ut mobilitas (arbitrium), tertio utriusque identitas, ita ut humana libertas existat, divinâ gratiâ fundata. Qui primum solum tenent momentum, omnium rerum docent necessitatem sive fatum; quam quidem opinionem durissime professus est auctor libri istius famosi, inscripti „Praedestinatus", lenius autem Augustini asseclae vel mediae vel recentioris aetatis theologi, sicuti Thomas Aquinas et Calvinus eam propugnarunt. Primum et secundum momentum, utrumque autem disjunctum, tenuerunt Pelagiani et recentiori tempore Sociniani; nam quum et spirituales facultates et explicatio naturalium hominis virium, quas Pe-

pertinet, qui creaturae suae illud communicat; Velle vero et Esse ad hominem sunt referenda, quia ex

---

lagius a deo homini insitas tradidit, non nisi ipsius substantiae sive divinae gratiae esse possit manifestatio s. explicatio: Pelagius eo ipso, quod divinam gratiam in singulis hominis actionibus operari negavit, dei gratiam (i. e. divinam necessitatem s. efficaciam) et liberum hominis arbitrium (i. e. humanam formam s. mobilitatem) disjunxit atque prorsus segregavit. Tertium denique momentum, quo priora ambo (et dei et hominis efficacia) sunt unita, tenebat Augustinus ejusque sectatores, qui ea certe agebantur vera conscientia, quod dei gratia et hominis arbitrium essent conjungenda, ut vera s. divina libertas posset effici. Quodsi totam gravissimae hujus rei Augustini explicationem ab omnibus circumspicis partibus, plura quidem comprehenduntur, quae perfectae et concretae identitati divinae efficaciae et humanae nondum plane sunt congrua. Videtur enim interdum negligere, dei gratiam (div. necessitatem) hominis libertate (hum. mobilitate) eadem indigere necessaria ratione, qua haec humana libertas illâ indiget divinâ gratiâ. Vera autem difficillimae quaestionis solutio in eo ponitur, quod infinitum (divina gratia s. necessitas) fiat finitum (ingenium naturale vel mobilitas); finitum autem, fine sublato, ad infinitum redeat, h. e. necessitatem, ex arbitraria voluntate et actione revocatam, ad libertatem extollat, ita ut materia necessitas (semetipsâ fundata), forma voluntas (in semetipsa volubilis), utriusque autem unitas vera i. e. a divina gratia effecta et conservata libertas sit. Atque hunc aeternum motum perficit spiritus, cujus ipsius materia a divina parte est necessitas (gratia, qua nihil, nisi quod necessarium est, continetur), forma autem ab humana parte libertas (qua necessitas s. gratia ista in aeternum sese explicat); in quo igitur deus et homo revera sunt uniti. — Ceterum vidimus trium graduum tria momenta sibi invicem respondere; Sabellii opinio necessario cohaeret cum Eutychis (ceterorumque ejusdem disciplinae) errore, nec non cum Praedestinatianorum, ut appellari solent, diri fati commento; nam in hisce tribus opinionum generibus, ratione omnino abstracta, substantia tantum vel divina natura vel necessitas tenetur, individua autem generis humani conscientia deletur, ita ut talis deus omni careat vera explicatione s. manifestatione eoque ipso reali vita. Arii opinio spectat ad Nestorii atque Pelagii errorem; hi enim trium-

arbitrii fonte emanant. Divina gratia, e Pelagii judicio, homini praebet facultatem, qua potest bonum et velle et perficere, lege, doctrina, exemploque Christi simul adjuvantibus; hoc tamen, quod voluntas revera movetur, atque ad effectum perducitur, solius est hominis; alioquin homo non esset liber. Ejusmodi autem deus, qui homini nihil nisi possibilitatem, ut ita dicam, praebet, ipse nihil nisi possibilis est, vera carens in homine realitate; etenim si deus in isto Velle et Esse tantummodo inesse dicitur, quamdiu haec duo sunt possibilia tantum, ipsum το dei Esse a concreta realitate ad inanem reducitur possibilitatem. Pelagius deum ab ho-

---

viri, separato patre a filio, vel divina natura a humana, vel gratia a libertate, ipsam divinam ideam a realitate atque existentia prorsus segregant, ita ut deus, quippe qui otiosus dormitet (seu nihilum istud Neoplatonicum, ὀν dictum, efficiat) vera existentia careat, creatura autem, per se existens, dei teneat locum. Quemadmodum vero divina essentia, nisi realitate consummatur, ens est prorsus inane (deus cogitatione s. imaginatione tantum fictus); ita homo, a divina substantia s. necessitate avulsus, ens est omnino fortuitum (idolum ab omni veritate destitutum). Athanasii denique sententia tendit ad doctrinam Leonis M., simulque Augustini; quam enim unitatem duorum momentorum Athanasius tenuit in mera identitatis idea (in abstracto), eam Leo M. mera in utriusque naturae identitate (in concreto), eandemque Augustinus in dei gratia et hominis libertate atque actione i. e. utriusque efficacia servavit. Sicut enim pater et filius per eandem substantiam est unum, ita tum divina natura cum humana per aeternum θεανθρωπον, tum dei gratia cum hominis libertate per patris et filii spiritum, in quo summum totius explicationis obtinetur fastigium, sunt unita. — Sed subsistamus hic, et accuratiorem linquamus disquisitionem ejus materiae, cujus multa vel brevissime tantum potuimus percensere ac significare, vel etiam quaedam silentio transire. Lineamenta tamen, quae per dogmatum historiam apparent, satis opinemur nos descripsisse.

mine et hunc ab illo separat, ita ut illius gratia et liberum hujus arbitrium continuo inter se pugnent, neque unum altero servetur; nam, quando homo ipsius arbitrio usus, incipit sua sponte cogitare et agere, divina gratia vel dormit, vel rationem habet ad hominem maxime externam, quoniam hic sua ipsius potestate, quodcunque vult, valet agere, atque idcirco quodammodo ipse sibi est deus. Unde patet, e Pelagii doctrina divinam gratiam nihil nisi merum esse somnium, quod hominem experrectum illico deserit. Libertas porro, quam Pelagius profitetur, hominis est potestas agendi et vivendi, utcunque vult; cujusmodi libertas, quam vel scelestissimus habet homo, dissolutum est arbitrium, deique, quippe qui nihil nisi bonum agat, libertati oppositum. Quo vero minus extra verum vel bonum quidquam esse potest verum vel bonum: eo minus extra dei libertatem altera potest esse; alioquin duae debent esse libertates; id quod insanum esse, nemo infitiabitur. Sane libertas quidem ut arbitrium in homine incipit; attamen eadem eo demum completur, quod homo, divina ductus gratia et amore, in deo vivit, ejusque fruitur libertate. Quo fit, ut tum dei gratia, quae in pio proboque homine operatur, revera sit concreta vel realis, tum liberum hominis arbitrium, quum primum in iis, quae ad deum pertinent, est infixum, vera libertas. Pelagius autem, dei gratia atque hominis libertate, una ab altera separata, et ipsius libertatis una tantum parte comprehensa, neque divinam gratiam complectitur concretam, neque humanam libertatem veram; imo potius ex ejus doctrina tam deus, ista impletus possibilitatum (facultatum) plena gratia, extra homines est, quam homines, in hac arbitraria

atque a deo avulsa versantes libertate, sunt extra deum.

Longe alia apud Augustinum rei est ratio, qui, gratia cum libero arbitrio arcte conjuncta, unum servet altero. Id quidem ei possis objicere, quod, Mosaicam de Adami lapsu narrationem proprie, ne dicam anxie, interpretatus, verae de dei gratia et hominis libertate notioni nonnulla adjungat, quae potius leviter poni, quam idoneis argumentis possint confirmari. Videlicet liberum distinguit hominis arbitrium ante Adami lapsum, quod solo deo i. e. ejus veritate ac libertate fuerit fundatum, quamquam peccandi possibilitatem etiam tunc in homine jam inesse oportuerit, quum alioquin actuale peccatum nunquam potuerit committi. Post lapsum vero hominem liberam tantum retinuisse voluntatem, quae, peccato prorsus corrupta, eadem sit ac facultas, qua possimus arbitrario velle. Jam porro Augustinus colligit, hanc hominis arbitrariam voluntatem istam primam libertatem divinam non posse recuperare, nisi per Christum (alterum Adam) s. per dei gratiam; quod quidem ita fieri, ut prius hominis arbitrium nequaquam exstinguatur, sed ut per illam gratiam atque in eadem ad verum demum tollatur liberum arbitrium, quoniam homo tam diu servilem tantum et cupiditatibus devictam habeat voluntatem, quamdiu non in dei versetur gratia, ac sua ipsius arroganti et insolenti voluntate posthabita, divinam fecerit suam. Unde sat apparet, Augustinum, quum tam deum profiteatur in homine vivum, quam hominem, in deo servatum, et divinam gratiam animo comprehendere concretam, et humanam libertatem, veram, itaque utramque, a Pelagio disjunctam, unire. Summatim finem Augu-

stinus rectum consequitur, sed via, qua ad veram de dei gratia et hominis libertate notionem pervenit, nonnunquam lubrica est atque paulo impedita. — Sed progrediamur ad dijudicandam utriusque de baptismo sententiam.

Si, quae Pelagius de hominis recens nati sentit conditione, diligentius perpendamus, facile intelligitur, cur externa tantum ratione baptismum referat ad infantem. Ex ejus enim judicio homo, qualis a natura procreatur, bonus est, neque ulla labe affectus, ita ut, si veram rei rationem exigis, vel dei gratia non indigeat, quippe quae, quodcunque potuit, jam eo ipso fecerit, quod varias ei concessit possibilitates. Haec Pelagii de prima hominis conditione opinio levis est, quum in unoquoque homine a primo vitae momento lateat concupiscentia (peccandi libido), ex qua postea actuale proficiscitur peccatum. Non a parte naturae, sed a parte dei vel non a naturali et carnali, sed a divina et spirituali parte, homo est bonus divinasque habet facultates; quapropter etiam baptisma id maxime respicit, quod homo, quia naturâ ad peccatum sit propensus, nunquam non divina indigeat gratia. Ex Pelagii de hominis libertate notione ea quoque, quae de redemtione, in quam infantes baptizentur, memorat, ab una tantum parte veri speciem possunt prae se ferre; si enim homo per suas ipsius vires libertatem posset accipere (id quod Pelagius opinatur), eo ipso simul redemtus esset, ita ut neque dei gratia, neque Christi redemtione indigeret, itemque baptisma in redemtionem Ch. esset supervacuum. Ex quibus omnibus cognoscitur, Pelagium et inconstanter et ab una tantum parte rem suam esse persecutum.

Augustinus recte quidem baptismi ideam, et ad peccatum originale, quod sit reprimendum, et ad dei gratiam, quae homini sit paranda refert; sed, praeterquam quod peccatum istud originale sive innatam unicuique homini peccandi libidinem nimis materialem et tamquam corpoream sibi fingit, id maxime negligit, quod per baptismum neque redemtio efficitur, neque divina gratia homini paratur; quare superstitiosum et insanum est, opinari, sine baptismo neminem beatitudine in coelesti regno posse frui, a qua quidem monstrosa opinione Pelagius quoque non omnino abhorret. Enimvero, quamquam baptismo pronunciatur, hominem natura quidem ad peccatum proclivem, summae tamen et dei gratiae et Christi redemtionis esse participem, nihilominus neque illud exstirpatur externo hoc ritu, neque hoc efficitur. Ex Augustini autem doctrina, priori ecclesiasticae omnino consentanea, putaris homini, accepto baptismo, dei gratia et propria pii animi contentione non ulterius esse opus, quum eodem baptismo omnem quodammodo salutem coelestem jam sit assecutus. Augustinus igitur non minus ac Pelagius de baptismo superstitiosam et falsam opinionem habebat.

Orthodoxa ecclesia, Pelagii erroribus, duobus conciliis (Carthag. a. 416 et 418. habitis), condemnatis, Augustini tuebatur doctrinam. Reliquum igitur est, ut, quales sequentia per saecula eadem doctrina subierit mutationes, exploremus; quod quidem tertia eademque postrema historiae baptismi parte ita absolvemus, ut primum Scholasticorum, deinde Anabaptistarum vel Antipaedobaptistarum de baptismo opiniones attingamus, et post-

remo symbolicorum librorum doctrinam proponamus.

III. HISTORIA BAPTISMI POST AUGUSTINI TEMPORA.

§. 27.

Singulorum, qui medio aevo vixerunt, ecclesiae doctorum de sacra immersione opiniones enumerare, longum sit, neque opus nobis videtur esse, quum omnes in iis uno fere ore consenserint, quae, controversia Pelagiana finita, per ecclesiam de baptismi necessitate atque effectu erant statuta. Ad administrationem vero baptismi quod pertinet, e communi plerarumque ecclesiarum praecepto illis temporibus permultae in eadem debebant exerceri ceremoniae, et jam prius solitae, et novae, quales sunt: exorcismus, cum afflatu quodam junctus, abrenunciationes et professiones, carminibus (litaniis) antea cantitatis, deinde mos, frontem catechumeni, adhibito crucis signo, ungendi, itemque ei salis paululum (sacramentum Christi salis) praebendi, nares auresque tangendi (addita voce: Ephata), simulque oculos luto illinendi, tum consecratio aquae baptismalis, per preces facta; tum administrato baptismo totum hominis baptizati corpus chrismate inungebatur, ac, manibus ei impositis, albis induebatur vestibus, ardentem facem per aliquod tempus manibus tenens, adjuncta nonnunquam denique ceremonia pedes lavandi [92]).

---

92) Uberius et fusius ceremoniae, quae baptismatis administrationi saeculo octavo erant junctae, describuntur libro quo-

Praeterea solemnia quibus baptisma celebrabatur, tempora e veteri consuetudine erant Pascha et

---

dam inscripto; Ordo Romanus de officiis divinis per totius anni circulum (in Max. biblioth. patt. tom. XIII. p. 690 sqq. edit. Lugdun.): Postquam ibidem de exorcismo, de abrenunciationibus, de litaniis cantitari solitis, de crucis signaculo aliisque ritibus, baptismum antecedentibus, copiose disputatum est, sequuntur (p. 696 et 697.) haec: „Sacerdos dicit" (scl. in consecratione aquae bapt.) „celsa voce: Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus tui, totamque hujus aquae substantiam regenerandi foecundet effectu. — Hic omnium peccatorum maculae deleantur, hic natura ad imaginem tuam condita, et ad honorem sui reformata principii, cunctis vetustatis squaloribus emundetur, ut omnis homo hoc sacramentum regenerationis ingressus, in verae innocentiae novam infantiam renascatur. — His omnibus expletis in praesentia cleri subdiaconus sumens vas aureum, unde mittitur chrisma in fontem, et effundens in id de ampullis utrisque, id est, de oleo sancto atque de chrismate donat diacono, et ille Pontifici. Pontifex vero fundit chrisma de vasculo aureo intra fontem super ipsam aquam in modum crucis, dicens lenta voce: Sanctificetur et foecundetur fons iste renascentibus ex eo in vitam aeternam. Et cum vase aureo miscitat ipsum chrisma cum aqua, et spargit cum manu sua per omnem fontem, vel super omnem populum circumstantem. Hoc facto omnis populus, qui voluerit, accipiat benedictionem, unusquisque in vase suo de ipsa aqua, antequam ibi baptizantur parvuli. — Deinde Pontifex baptizet unum aut duos, vel quantum ei placuerit de ipsis infantibus, et tenente eo infantem, a quo suscipiendus est, interrogat Pontifex ita: Quis vocaris? Respondet ille. Item interrogat P.: Credis in deum omnipotentem? etc. — Vis baptizari? Resp. Volo. Tunc accipit eum et dicit: Et ego baptizo te in nomen patris etc. Deinde presbyteri aut diaconi, etiam si necesse fuerit et acolyti induentes se vestibus mundis vel candidis ingrediuntur in fontem intro in aquam, et baptizantur primo masculi, deinde foeminae, sub hac interrogatione: Quis vocaris? etc. Ut autem surrexerint a fonte, illi qui eos suscipiunt, levantes ipsos infantes in manibus suis, offerunt eos uni presbytero. Ipse vero presbyter facit de chrismate crucem cum pollice in vertice eorum, ita dicendo: Deus omnipotens etc. Pontifex ergo egreditur a fonte in sacrarium habens ibi compositam sedem, vel in ecclesia, ubi volue-

Pentecoste, quin etiam pluribus conciliis praescriptum est, ne ullo alio tempore, nisi necessitas urgeret, quisquam baptizaretur [93]). Ab ista tamen consuetudine, immergendi ritum ter repetendi, nonnullae ecclesiae mox recedebant; etenim jam **Gregorius M.** semel immergendi morem approbat, inprimis ea de causa, ut unusquisque contra **Arianorum** opiniones ejus rei sit memor, quod in **tribus** divinis personis sit **una** substantia; quam sententiam non ita multo post etiam concilium **Toletanum** (a. 633 hab.) secutum est [94]). Majoris autem momenti ipse

---

rit, et sedeat in ea, ut, cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos. Et deportantur ipsi infantes ante eum, et dat singulis stolam candidam, et chrisma et decem siliquas, dicens: Accipe vestem candidam et immaculatam, quam perferas ante tribunal domini nostri J. Ch. in vitam aeternam. Pax tibi. Et sic vestiuntur. Induti vero ordinantur per ordinem, sicut scripti sunt, in circuitu, et infantes quidem in brachiis dextris tenentur, majores vero pedem ponunt super pedem patrini sui. Interim schola jussa facit litaniam etc." — Ceremonias, in ecclesiis orientalibus usu receptas, recenset Hildebrand. lib.: Rituale baptismi veteris p. 72. Praecipue vero Alcuini epistola ad Carolum M. (ap. Canisium in thesaur. Monument. tom. II. p. 543 sqq.) baptismi administrandi rationem, quam tunc temporis sequebantur, certo nos edocet; ex qua plura legis citata in Starck. lib. sup. laud. p. 103.

93) Bingham (l. c. p. 246.) plura enumerat concilia, quae certum baptismatis celebrandi tempus praescribunt Pascha, Pentecosten, vel etiam Epiphanian; ipsum concilium Wormatiae hab. a. 868. idem praescriptum can. 1. repetiit.

94) Gregorius M. Leandro, episcopo Hispalensi, qui, de hac re, quid ipsi videretur, rogaverat, respondet ita: „De trina mersione baptismatis, nil responderi verius potest, quam quod ipsi sensistis: quod in una fide nihil afficit sanctae ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem, quod tertio mergimus, triduanae sepulturae sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summae trinitatis veneratione aestimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis

erat **immergendi** ritus, qui multa per saecula obtinebat, et, quamquam jam priori tempore, si res postulabat, immersionis loco saepissime adspersio vel adfusio erat solita, nihilominus tamen, saeculi noni initio, concilio in **Anglia** interdictum est, ne aqua sancta super capita infantium effunderetur, sed mergerentur isti in lavacro [95]). Neque minus

---

mergere, quia, dum in tribus personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel immergere, quando et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc huc usque ab haereticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum, quod vos esse non censeo: ne, dum mersiones enumerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur" (lib. I. epist. XLI. ad Leand.). Concil. Toletan. IV. can. 5. hoc comprobat: „Quapropter, quia de utroque sacramento, quod fit in sancto baptismo, a tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta dei ecclesia habeatur, propter vitandum autem schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertio mergunt, haereticorum probare adsertionem, dum sequuntur et morem. Et ne forte cuiquam sit dubium hujus simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem et resurrectionem Christi significari, nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est, et rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo unitatem divinitatis, et trinitatem personarum ostendi: unitatem, dum semel immergimus, trinitatem, dum nomine patris, et filii et spiritus sancti baptizamus."

95) Jam Gennadius Massil. de eccll. dogmatt. cap. LXXIV. ostensurus, quomodo martyrium omnia, quae baptismo efficiantur, contineat, adspersionem videtur probare „baptizandus" inquiens „confitetur fidem suam coram sacerdote, et interrogatus respondet; hoc et martyr coram persequutore facit, qui et confitetur fidem suam, et interrogatus respondet. Ille post confessionem vel adspergitur aqua vel intingitur, et hic vel adspergitur sanguine, vel contingitur igne." Synodus autem Calchyth. a. 816. hab. can. IX. hoc praescribit: „Sciant enim etiam presbyteri, quando sacrum baptismum ministrant, ut non effundant aquam sanctam super capita infantium, sed semper mer-

Scholasticorum aetate homines baptizandi vulgo immergebantur, ita ut inviti ab hoc more recederent, usque dum concilio **Ravennae** a. 1311 hab. statueretur, nihil interesse, utrum trina **immersione**, an **adspersione** baptisma perageretur; itaque circiter hoc tempus immersionis loco adspersio in communem venit consuetudinem [96]).

Notio baptismi, per plura saecula e veteris ecclesiae doctrinâ statuta, **Scholasticorum** demum theologorum novis et subtilioribus amplificata est definitionibus. Et pleraeque quidem manebant superstitiosae et defixae de magicis baptismi viribus opiniones, attamen omne studium in eo nunc ponebatur, ut causis rationibusque, quaecunque ecclesia orthodoxa tradiderat, confirmarentur. Qua in re quomodo sint versati, intelligemus, si nonnullorum proposuerimus sententias.

Rhabanus Maurus, exposita sacramentorum notione, sub rebus visibilibus divinam latere virtutem existimat, quae salutem operetur; quapropter baptismate, ex ejus sententia, homo, deformatus pec-

---

gantur in lavacro, sicut exemplum praebuit per semetipsum dei filius omni credenti, quando esset ter mersus in undis Jordani."

96) **Thomas Aquinas** (Sum. part. III. quaest. 66. art. VII.), quamvis immersionem adspersioni proponat, hanc tamen non improbat: „Non modo" ait „per immersionem, verum etiam per adspersionem vel effusionem aquae baptismus dari potest: tutius tamen est, quia hoc habet communior usus, per modum immersionis baptizare" et paulo post: „In immersione expressius significatur figura sepulturae Christi, et ideo hic modus baptizandi est communior et laudabilior." Quattuor insuper affert causas, cur baptisma etiam per adspersionem possit administrari, nimirum ob magnam baptizandorum multitudinem, ob inopiam aquae, ob languorem baptizantis, nec non ob hominis baptizandi morbum. — Latius hunc de immersione et adspersione locum percenset **Wallus** l. c. part. alt. p. 462—499.

cato, in melius permutatur, et novis ornatur virtutibus, quoniam invocato deo spiritus s. de coelo descendat, et medicatas aquas sanctificet de semetipso, ut, accepta purgationis vi, et carnem et animam, delictis inquinatam, possint mundare [97]). Haec Rabani M. sententia ad veterem de aquae baptismalis consecratione, simulque ei communicata vi magica proxime accedit; id quod in aliis quoque pluribus Scholasticis cernitur. Uberius autem et accuratius baptismi vel omnino sacramenti natura a Petro Lombardo explanatur, quo quidem auctore, sacramentum proprie dicitur, quod ita signum est gratiae dei, et gratiae invisibilis visibilis forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat. Inter septem, quae enumerat, sacramenta, alia censet

---

97) Rab. M. de cleric. institut. lib. I. cap. 24.: „Sicut autem sacramenta baptismum et chrisma, corpus et sanguis, quae ob id sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur, unde a secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur" — tum ejusdem lib. cap. 25. de baptismo ita disputat: „Baptismum, βαπτισμα gr., latine tinctio interpretatur, quae non tamen ob hoc, quod homo in aquam mergitur, tinctio dicitur, sed quia spiritu gratiae ibi in melius immutatur, et longe aliud, quam erat, efficitur. Primum homines foedi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione pulchri dealbatione virtutum efficiuntur. Quod autem per aquam baptismum datur, haec ratio est. Voluit enim dominus, ut res illa invisibilis per congruentiam, sed profecto incontrectabile et invisibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus s. Nam sicut oleum naturali pondere superfertur omni liquore, ita in principio ferebatur Spiritus s. aquis. Sicut aqua purgat exterius corpus, ita latenter ejus mysterio per Spiritum s. purificatur et animus, cujus sanctificatio ibi est. Invocato enim deo descendit Spiritus s. de coelis, et medicatis aquis, sanctificat eas de semetipso, et accipiunt vim purgationis, ut in eis caro et anima delictis inquinata mundetur."

remedium praebere contra peccatum et gratiam conferre adjutricem, ut baptisma, alia in remedium tantum esse, ut conjugium, alia homines fulcire gratia et virtute, ut eucharistiam et ordinem. Baptismi autem sacramentum, ex ejus judicio, in duobus illis cernitur, scilicet in verbo et elemento, ita ut ablutio corporis sit exterior, facta sub formâ verborum praescriptâ; atque effectus hujus sacramenti eo maxime continetur, quod et peccata aboleantur, et gratia conferatur adjutrix, ac virtutes augeantur [98]. — Inter definitiones subtiliores, quae

98) Pet. Lomb. Sentcntt. lib. IV. dist. 1 sqq. Sacramentum proprie dicitur, quod ita signum est gratiae dei, et invisibilis gratiae visibilis forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat. — Sacramenta novae legis sunt baptismus, confirmatio, panis benedictio i. e. eucharistia, poenitentia, unctio extrema, ordo, conjugium. Quorum alia remedium contra peccatum praebent, et gratiam adjutricem conferunt, ut baptismus; alia in remedium tantum sunt, ut conjugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut eucharistia et ordo. — Duo autem sunt, in quibus sacramentum consistit, videlicet verba et res. Verba, ut invocatio trinitatis, res ut aqua, oleum et hujusmodi. — Quare in baptismum mutata est circumcisio? Ideo autem mutata est circumcisio per baptismum, quia sacramentum baptismi communius est et perfectius, quia pleniori gratia accumulatum. Ibi enim peccata solum demittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adjutrix, nec virtutum possessio vel augmentum ibi praestabatur, ut in baptismo, ubi non tantummodo abolentur peccata, sed etiam gratia adjutrix confertur, et virtutes augentur. Unde aqua refectionis dicitur, quia aridos foecundat, etiam fructificantes ampliori ubertate donat. Quia quantumcunque per fidem et charitatem ante habitam aliquis justus ad baptismum accedit, uberiorem ibi recipit gratiam" — dist. 3. „Post hoc videndum est, quid sit baptismus. Baptismus dicitur intinctio i. e. ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum praescripta. Si enim ablutio fiat sine verbo, non est ibi sacramentum, sed accedente verbo ad elementum, fit sacramentum. — In duobus consistit sacramentum baptismi scilicet in verbo et elemento."

mox de baptismi vi et potestate subjunguntur, inprimis quae est de charactere indelebili, qui baptismo homini imprimatur, sit notanda. Veri aliquid iis inesse, quae Scholastici de hoc indelebili baptismi charactere senserunt, negari quidem non potest; nam id ipsum, quod sacra immersione pronuntiatur (s. quo baptismi idea continetur), valet firmumque est per totam hominis-baptizati vitam subsequentem, quare, quum baptisma non nisi unum sit, ejusque sententia tamquam indelebilis, idem nequaquam potest iterari. Sed Scholastici eo rem omnino depravant, quod nunquam non magicum baptismo inculcant effectum, quo hic character efficiatur indelebilis, in salutari positus vi. Omnium primus de illo charactere, in sacra immersione impresso, disputat Innocentius III., quem Alexander Ales., Bonaventura alii sequuntur [99]). Praeter ceteros autem sine dubio Thomas Aquinas ad baptismi notionem subtiliter exponendam plurimum contulit. Is videlicet tria discernit, sacramentum (i. e. signum rei sacrae, a sanctitate denominatum), rem, characterem indelebilem. Sacramentum est applicatio aquae, seu ablutio; res autem interna justificatio; utrumque conjungitur charactere baptismali, qui tum res est, significata

---

99) Innocent. Decret. lib. III. tit. 42. cap. 3. Alex. Ales. tribus sacramentis scl. baptismo, confirmatione et ordine characterem imprimi putat Sent. lib. IV. qu. 8. memb. 8. Bonaventura de illo disserit in Sent. lib. IV. dist. 6. p. 1. Itidem Concil. Trident. Sess. VII. can 9. de charactere isto hunc agit in modum: „Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima h. e. signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit."

per exteriorem ablutionem, tum signum sacramentale interioris justificationis. Accuratius characterem illum ita explanat, ut spiritualem putet esse potestatem, quae importet quandam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea, quae sint divini cultus; cui addit, aliter esse in anima gratiam, atque characterem, quoniam illa animae insit mutabiliter, character autem indelebiliter. Deum Thomas habet principalem gratiae causam, baptismum vero instrumentalem, ita ut in sacramento inesse quandam virtutem instrumentalem opinetur ad inducendum sacramentalem effectum, quo, peccatis remissis, gratia aliaeque virtutes conferantur [100]). Non idem de sacramenti efficientia sentit

---

100) Thom. Aquin. Summ. theol. p. III. qu. 63. art. 1 sqq.: „Sanctitas, a qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causae efficientis, sed magis per modum causae formalis vel finalis, et ideo non oportet, quod sacramentum semper importet causalitatem. — Fideles Christi ad praemium quidem futurae gloriae deputantur signaculo praedestinationis divinae. Sed ad actus convenientes praesenti ecclesiae deputantur quodam spirituali signaculo eis insignito, qui character nuncupatur. — Character sacramentalis est quaedam participatio sacerdotii Christi in fidelibus ejus, ut scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum, quae pertinent ad divinum cultum. — Cum enim sacramenta novae legis sanctificationem quandam operentur, ibi perficitur sacramentum, ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quaedam sanctificationis virtus instrumentalis non permanens, sed fluens in hominem, qui est verae sanctificationis subjectum. — Res autem et sacramentum est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem, et est signum sacramentale interioris justificationis, quae est res tantum hujus sacramenti scilicet significata et non significans.“ — De ratione, qua gratia et character in anima est, ita loquitur l. c. art. 5.: „aliter est in anima gratia, et aliter character. Nam gratia est in

Duns Scotus, qui oppugnata virtute ista spirituali s. instrumentali, omnem sacramenti vim refert solum ad deum, quo adjuvante, sacramentum effectum habeat suum, et gratia in anima conficiatur. Etsi Duns Scotus libere profitetur, characterem illum indelebilem neque ratione naturali, neque iis, quae in scriptura contineantur, posse probari, nihilominus ob ipsius ecclesiae auctoritatem ponendum esse arbitratur, characterem sacramento in anima revera imprimi. Praecipue autem Scoti doctrina insignis est eo, quod primus de opere operato verba facit, opinatus, sacramentum ex virtute operis operati conferre gratiam, neque requiri ibi bonum motum interiorem, qui mereatur gratiam, sed sufficere, quod suscipiens sacramentum non ponat obicem [101]). Quo placito exteriora, vera

---

anima sicut quaedam forma habens esse completum in ea, character autem est in anima sicut quaedam virtus instrumentalis. — Gratia inest animae mutabiliter, character indelebiter" — artic. anteced., postquam deum principalem esse gratiae causam dixit, pergit: „Sed ponendo, quod sacramentum est instrumentalis causa gratiae, necesse est simul ponere, quod in sacramento sit quaedam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum."

101) Duns Scot. Quaest. ad Sent. lib. IV. dist. 1. qu. 5.: „Susceptio sacramenti est dispositio necessitans ad effectum signatum per sacramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam, per quam necessario causaret terminum, vel aliquam dispositionem praeviam, sed tantum per assistentiam dei causantis illum effectum." — Dist. 6. qu. 9. de charactere haec profert: „Licet, characterem inesse animae non possit probari per rationem naturalem, — licet etiam ex creditis manifeste, sive quae sunt explicite de substantia fidei, sive quae continentur in scriptura, sive quae manifeste per sanctos sunt elicita ex creditis, non possit probari, tamen poni potest etc. Sentiendum est de sacramentis ecclesiae, sicut sentit Romana ecclesia; Romana autem ecclesia videtur sentire, characterem imprimi in anima

sacramenti notione prorsus depravata, ad fastigium pervenerunt. — Sed nihil attinet, nos plura hîc proferre; ea solum restat quaestio, quid Scholastici de infantium sorte, sine baptismo mortuorum, senserint. Graviorem Augustini ea de re sententiam, quae plura quidem per saecula vigebat, circiter annum millesimum lenire coeperunt. Incerte loquitur Anselmus, qui, „etsi infantium peccatum Adami peccato sit minus, nullum tamen censet sine ulla universali satisfactione, qua magnum dimittatur et parvum peccatum, posse salvari“ [102]). Petrus Lombardus, discrimine inter poenam damni (i. e. poenam peccati originalis) et poenam sensus (seu

---

in baptismo, sicut dicit Innocentius III., propter ergo solam auctoritatem ecclesiae, quantum occurrit ad praesens, est ponendum, characterem imprimi.“ — Dist. 1. qu. 6. de opere operato in hunc loquitur modum: „Sacramentum ex virtute operis operati confert gratiam, ita, quod non requiritur ibi bonus motus interior, qui mereatur gratiam, sed sufficit, quod suscipiens non ponat obicem.“ Hoc deliramentum de opere operato superstitiosum, arx potest dici, qua catholica de baptismo doctrina maxime reclamat evangelicae, quae, ut postea videbimus, sacramenti effectum non ex re quadam externa, sed ex hominis baptizandi fide deducit. Scoti opinione probata Concil. Trident. Sess. VII. can. 6. praescribit: „Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre — anathema sit“; cf. can. 7. et can. 8., ubi legitur: „Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit“ (cf. can. 2. et Sess. VI. can. 7.).

102) Vid. Anselmi lib. de concept. virg. et pecc. orig. cap. XXII sqq. — „quamvis non omnes pariter in inferno torqueri merentur. Nam post diem judicii nullus erit angulus, aut homo, nisi aut in regno dei, aut in inferno. Ita igitur et peccatum infantium minus est, quam peccatum Adae, et nullus tamen sine ulla universali satisfactione salvatur, per quam magnum et parvum dimittitur peccatum.“

peccati actualis) facto, infantes existimat propter illud originale peccatum nullam aliam esse subituros poenam, nisi quod dei visione careant in perpetuum[103]. Mox iterum ad opinionem lapsi sunt istam, quae tertium quendam esse inferni locum (limbum s. infernum puerorum vocatum) statuit, ubi infantes, sine baptismo mortui, coeli quidem essent expertes, neque tamen ulla condemnationis sustinerent supplicia, quippe quae ob peccata commissa actualia non nisi impiis peccatoribus essent perferenda. Sic Alexander Ales. homines putat ignis poena dupliciter teneri, vel ratione ardoris, vel ratione tenebrositatis; ratione autem ardoris esse in illo igne, qui actualiter peccaverint, ratione contra tenebrositatis, qui dei visione careant; quo referas infantes non baptizatos[104]. — Haec, credo, suffecerint, ut quae de baptismo senserint Scholastici, possit perspici; nam praetermissis quibusdam altercationibus, qualis fuit, quae de communicatione gratiae per baptismum, vel in actu, vel in habitu gesta est, nihil relinquitur, nisi ut pauca addamus de ratione, quam, quae nunc proposuimus, ad totam Scholasticorum theologiam habeant.

---

103) Petr. Lomb. Sent. lib. II. dist. 33.: „infantes“ inquit „pro eo (peccato originali) nullam aliam ignis materialis vel conscientiae vermis poenam sensuri, nisi quod dei visione carebunt in perpetuum.“ Neque minus Innocent III. Decret. lib. III. tit. 42. poenam originalis peccati esse carentiam visionis dei censet.

104) Alex. Ales. Summ. part. II. quaest. 122. memb. 10.: „Esse in illo igne ad poenam contingit dupliciter, vel ratione ardoris, vel ratione tenebrositatis. Ratione ardoris dicuntur esse illi, qui actualiter peccant, ratione tenebrositatis, qui carent visione dei etc.“ Cf. Walli l. c. part. alt. p. 249 sqq.

Scholasticorum aetas eo quam maxime floret, quod cogitationum sententiarumque varietate redundat. Jam inde a saeculo sexto usque ad nonum, vigentibus cujusvis generis rebus externis, omnis scientia, omnis rerum christianarum explicatio spiritualis haerebat, ita ut plerique omnes illius temporis scriptores aut in levibus se jactarent rebus, aut proprii laboris loco, trepidante gressu, non nisi ea persequerentur, quae prioribus saeculis ab ecclesiae christianae luminibus erant profecta; quocirca lucem illam, qua quartum et quintum saeculum splendebat luculentissime, obtectam et in maximis tenebris involutam videmus saeculis proximis. At Scholastici, suo ipsorum usi animo arbitrioque, spiritualia iterum proferunt, et cogitationibus, quaecunque ad religionem pertinent christianam, student pertractare et perscrutari. Recte enim intelligebant, theologiam, sicut notio ejus postulat, cognitionem esse christianae veritatis, ideoque quamlibet Christi doctrinam ad spiritualem necessario tendere explicationem. Id ipsum vero, quod Scholastici cogitandi ratione religionem christianam percensebant, a multis magno iis crimini saepe datur, eaque quidem de causa, tum quod christiana fides minime rationem vel spiritum, sed pios tantum sensus respiciat, tum quod multae praecipue doctrinae non nisi sint practicae, quas dicunt, ab omnibus maxime alienae cogitationibus subtilibus (vel speculativis). Cujusmodi causae inanem faciunt verborum strepitum. Numne christiana fides extra cogitationem cadit, i. e. insani vel absurdi aliquid est? numne fidelis homo fidei causa ratione vel sanitate potest vacare? numne practicis istis doctrinis (inter quas eae imprimis, quae agunt de sacramentis, referuntur) nulla subjecta est sententia spiritualis?

Fides, non nisi sensu fundata omnibusque vacua cogitationibus non spiritualis, sed carnalis et insana, ne dicam belluina est; nam cogitando demum humani sensus longe sunt alii, ac bestiarum. Deinde quid tandem aliud est doctrina aliqua practica, vel institutum practicum, scientia et notione carens, nisi inveteratus error vel prava consuetudo penitus defixa, et insipienter conservata! Quod quidem minime sane potest in Christi doctrinam cadere, cujus intima vis et natura ipse est spiritus seu divina idea, per quam demum tum fides fit vera, tum sensus vere pii. Quod vero cujusvis christianae doctrinae fundamentum est spiritus et veritas, id non potest ostendi, nisi ipsa ratione et explicatione spirituali, nam nisi necessaria argumentatione atque expositione opus esset, quaevis falsa vel judaica vel ethnica opinio aeque vera posset haberi, ac christiana doctrina. Quare, ut verbo rem absolvamus, id nequaquam esse potest erratum, quod homo, ut vera fruatur libertate, fidem cognoscere et divinam veritatem studeat intellectu comprehendere, siquidem ad hoc ipsum tum efficiendum tum perficiendum dei spiritus in homine inest; at illud est falsum, quod homo ratione arbitraria et dissoluta de rebus divinis meditari verumque velit percipere. Nec temere sane id Scholasticis vitio est vertendum, quod non libere (serviliter) et nimis subtiliter (abstracte, ut dicitur) christianas doctrinas persecuti sunt cogitando; unde multa prodierunt commenta inania. Nec magis enim potest fieri, ut deus, si scilicet a mundo longe alienus ideoque humanae rationi non vere praesens putatur, cognoscatur, quam ut variae istae res futiles, quibus Scholasticorum tempore Christi doctrina erat in-

quinata, sana ratione explicentur et confirmentur. Utrumque vero quum Scholastici omni conamine arripiant, tam forma, qua illorum cogitationes sunt indutae, saepissime est arbitraria et singulis rebus praesentibus parum conveniens, quam materia harum cogitationum crebro caret veritate. Quod probatum videmus et in aliis multis doctrinis, a Scholasticis pertractatis, et in iis quae sunt de sacramentis, in quibus scilicet novis istis abstrusis, neque ad intelligendum apertis argumentis et interpretationibus, sententia ista inveterata, a vero aliena eademque superstitiosa, vel firmius est stabilita. Jam vero, si animo reputamus, necessitatem ita postulare, ut quodvis, falso refertum, placitum vel institutum, priusquam verum possit obtineri, impugnandum sit: mirum nobis esse non potest, quod mox in ecclesia iterum exstiterunt sectae, quae, modum in contrarias partes excedentes, tum aliis multis, tum catholicis de baptismo opinionibus sese opposuerunt. Anabaptistas vel Antipaedobaptistas istos, qui medio aevo reperiuntur, dicimus; quorum de baptismi sacramento opiniones jam attingemus.

§. 28.

Omnes fere medii aevi sectae, etsi in multis inter se ipsos discrepant, in eo tamen consentiunt, quod, pontificis max. auctoritate et potestate detrectata, ecclesiae Romanae instituta pleraque omnia respuunt; quare non solum quosvis ritus usitatos vel ceremonias, sed etiam imaginum rejiciebant cultum, sanctorum invocationes, missas aliasque id genus innumeras corruptelas, quae tunc temporis per ecclesiam serpentes, ad cultum dei externum referebantur. Omni igitur sacrorum usu externo repu-

diato, plerarumque istarum sectarum studium religionis in eo maxime erat infixum, ut solam ad internam spiritualem vel mysticam pietatem probitatemque, mentem suam applicarent. Cujusmodi sectae inde a saeculo decimo tot in ecclesia inveniuntur, ut omnes singulares enumerare, unamque ab altera, distingere sit perdifficile; at, quoad poterimus, memoria inprimis dignas, denotabimus [105]).

Perveteres isti haeretici, qui jam primis saeculis ecclesiae fuerant graves, medio aevo subito resurgunt, novaque vi incitati catholicae ecclesiae resistunt; etenim undecimi saeculi initio multi per Aquitaniam dispersi erant homines, qui Manichaeorum placita secuti, communi de sacramentis opinione rejecta, neque baptismo effici peccatorum ablutionem, neque sacerdotis consecratione arbitrabantur sacramentum corporis et sanguinis Christi posse fieri [106]). Ac non ita multo post ejusdem

---

105) Non pauca, lectu digna, de medii aevi sectis reperiuntur apud Starck. lib. inscripto: „Geschichte der Taufe und Taufgesinnten", Lps. 1789. p. 105 sqq.; et ap. Wall. l. c. part. alt. p. 283 sqq. Praeterea evolvas: Fueslin. lib. inscr.: „Kirchen- und Ketzerhistorie der mittlern Zeit", part. I. p. 31 sqq.; et Walch. lib. inscr.: „Geschichte der Ketzereien" part. I. p. 750 sqq.; deinde Moshemii lib. insc.: „Kirchengeschichte", tom. IV. p. 580 sqq.; et Gieseler l. c. part. II. sect. pr. p. 325. et sect. tert. p. 478 sqq.

106) Gesta Synodi Aurelianensis an. 1017 (in Luc. d'Achery Specilegii tom. 1. p. 604 sqq. ap. Mansi t. XIX. p. 376 sqq.) certiores nos faciunt, istos Manichaeos docuisse: „Christum de virgine Maria non esse natum, neque pro hominibus passum, nec vere in sepulcro positum, nec a mortuis resurrexisse, — in baptismo nullam esse scelerum ablutionem, neque sacramentum corporis et sanguinis Christi in consecratione sacerdotis. Sanctos martyres atque confessores implorare, pro nihilo ducebant."

generis haeretici erant, qui in concilio quodam Attrebatensi (an. 1025 hab.) ab episcopo rogati, quaenam esset eorum fides et vivendi ratio, respondebant: evangelicis se mandatis et apostolicis instructos, scripturam sequi verbo et opere, ac vitam agere piam probamque, sacramenta autem non magni aestimare; baptismum enim nullius esse fructus, in eoque nullum latere sacramentum tribus de causis, et primum quidem, quia vita reproba ministrorum, qui sacramenti consecrationem perficere dicerentur, baptizandis nullum posset praebere salutis remedium; deinde, quia, quidquid vitiorum in baptismo renunciaretur, postea in vita repeteretur; tertio denique, quia ad parvulum, voluntate carentem, fidei nescium, suaeque salutis ignarum, in quo nulla posset inesse fidei confessio, aliena voluntas, aliena fides, aliena confessio nequaquam pertineret [107]). Similes haereticae opiniones, cor-

107) Vid. Acta Syn. Attrebatensis an. 1025 (in Luc. d'Achery Specil. tom. I. p. 607 sqq. ap. Mansi t. XIX. p. 423 sqq.), ubi haeretici episcopo interroganti de baptismo haec respondent: „Lex et disciplina nostra, quam a magistro accepimus, nec evangelicis decretis, nec apostolicis sanctionibus contraire videbitur, si quis eam diligenter velit intueri. Haec namque hujusmodi est, mundum relinquere, carnem a concupiscentiis fraenare, de laboribus manuum suarum victum parare, nulli laesionem quaerere, charitatem cunctis, quos zelus hujus nostri propositi teneat, exhibere. Servata igitur hac justitia, nullum opus esse baptismi; praevaricata ista, baptismum ad nullam proficere salutem. Haec est nostrae justificationis summa, ad quam nihil est, quod baptismi usus superaddere possit, cum omnis apostolica et evangelica institutio hujusmodi fine claudatur. Si quis autem in baptismate aliquod dicat latere sacramentum, hoc tribus ex causis evacuatur. Una, quia vita reproba ministrorum baptizandis nullum potest praebere salutis remedium. Altera,

ruptis ecclesiae **Romanae** doctrinis vel ejus cultui superstitioso oppositae, mox etiam per alios in **Gallia** vicinisque regionibus videntur esse sparsae; nam vel eodem saeculo ibidem fuisse dicuntur, qui tum in sacramento eucharistiae corpus domini (hostiam) non tam verum esse corpus docerent, quam umbram et figuram corporis domini, tum parvulorum baptismum studerent evertere [108]).

Imprimis autem duodecimum saeculum multis redundat sectis, quae quidem omnes contra arbitraria ecclesiae **Romanae** firmiter nitebantur praecepta. Ad quas referendi sunt imprimis **Petrobrusiani** (quorum auctor **Petrus Bruisius** erat, in **Gallia australi** natus), et **Henriciani** (ab **Henrico** quodam, **Petri B.** discipulo, vocati), qui utrique, a **Manichaeorum** erroribus abhorrentes, christianae religionis finem vitâ contemplativâ et asceticâ perfici opinabantur. Quare plerisque, quae ad cultum pertinent externum, rebus reprobatis, neque

---

quia quidquid vitiorum in fonte renunciatur, postmodum in vita repetitur. Tertia, quia ad parvulum non volentem neque currentem, fidei nescium, suaeque salutis atque utilitatis ignarum, in quo nulla regenerationis petitio, nulla fidei potest inesse confessio, aliena voluntas, aliena fides, aliena confessio nequaquam pertinere videtur."

108) In epist. quadam circ. ann. 1050. a **Durando** (sec. alios **Deoduino**) episcopo **Leodiensi** scripta (vid. Biblioth. patt. tom. III. p. 319. edit. Paris. 1624.) ipse **Berengarius Turon.** infantium baptismum fertur rejecisse; ibidem enim inter alia legitur hoc: „Fama supremos Galliae fines praetergressa totam Germaniam pervasit, jamque omnium nostrum replevit aures, qualiter Bruno Andegavensis episcopus, item Berengarius Turonensis, antiquas haereses modernis temporibus introducendo, adstruant, corpus domini non tam corpus esse, quam umbram et figuram domini; legitima conjugia destruant, et, quantum in ipsis est, baptismum parvulorum evertant."

sacrae coenae sacramentum amplius esse administrandum, neque infantes docebant, intelligibili adhuc carentes aetate, baptismate posse salvari, quoniam, ex ipsius salvatoris effato, fide demum baptismo juncta homo praestetur salvus [109]).

Manichaeorum sese adjungunt omnibus fere opinionibus institutisque Cathari (vel Patareni quoque, s. Paterini, vel Puritani, vel Publicani dicti), qui itidem saeculo duodecimo primum ad Coloniam degebant, atque istinc mox per alias regiones evagabantur. Qui inter hos haereticos recipiebantur, primum aliquantum per tempus erant auditores, deinde credentes, qui orationibus jam intererant, et postremo electi, utpote qui alios

---

109) Vid. Petri Venerab. Abb. Cluniac. epist. ad Arelatensem, Ebredunensem Archiep. Diensem, Wapicensem Episcopos adv. Petrobrusianos haerett. (in Biblioth. patt. max. tom. XXII. p. 1033 sqq.), ubi in praefatione omnes eorum enumerantur errores, quorum primus hic est: „Primum haereticorum capitulum negat, parvulos infra intelligibilem aetatem constitutos Christi baptismate posse salvari, nec alienam fidem posse illis prodesse, qui sua uti non possunt, — Domino dicente: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit etc." — tum p. 1036. ex isto Christi dicto haeretici colligunt haec: „Ex his Domini verbis aperte monstratur, nullum nisi crediderit et baptizatus fuerit, hoc est, nisi christianam fidem habuerit, et baptismum perceperit, posse salvari. Nam non alterum horum, sed utrumque pariter salvat. Unde infantes, licet a vobis baptizentur, quia tamen credere, obstante aetate, non possunt, nequaquam salvantur. Otiosum igitur et vanum est, quando eo tempore homines aqua perfunditis, quo carnem quidem eorum a sordibus humano pro more abluere, sed animam a peccatis minime mundare potestis. Nos vero tempus congruum fidei exspectamus, et hominem, postquam deum suum agnoscere, et in eum credere paratus est, non, ut nobis imponitis, rebaptizamus, quia nunquam baptizatus dicendus est, qui baptismo, quo peccata lavantur, lotus non est."

quoque recipiendi iisque per manuum impositionem spiritus tribuendi haberent potestatem. Quod deinde ad eorum attinet doctrinas, non solum communi usu probatam sacramenta administrandi rationem omnino rejiciebant, sed etiam conjugium, ordinem sacerdotalem, aliaque, quae in ecclesia maximi habebantur, instituta. Nec tamen omnem cultum externum retractabant, sed aquae baptismi loco ignis seu spiritus peragebant baptisma, quod aliis multis additis ceremoniis maxime in manuum impositione positum erat, qua demum hominem tam divini spiritus, quam beatitudinis participem posse fieri opinabantur; cujusmodi spiritus s. baptisma vocabant consolamentum, quod, si forte electus postea denuo in peccata erat lapsus, poterat repeti [110].

---

110) Horum haereticorum errores Evervini Praepos. Steinfeldensis epistola ad Bernardum scr. perstringuntur (in Mabillonii Analectt. vett. p. 473 sqq.), ubi de sacramentis eos docuisse fertur haec: „In sacramentis suis velo se tegunt; tamen nobis aperte confessi sunt, quod in mensa sua quotidie cum manducant, ad formam Christi et Apostolorum cibum suum et potum in corpus Christi et sanguinem per dominicam orationem consecrant, ut inde se, membra et corpus Christi nutriant. Nos vero dicunt in sacramentis non tenere veritatem, sed quandam umbram et hominum traditionem. Confessi sunt etiam manifeste, se praeter aquam in ignem et spiritum baptizare, et baptizatos esse. — Et talem baptismum per impositionem manuum debere fieri conati sunt ostendere testimonio Lucae, qui in Actis Apostt. describens baptismum Pauli, quem ab Anania suscepit ad praeceptum Christi, nullam mentionem fecit de aqua, sed tantum de manus impositione; et quicquid invenitur tam in Actis Apostt. quam in epistolis Pauli de manus impositione, ad hunc baptismum volunt pertinere, et quemlibet sic inter eos baptizatum dicunt Electum, et habere potestatem alios, qui digni fuerint, baptizandi, et in mensa sua corpus Christi et sanguinem consecrandi. Prius enim per manus impositionem de numero

Ad saeculi duodecimi finem sectarum turba maxime per Waldenses seu Pauperes Lugdunenses (Sabatatos s. Humiliatos) est aucta, quorum parens Petrus Valdensis (s. Valdo), Lugduni natus, nihil aliud erat acturus, nisi ut christianam re-

---

eorum, quos Auditores vocant, recipiunt eum inter Credentes, et sic licebit eum interesse orationibus eorum, usque dum satis probatum eum faciant Electum. De baptismo nostro non curant." Paulo post alii memorantur haeretici, qui baptismum in adultis solis adhibebant, quos per Christum baptizari putabant, quicunque erat minister Sacramentorum. — Spirituale baptisma seu consolamentum Catharorum in Rainerii lib. contra Waldenses edit. Gretseri cap. 14. (in Biblioth. patt. max. tom. XXIV. p. 1602.) describitur ita: „Quando volunt facere consolamentum alicui viro vel [illegible] dicitur, ablutis manibus, librum Evangeliorum in manibus suis tenens, eum vel eos, qui ad recipiendum consolamentum conveniunt, admonet, ut in eo consolamento omnem suam fidem, et spem salutis animarum suarum in Deo et in illo Consolamento ponant. Et sic super capita eorum libro posito, orationem dominicam septies dicunt, et deinde b. Joannis Evangelium ab „In principio" incipiens usque ad hunc locum Evangelii, quod dicit: Gratia et veritas per Jesum Christum facta est, audientibus dicit. Et sic finitur illud consolamentum. — Dicunt etiam, quod nemo, — nisi illud consolamentum ab ipsis consolatis receperit, coeleste regnum — consequi potest. Credunt etiam hoc, quod si ille, qui facit illud consolamentum, in aliquod peccatorum, quae ipsi criminalia vocant, lapsus fuerit, sicut est comedere carnem, aut ovum vel caseum vel interficere avem, vel aliquod animal, praeter reptilia, vel etiam illa peccata, quae ecclesia Romana criminalia nominat, — consolamentum illius recipientibus nihil prodest. — Imo eundem credunt iterum oportere illud consolamentum recipere ab alio, si salvari desiderat." (Cf. Gieseler l. c. part. II. sect. tert. p. 501 et 502.; Fueslin. l. c. tom. I. p. 117.) Paulo secus Eckbertus Schonaug. octavo sermonum suorum XIII. adv. Catharorum errores (in Biblioth. patt. max. t. XXIII. p. 601 sqq.), Catharorum describit baptizandi s. catharizandi rationem: narrans, in isto actu solemni tot luminaria seu faces accendi, quot in parietibus undique possint locari; unde nomen baptismi ignis sit ortum.

ligionem ad primam sinceritatem et simplicitatem apostolicam reducere vellet; quamobrem ejus sectatores, externis mundi bonis repudiatis, omnem curam diligentiamque in sacris scripturis legendis adhibebant, quo interna veraque efficeretur pietas. Quamquam hi haeretici, quum primum in publicum prodiebant, ineptias quidem de jure jurando ab iis non probato, de magistratu, de paupertate evangelica aliisque rebus sentiebant, tamen neque sacramenta, exceptis nonnullis ritibus superstitiosis, neque reliquas christianae religionis doctrinas impugnabant, sed eo maxime cum Romana ecclesia suscipiebant simultates, quod, quoniam deo magis, quam hominibus unusquisque deberet obtemperare et obedire, istius ecclesiae clericis, quippe qui omnibus flagitiis essent dediti, obedientiam recusarunt. Qua opinione auctus, non solum eorum quilibet scripturas sacras concionando explicabat, sed etiam jus censebat sibi esse datum, sacramenta administrandi. At saeculo tertio decimo iidem Waldenses, per varias novas sectas aucti, et in multis ad Manichaeorum vel Catharorum placita propius accedentes, minus recte de nonnullis christianae religionis doctrinis sentire, infantium baptisma improbare, atque omnino externi aquae baptismi loco spiritualem quendam comprobare coeperunt [111].

---

111) Singulas Waldensium doctrinas enumerat Stephanus de Borbone seu de Bellavilla lib. de septem donis Spiritus s. (in du Plessis d'Argentré collect. judicior. de novis erroribus t. I. p. 87.); ibidem narratur: „Similiter tum dicunt, se credere baptismum, poenitentiam, et sic de aliis Sacramentis, dicunt, ipsa esse vera Sacramenta solum, et tunc compleri, cum homo poenitens bonus efficitur; tunc est ibi verus baptismus, confirmatio, eucharistia vera, quia tunc efficitur corpus Christi, tunc ordinatur, tunc fit in eo conjugium et un-

Eodem saeculo, crescente in dies cujusvis generis haereticorum grege, etiam Cathari, nunc quidem Albigenses vulgo dicti, majori numero novisque viribus amplificati in conspectum denuo veniunt, veteresque Manichaeorum de duobus omnium rerum principiis, de vetere Testamento, de carnis resurrectione, de conjugio, et de sacramentis errores per diversas Europae regiones student spargere [112]. Sexcentae praeterea hocce et consequenti saeculo existunt sectae, quarum opiniones de sacramentis aliisque religionis christianae doctrinis vel a Manichaeis vel ab istis internae pietatis sectatoribus erant profectae; etenim ad unum omnes studebant quidem Romanae ecclesiae auctoritatem et potestatem debilitare, attamen inter se ipsos dissentiebant, ita ut alii, sicut Runcarii ad Albigenses, alii ut Siscidenses, Beghardi, liberi spiritus Fratres et Sorores, Spirituales sese applicarent ad Waldenses [113].

---

ctio. Et per istam spiritualitatem fidem nostram plurimi eorum in articulis et Sacramentis annihilant." — Plura, quae posteriori tempore Waldenses contra paedobaptismum attulerunt, invenis apud Starck l. c. p. 114 sqq. et Fueslin. l. c. tom. II. p. 116.

112) Vid. Fueslin. l. c. t. I. p. 417 sqq.; et Starck. l. c. p. 119 et 120.

113) Harum sectarum multitudo magna commemoratur Rainerii libro contra Waldenses (seu potius haereticas istius temporis sectas) edit. Gretseri (in Biblioth. patt. max. tom. XXV. p. 262.), quo non pauca leguntur valde perturbata. Inter alios haereticos multos ibidem enumerantur hi: Ortlibenses, qui articulos quidem fidei omnes confitebantur, sed mystice intelligebant; Ordibarii, qui mundum non habere principium, Christum fuisse peccatorem, nullam esse corporum resurrectionem, et baptismum nihil valere, dicebant; Leonistae, qui itidem omnia damnabant sacramenta etc. — De Fra-

§. 29.

Licet ecclesia Romana longum per tempus omni, qua poterat, vi et opera eniteretur, ut haeretici isti, conciliis condemnati, opprimerentur, et vel ipsis armis perturbarentur, nihilominus et super erant et denuo existebant, qui priorum sectarum instar, prava catholicorum clericorum agendi ratione impugnata, peculiares suas de christianae religionis doctrinis opiniones pervulgarent. Sic de multis placitis atque imprimis de sacramentis ipse Wiclefus, Hussius, Gersonius, Schwenkfeldius alii unum fere et idem cum mystica ista Waldensium secta sentiebant. Wiclefus enim, catholica de sacramentis opinione superstitiosa rejecta, externum aquae baptismum non improbat quidem, sed parvi eum putat esse momenti, quia per se si spectetur, omni prorsus careat effectu salutari, nec ad salutem accipiendam aeternam necessarius sit. Triplici autem statuto baptismate, fluminis videlicet, sanguinis et flaminis s. spiritus, hisce demum duobus spiritualibus perfici pii probique hominis christiani regenerationem et beatitudinem posse censet, quapropter eos quoque sacrae scripturae locos, qui baptismi necessitatem attingunt, ad hoc flaminis s. spiritus studet referre baptisma [114]). Ex

---

tribus et Sororibus liberi spiritus, de Beghardis et Beguinabus, itemque de Spiritualibus conf. Moshemii institutt. hist. eccl. p. 551 sqq.; ejusdemque de Beghardis et Beguin. comment. edit. Martini Lps. 1790.; et Starck. l. c. p. 122—125.

114) In trialogi seu dialogorum lib. IV. cap. 12. Joan. locum III, 5. singulariter ita explicat: „Nisi quis renatus fuerit etc. probabiliter dici potest, quod Christus loquitur de aqua, quae fluxit de suo latere, et de baptismo tertio (scl. flaminis),

quo facile intelligitur, cur **Wiclefus**, quum externi aquae baptismi defectum nulli esse detrimento posse arbitretur, infantes, etiamsi baptismatis expertes mortui sint, a damnatione alienos, et ipsius beatitudinis per dei misericordiam participes putet [115]). Ejusdem sententiae erant tum **Hussius**, licet in multis lenius **Wiclefo** de sacramentis aliisve doctrinis sentiret, tum **Gersonius**, qui praegnantes mulieres ad preces exhortatur pro infante nondum nato faciendas, cui forsitan Christus, ante **fluminis** baptismum si mortuus sit, misericordem sese praebeat, eumque **spiritus** sui dignetur baptismo [116]). Omnium vero

---

quia certum videtur, quod homo martyrisatus pro Christo, licet non irroretur aqua baptismatis noviter, est salvandus. Ideo videtur probabile, ad illum sensum negativum Christi intelligere, scilicet, quod nemo potest introire in regnum coelorum, nisi baptismate aquae effluxae de latere Christi, et baptismate flaminis baptizetur, cum trinitas non posset salvare lapsos, ad beatitudinem acceptando, nisi persona secunda et tertia purgent."

115) Pia ratione hanc suam sententiam Wicl. l. c. cap. 11. studet evincere, memorans inter alia: „Delato infante fidelium ad ecclesiam, ut secundum Christi regulam baptizetur, et deficiente aqua, vel requisitis aliis, stante pia intentione totius populi, interim mortuo naturaliter nutu dei: videtur grave, damnationem hujusmodi diffinire, specialiter cum nec infans iste, nec populus peccavit, ut taliter damnaretur. Ubi est ergo misericors liberalitas Christi etc." Nonnullis interjectis verbis pergit: „qui autem dicit, quod infans in casu posito salvabitur, sicut pium est credere, plus quam sibi proderit superflue se incertat."

116) **Gers.** serm. de **nativitate b. Mariae virg.** consid. II. (in opp. tom. III. p. 1350. edit. Antverp. 1706.) preces diligenter esse fundendas putat pro infante nondum nato, „quatenus, si forte moriturus sit, priusquam ad baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipsum dominus Jesus, summus pontifex, baptismo spiritus sancti, praeveniendo misericorditer consecrare. Quis enim scit, si forte exaudiat deus? Immo, quis non devotius sperare valeat, quod orationem humilium, et in se

maxime, qui fervidi erant internae pietatis sectatores, fanaticus iste Casp. Schwenkfeldius a doctrina et Romanae ecclesiae et Protestantium de sacramentis discrepat. Neque enim baptismum, neque sacram coenam pro gratiae aliquo habet adjumento, per quod dominus adoptionem in filiis dei obsignet, vel aliud praebeat beneficium salutare, quum homo non externis elementis seu signis, sed solam per fidem ad divinam gratiam et verum corporis et sanguinis Christi usum possit pervenire. Quapropter, aquae baptismi necessitate atque effectu pernegatis, ad externum tantum eum esse putat signum monitorium, quod in memoriam homini reducat, Christum nobiscum summa divinae gratiae beneficia communicare et per internam quidem atque unice veram ablutionem seu spiritualem baptismum, quem minime ecclesiae ministri, sed ipse Christus in homine peragat. Praecipue omni studet labore rejicere morem infantium baptizandorum, qui ab ipsis apostolis non sint baptizati, simulque omni fide careant atque intellectu; quae quidem sacra scriptura expressis verbis nunquam non postulet [117]. — Quem-

---

sperantium, nequaquam despiciat. Proficit haec consideratio ad excitationem devotionis in parentibus. Proficit ad levandam eorum angustiam, dum sine baptismo decedit puer, quia non omnis inde spes ablata est. Sed neque absque revelatione datur certitudo."

117) Plenam et perfectam Schwenkfeldii de baptismo doctrinam Planck. lib. inscr. Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs etc. tom. V. p. 1. lib. IV. cap. 12. p. 202 sqq. proponit. Schw. inter alia multa, quae mysticam prae se ferunt speciem, haec de baptismo sentit: „Die Taufe des Wassers, wenn sie im rechten Brauch nach der Einsetzung Christi wird gehandelt, so ist sie den Gläubigen eine äusserliche Erinnerung, Profess und Bekenntniss des Gnaden Geschenks

admodum haec Schwenkfeldii de sacramentis opinio priori isti haereticae, quam protulimus, omnino par est, sic ea quoque, quae Reformationis tempore Antipaedobaptistae seu Anabaptistae contra infantium baptismum afferunt, parum discrepant ab erroribus, quibus et medii aevi sectae haereticae et posteriores mystici sectatores laborabant. Inter omnes constat, anno millesimo quingentesimo vicesimo primo multos fanaticos Zwickavienses, quorum insignes sunt Nicol. Storchius, Marc. Thomae, Marc. Stubnerus, Kellerus, Thom. Munzerus, paedobaptismum acriter oppugnantes, ad Melanchthonem Vitebergam venisse, Luthero interim in castello Wartburgensi versante. Quorum rationes, contra paedobaptismum allatas, quum Melanchtho a se ipso posse refelli negaret, Luthero tradidit refutandas; atque hic, istorum Antipaedobaptistarum agendi ratione improbata, et pluribus extenuatis causis contra eorum opiniones allatis, fidem judicavit et spiritus sancti efficaciam in baptizandis parvulis inesse posse, etsi haec quidem cognosci non liceret [118]. Interea homines

---

und Gaben Gottes, so dem Täufling durch Jesum Christum von Gott dem Vater sind beweiset und auch noch bewiesen werden, dass er nehmlich innerlich in dem Herzen und Gewissen getauft, von seinen Sünden gereinigt, durch das Blut Christi abgewaschen, und mit Gott befriedet worden ist. Solche innerliche Reinigung und Abwaschung ist die wahre Taufe unsers himmlischen Hohenpriesters Jesu Christi, die im heiligen Geiste geschieht, welche durch die äusserliche Wassertaufe, so auf das Bekenntniss der göttlichen Dreieinigkeit geschieht, bei dem äusserlichen Menschen wird bezeuget und versiegelt" (vid. Planck. l. c. p. 209.).

118) Duabus epistolis — altera ad Melanchth. altera ad Spalatin. an. MDXXII. scr. — Lutherus istos fanaticos

isti fanatici et novarum rerum cupidi omnia postponebant, et magis magisque tum religionis doctrinis deformatis, tum rebus civilibus misere turbatis, perniciosa sua placita longe lateque per Europae regiones spargebant ac disseminabant, anabaptismo in quolibet ad ipsos transituro adhibito. Quod in causa fuit, ut et qui a Catholicis et qui a Protestantibus stabant, quam maxima vi ac crudelitate eos persequerentur, ita ut non nisi singulos paulo post

---

Zwickav. reprehendit, eorumque contra paedobaptismum rationes studet refellere. Videlicet unâ sic argumentatur: „Ad causam, inquies, quid? hoc enim est alios refutare, non nostra probare. At hoc quomodo possum absens, cum ignorem, quid moveant, si nihil aliud excitant, quam illud: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, et quod parvuli per se non credant. Prorsus me nihil movent. Quomodo enim probabunt, eos non credere? At quod non loquuntur et ostendunt fidem, pulchre. Hac ratione quot horis et nos christiani erimus, dum dormimus et alia facimus? An non ergo eodem modo potest deus toto infantiae tempore, ceu continuo somno, fidem in illis servare? Bene, inquies, hoc confutat adversarios de fide jam infusa. At hoc interim sufficit, eos inveniri tales, qui nihil probent, et falso spiritu commoti sint. Quid de infundenda dicis? nihil est reliquum prorsus, nisi fides aliena, quam si statuere non possumus, nihil disputandum est, sed simpliciter damnandus baptismus parvulorum" — tum nonnullis interjectis pergit: „Stet ergo inconcusse, impossibile esse, ut id non fiat, quod petitur et creditur fieri, alioqui vacillabit universa doctrina fidei, nec propria fides aliquid valebit, cum nitatur ejusdem promissionibus. Imo fides aliena nobis propria, sed alteri aliena est, nihilominus necesse est, ut fiat in altero, quod credit. Huc pertinent omnia exempla Evangelii. Neque enim aliquando unum dimisit Christus, qui fide aliena offerretur, sed omnes suscepit. Et quid plura? Testimonia et exempla totius Scripturae stant a fide aliena, id est, a propria fide, quae impetret alteri fidem, et quicquid volet." Simili modo altera quoque epistola paedobaptismum conatur probare. Vid. de Wettii lib. qui inscribitur: Dr. M. Luther's Briefe, Sendschreiben und Bedenken. Berl. 1826. part. sec. p. 124 et 201.

videamus, eosdemque christianae religionis propius rursus accedentes praeceptis; quo referendi sunt inprimis Mennonitae. Quamquam vero Menno Simonis ejusque adsectatores, sive docendi sive vivendi eorum spectas rationem, nihil fere cum istis fanaticis habebant commune, eodem tamen modo, quo Antipaedobaptistae, infantium baptisma improbabant, iisdemque ducti causis, primum quod scilicet sacrâ scripturâ non esset praescriptum, deinde quod fidem, qua infantes carerent, praecedere opus esset, denique quod apostolica aetate nullum illius paedobaptismi inveniri posset exemplum [119]. Cujus sectae asseclae, etsi asperius saepissime sunt tractati, novissimis tamen temporibus permulti adhuc repeririuntur, eorumque de paedobaptismo opiniones vel hodie multis probantur.

Inter haereticos, cum Antipaedobaptistis consentientes, ultimum locum obtinent Sociniani, quorum de baptismo doctrinam ut strictim significemus, reliquum est. Socinus baptismum, notione ejus prorsus perperam intellecta parum habet momenti, nullo-

---

119) De Mennonitis s. Katabaptistis copiose disseruit Herm. Schyn. lib. Historiae Mennonitarum plenior deductio etc. Amst. 1729. Brevi quadam illorum confessione (an. 1580.) de baptismo dicitur: „Sacer baptismus est externa, visibilis et evangelica actio, in qua, secundum Christi praeceptum et praxin Apostolorum, ad finem sanctum, aquâ baptizantur in nomine Patris, Filii et Spiritus S., qui doctrinam sancti evangelii audiunt, credunt et libenter, poenitenti corde, accipiunt. Tales enim jussit Christus baptizari, sed neutiquam infantes“ (ap. Schyn. l. c. p. 208.). Conf. quae Starck. l. c. p. 291 sqq. de Mennonitis tradit; et Jo. G. Walch. introd. in controversias relig. extra eccles. luth. part. I. cap. 6. §. 4 sqq. p. 588 sqq. Totam Mennonitarum doctrinam, accurate explicitam, proponit Marheineke lib. insc. Institutiones Symbolicae etc. §. 124 sqq., §. 226 sqq.

que statuit sacrae scripturae loco in perpetuum esse praescriptum iis, qui vel a christianis parentibus sint nati, vel inde ab infantia in fide christiana ac disciplina educati et instituti, sed eum censet a Christo esse praescriptum et apostolica aetate usu receptum, ut, populorum animus, in externis ritibus tunc temporis educatorum, ruditatis scilicet eorum respectu, quum christiana sacra essent secuturi, externo initiationis ritu ad summum istud, quod Christi religio in homine efficeret, adverteretur. Ut autem suam opinionem, nullum videlicet dictum in sacra scriptura inveniri, ex quo baptismi necessitas appareat, confirmet, omnes illos locos, qui de baptismo agunt ut necessario, ad spiritualem studet referre baptismum i. e. ad doctrinam et institutionem; quo metaphorico sensu tum Christus tum Paulus vocabulo baptismi utatur. Quod vero ad baptismi attinet finem atque effectum, nihil docet eo revera praeberi, nihilque eum ad hominis regenerationem valere, sed adumbrationem tantum remissionis esse peccatorum in nomine Christi, ejusque nominis apertam professionem, atque in ipsius religionem initiationem quandam [120]). Jam

120) Vid. F. Soc. de bapt. aquae disp. in Opp. tom. I. p. 709 sqq.; ubi p. 718.: „De aquae baptismo“ inquit „ego ita sentio, eum ecclesiae in perpetuum praescriptum non fuisse, nec unquam ut illum acciperent, iis praeceptum neque a Christo neque ab Apostolis fuisse, qui jam ipsi Christo alia quacunque ratione publice nomen dedissent, vel a primis annis in christiana disciplina educati atque instituti essent. — Dico, aquae baptismum ad ecclesiam externam hoc tempore instaurandam, meo judicio nihil pertinere remque indifferentem esse atque idcirco non esse, quod de eo quidquam in hoc proposito explicatius dicam“; et l. c. p. 709.: „Consolendum enim fuit populorum ruditati in ipsis externis ritibus educatorum etiam plane consenescentium. Cum igitur eo tempore aliquis externus ritus ad eos

si totam hanc Socini de baptismo opinionem spectamus, fieri nequit, quin baptismi iterationem improbet, quem habeat pro re tam levidensi, ut nihil referat, utrum homo sit baptizatus, necne. Quae quidem sententia non parum ei odii molestiaeque attulit; quum enim ipse ex Eleutherobaptistarum, qui dicebantur, numero esset, Unitarii autem, ad quos in Poloniam migravit, Anabaptistarum placitis faverent, ab his ipsis propter istam de baptismo non iterando opinionem, initio ad coenam sacram non admittebatur.

Ne longiores, quam par est, videamur, hancce expositionem absolvemus; quae enim gravia inde ab Augustini tempore, tum a catholica, tum ab

---

initiandos, qui ad Christum convertebantur, adhibendus esset, nullus decentior videri potuit, quam is, qui non modo novitatem illam vitae Christianorum propriam ac peccatorum per dei gratiam condonationem atque abstersionem repraesentaret (ut ita dixerim) et paene ob oculos poneret, verum etiam in dei populus jam receptus et frequenti usu comprobatus fuisset." De baptismi effectu epist. III. ad Radecium p. 127. (in Opp. tom. I. p. 383.) dicit: „Cum aquae baptismus in Jesu Christi videlicet nomine ministratus nihil aliud sit, quam adumbratio remissionis peccatorum in nomine Christi ejusque nominis aperta professio atque in ipsius religionem initiatio quaedam i. e. per eum nihil revera detur, sed tantummodo eorum, quae vel jam data vel datum iri certissimum est, externa quaedam agnitio significetur." Catech. Racov. qu. 347.: „Quid vero ea de re statuis, quod sint, qui putent se hoc ritu regenerari? Falluntur vehementer ejusmodi. Etenim regeneratio nihil aliud est, quam rationis et voluntatis nostrae transformatio et ad Christi conservatoris nostri doctrinam compositio." Plura ad explanandam Socinianorum doctrinam proponit Marheineke l. c. p. 203. — Ceterum quae primam Catechismi Racov. editionem (an. 1609) secutae sunt editiones, eae de baptismo ita agunt, ut illum dicant ritum esse initiationis, quo homines agnita Christi doctrina et suscepta in eum fide Christo auctorentur et discipulis ejus seu ecclesiae inserantur (vid. Catech. Rac. ed. Oeder).

haeretica parte baptismo contigerint, ea strictim certe hactenus descripta putamus. Si vero, quae modo sunt disputata, respicimus, tam ecclesiam Romanam, quam haereticos istos ab una tantum parte sacramenti ideam perspexisse videmus. Sicut enim ecclesia Romana, neglecta propria hominis facultate et agendi ratione, quosvis salutares effectus soli sacramento adscribit, unde superstitiosi existunt errores, ita haeretici illi, sacramenti communisque cultus notione male intellecta, omnia in hominis pietatem internam (abstractam) et fidem subjectivam redigunt, qua ipsa re una omnibusque communis fides, sacramento maxime confirmata, violatur. Sane quidem sacramenti vera efficacia ex hominis demum fide pendet, at sacramentum simul est vinculum, quo subjectiva hominis fides cum objectiva omnibusque ecclesiae membris communi sese ostendit conjunctam. Neque minus iisdem de paedobaptismo erroribus, modo exhibitis, et ecclesia Romana et mysticae pietatis sectatores laborant, quorum ista paedobaptismi notionem atque ideam deformat, quia magicis et superstitiosis eum implet effectibus, hi vero, rejecto paedobaptismo, infantes ab uno illo spirituali vinculo, quo quisque homo jam inde a prima aetate cum Christo ejusque ecclesia connectitur, avellunt. Verae unitati, qua hominis fides nititur et ecclesiae sacramentum, proxime accedunt Reformatores, quorum de baptismo doctrina, priusquam historicae sacrae immersionis explicationi finem imponamus, restat ut proferatur.

§. 30.

Medii aevi fine ecclesia civitati, sanctitas ecclesiastica probitati mundanae, fides ac doctrina, chri-

stiana dicta et divina, humanae rationi atque intelligentiae, maxime erant oppositae. Sedes enim Romana, ipsa regnandi cupiditate flagrans et suarum rerum nimis studiosa, eo unice tendebat, ut res civiles contemnerentur — quo ecclesiastica auctoritas et potestas amplificaretur —, ut spiritus servitute oppressus teneretur et libertas permutaretur obedientiâ — quo libido pontificia late posset vagari ac sine ullo impedimento dominari —, denique ut quaevis res sacra laicis eriperetur omneque veritatis vestigium e mundo seu civitate evanesceret, — quo ecclesia depravata veritatis et sanctitatis speciem magis magisque impetraret simulando. Quapropter Romana ecclesia sibi soli mox arrogabat professionem regni coelestis, verae doctrinae, sacrorum sacramentorum, effectuumque, qui inde proficisci dicebantur salutarium, ita ut laici non nisi per sacerdotes eorumque opus operatum putarentur ad veritatis fructum et beatitudinis posse pervenire. Cujusmodi perniciosissima libido ac licentia, sacerdotium rebus et agendi rationi permixta, summum denique pravitatis turpissimae assequebatur fastigium; quo necessario fiebat, ut a multis multa opponerentur istius Romanae ecclesiae machinis callidisque consiliis. Sed vel divinus spiritus nondum sat in hominibus erat explicitus, vel ipsi ecclesiae oppugnatores erroribus obruebantur multis et magnis, vel tempus nondum erat maturum, justum, commodum, i. e. nondum omnes cernebantur conditiones, quibus veritas, mendacio contaminata, posset inveniri. Reformatores demum inceptam contra ecclesiae partes pugnam justis armis valebant pugnare, divino nitentes verbo revelato, divino spiritu, per quem mentem humanam sacrae scripturae, civitatem ecclesiae, hominem

reconciliabant deo. Summa igitur ope atque auxilio instructi intelligebant, neque singulis quibusdam sacerdotibus, nec rebus externis hominem indigere ad recuperandam divinam gratiam, veritatem, libertatem, sed solum spiritum sanctum inter deum et hominem prodire intercessorem, qui mundum inserat regno coelesti; nec minus doctrinae fideique praecepta vel instituta sacra jure optimo negabant pendere ex arbitrio peculiaris hominum ordinis, sed cujusvis docebant rationem in ipso sacrae scripturae verbo divino complecti et fidei normam, et conciliari cum eo per spiritum sanctum. Verbum illud divinum, per dei filium certo tempore revelatum, ac spiritus hic sanctus, in quo deus sese manifestat omni tempore, firmamenta sunt ea, quibus ecclesia evangelica est fundata. Eo demum, quod verbum divinum, tempore praeterito revelatum, hominis fide servatur ac per spiritum tenetur explicitum atque intellectum, externa ista ratio, quam tempus praeteritum ad praesens, Christi et apostolorum doctrina habet ad mentem humanam, tollitur, atque una comprehenditur aeterna veritas. Divinum enim verbum, a spiritu, nunquam non praesenti in homine, abstractum, obscurum esset humanaeque intelligentiae vim et notionem fugeret, ita ut veritas, quamquam revera jam est revelata, nihilominus esset obvelata; spiritus autem, a divino illo verbo separatus, humana est ratio, quatenus scilicet vera caret sententia atque idea, omnique sese duci sinit libidine dissoluta. Utriusque unitatem tuetur ecclesia evangelica, e cujus scilicet notione tam necessaria illius verbi forma, qua moveatur atque explanetur, spiritus sit sanctus, quam vera hujus spi-

ritus materia, quae explicetur oporteat, revelatum verbum. Neque minus sacramenta e ratione ista externa et falsa, quam superstitiosum opus operatum ad hominem habet, ad internam et veram rediguntur eo, quod in fide vitaque hominis spirituali sacramenti efficientia est collocata; qua quidem internâ sacramenti notionis cum hominis vita conjunctione neglectâ, aut omne ab homine abjudicatur verum, ita ut externo demum ritu ad veritatem posse pervenire et salutem putetur, aut, sola subjectiva hominis pietate respecta, sacramentum, tamquam inutile aliquid, vel negligitur vel omnino rejicitur. Illud in ecclesiam catholicam, hoc in haereticos cadere vidimus; quantopere autem ab utroque errore Reformatores abstinuerint, nunc est breviter monstrandum.

Etsi Reformatae ecclesiae de sacramentis sententia tam a catholica, quam ab haeretica valdè abhorret, nihilominus tamen non solum de sacrae coenae sacramento, sed etiam de baptismo a Lutherana discrepat. Quae imprimis Zwinglius de baptismi sensit notione, minus accurate sunt disputata, nec multum absunt a levi ejus de sacra coena opinione; definita enim sacramentorum idea, mera signa ea putat esse vel ceremonias, et sacrae quidem rei sive factae gratiae signa; qua sententia ad baptismum accommodata, eodem hoc ritu dicit ecclesiam publice recipere eum, qui in dei gratiam jam sit receptus, atque id ipsum illo externo signo testetur, quod deus gratiam suam ipsi sit largitus [121]). Recte quidem Zwinglius ipsam divinae

---

121) Sacramentorum notionem in „resp. ad Luth. Conf.“ (in Opp. tom. II. p. 477. edit. Tigur. 1581.) ita exponit: „Sunt ergo sacramenta signa vel ceremoniae, pace tamen omnium dicam,

gratiae largitionem a baptismo excludit, at minus recte hujus sacramenti significationem ad ea solum, quae tempore praeterito in homine sint facta, refert, neque ad ea item, quae subsequenti demum tempore vitaque per dei gratiam et hominis studium sunt perficienda. Non est mirum, quod vel Anabaptistae multi et Sociniani istam Zwinglii de baptismo opinionem, ut externo visibili signo, probarunt, quamvis idem ille Zwinglius saepissime acerrimeque in Anabaptistas pugnaret.

Verius et subtilius de baptismi sacramento disputat Calvinus. Ex ejus definitione baptismus signum est initiationis, quo in ecclesiae cooptemur societatem, ut Christo insiti, inter filios dei censeamur. Finem baptismi dicit duplicem, quia tum fidei no-

---

quibus se homo ecclesiae probat aut candidatum aut militem esse Christi, redduntque ecclesiam totam potius certiorem de tua fide, quam te." Fusius de sacramentis disputat in fidei ratione ad Carol. Imp. (Opp. tom. II. p. 541.): „Credo, imo scio, omnia sacramenta tam abesse, ut gratiam conferant, ut ne adferant quidem, aut dispensent. Qua in re forsan audacior tibi videri potero, potentissime Caesar. Sed stat sententia. Nam gratia, ut a spiritu divino sit aut datur (loquor autem latine, cum gratiae nomine utor pro venia scilicet, indulgentia et gratuito beneficio), ita donum istud ad solum spiritum pervenit. Dux autem vel vehiculum spiritui non est necessarium, ipse enim est virtus et latio, qua cuncta feruntur, non qui ferri opus habeat. — Credo igitur, o Caesar, sacramentum esse sacrae rei, hoc est, factae gratiae signum. — Credo, testimonium publicum esse etc." — Quotiescunque de baptismo verba facit, firmissime semper asseverat, eo, quoniam signum tantum sit rei jam factae, nil conferri; sic „de providentia dei" (Opp. tom. I. p. 369.) impugnatis sacramentariis, qui vel gratiam vel fidem vel promissum baptismo esse junctum opinarentur, addit: „Cum igitur Hebraeorum infantes semper sint intra ecclesiam censi cum parentibus, et promissio divina firma sit, constat, infantes Christianorum non minus esse de ecclesia Christi, quam paren-

strae inserviat erga deum, tum confessioni coram hominibus, quoniam nota sit, qua palam profiteamur, nos dei accenseri velle populo, simul testificantes, nos in una religione uniusque religionis cultu cum Christianis omnibus consentire. Fidei autem erga deum nostrae baptismum servire ratione triplici; primum, quod sit symbolum purgationis nostrae, confirmans, omnia deleta esse peccata, id quod non solum ad tempus praeteritum, sed etiam ad omnem vitam sit referendum, quamvis peccandi licentia in homine remaneat. Alter, qui e baptismo prodit, fidei effectus ille est, quod nostram in Christo mortificationem, novamque in eo vitam ostendat, quemadmodum Paulus apost. baptismi finem explicet. Tertius denique quem fide-

---

tes. Quae promissio non adfertur in baptismo, sed is cui olim facta est, baptizatur, ut signo visibili testetur, se esse ex eorum numero, qui per dei bonitatem vocantur populus dei. Hic certe nihil adfertur, sed quod dudum donatum est, religiose agnoscitur, ac symbolo aucteramentoque accepto nomen datur.“ Addatur dictum, quo Zwingl. de ratione, quam remissio peccatorum ad baptismum habet, ita disserit: „Qui ergo Christi sanguine intrepide fidunt, peccatorum remissionem impetrant; quodsi sacramentum accedat, exterioris potius hominis informatio est, quam interioris; ut enim hic elementis nullis doceri aut fidelis reddi potest, sic iste quicquam capere nequit, quod sensu non experitur. Ut ergo toti, hoc est tam interiori quam exteriori homini deus satisfaceret — eum qui jam credidisset, aqua tingi jussit, non ut animam ablui hac ratione voluerit, nam qui fieri posset, ut incorporea substantia elemento corporeo ablueretur? sed ut exterior homo visibili signo initiaretur, quo ejus quoque rei, quae apud interiorem, vel fidei lumine vel manifesto gratiae dei verbo geritur, certior fieret“ — tum in explicando 1 Pet. III, 21. memorat: „Vides hic primum baptismum pro fide accipi, nam ea sola nos salvos reddit. Nec minus hoc est aut inusitatum Apostolis, ut scilicet signum pro signato accipiant etc.“ Expostul. ad Fridol. Lindover. (In Opp. tom. I. p. 203.)

e baptismo capit, fructus est, quod nos Christo ita unitos testificetur, ut omnium ejus bonorum simus participes, unde Christus quoque proprium dici possit baptismi objectum. Omnes illi fructus, Calvino auctore, ad infantium quoque pertinent baptismum, cujus quidem necessitatem eo maxime confirmat, quod christianus baptismus successerit judaicae circumcisioni, quam quivis Judaeus ineunte aetate debuerit subire [122]). Ex tota autem hac de baptismo sententia, Calvinus statuat oportet, neque inclusas esse dei gratias sacramento, ita ut magica vi et virtute homini conferantur, neque baptismo vel afferri quicquam ob ejus qui administret dignitatem, vel auferri ob illius indignitatem; imo potius, quum sacramenta tam a divina parte sint testimonia gratiae ac salutis, quam ab humana parte professionis nostrae notae, in

122) Jo. Calvin. Institutt. christ. relig. lib. IV. cap. 15. §. 1.: „Baptismus signum est initiationis, quo in ecclesiae cooptamur societatem, ut Christo insiti, inter filios dei censeamur. Porro in hunc finem nobis a deo datus est — primum ut fidei nostrae apud se, deinde ut confessioni apud homines serviret. — Tria autem affert fidei nostrae baptismus. — Hoc primum est, quod nobis a domino proponitur, ut symbolum sit nostrae purgationis ac documentum vel — instar signati cujusdam diplomatis, quo nobis confirmet, peccata nostra omnia sic deleta, inducta, obliterata esse, ne unquam in conspectum suum veniant, ne commemorentur, ne imputentur.“ §. 5.: „Alterum etiam fructum affert, qui nostram in Christo mortificationem nobis ostendit, et novam in eo vitam. Siquidem, ut ait Apostolus, in mortem ejus baptizati sumus etc.“ §. 6.: „Postremo et hanc e baptismo utilitatem fides nostra accipit, quod certo nobis testificatur, non modo in mortem et vitam Christi nos insitos esse, sed sic ipsi Christo unitos, ut omnium ejus bonorum participes simus. Ideo enim baptismum in suo corpore dedicavit, et sanctificavit, ut communem eum nobismum haberet, ceu firmissimum unionis ac societatis, quam nobiscum inire dignatus

eo omnia esse posita dicit, ut homo sua ipsius fide gratiam illam, sacramento significatam, magis ac magis sibi vindicet. Omnino, quae Calvinus de baptismatis sacramenti notione sentit, paulisper tantum a Melanchthonis et Lutheri ea de re sententia dissentiunt. Sed ne ultra modum expositionem nostram extendamus, omissa peculiari utriusque viri doctrina, ea statim proponamus, quae symbolici libri de baptismo docent.

Statuunt emendatores Sacrorum, baptismum, a deo institutum, esse aquam, divino verbo junctam, unde divina omnis salutis promissio proficiscatur. Non visibilis ista aqua, per se spectata, sacramentum efficit, sed invisibile dei verbum baptismo veram praebet sententiam sanctamque virtutem, quare aquam ab illo verbo sejunctam nullius esse fructus. Symbolica autem hujus baptismi

---

est, vinculum. — Ita videmus baptismi complementum in Christo esse, quem etiam hac ratione vocamus proprium baptismi objectum etc." §. 13.: „Confessioni autem nostrae apud homines sic servit baptismus. Siquidem nota est, qua palam profitemur nos populo dei accenseri velle; qua testamur, nos in unius dei cultum, in unam religionem cum Christianis omnibus consentire; qua denique fidem nostram publice affirmamus, ut non modo laudem dei spirent corda nostra, sed linguae etiam et omnia corporis membra quibus possunt significationibus personent." — De paedobaptismo, cum circumcisione comparato, inter alia l. c. cap. 16. §. 4. haec facit verba: „Itaque constituere liquet, quicquid circumcisioni convenit, ad baptismum simul pertinere, excepta visibilis ceremoniae differentia. — Perinde enim ac circumcisio, quia tessera Judaeis quaedam erat, qua se in populum familiamque dei adoptari fiebant certiores, ac ipsi etiam vicissim nomen se deo dare profitebantur, primus ille erat in ecclesiam ingressus: nunc quoque per baptismum deo initiamur, ut ejus populo adscribamur, et ipsi mutuo in ejus nomen juremus. Quo extra controversiam apparet, baptismum in circumcisionis locum subiisse, ut easdem apud nos partes obeat."

significatio non alia est, nisi, quod e Pauli doctrina tum vetus Adam, qui adhuc in nobis sit, per quotidianam mortificationem ac poenitentiam submergi et extingui debeat, una cum omnibus peccatis et malis concupiscentiis, tum quoque quotidie emergere ac resurgere novus homo, qui in justitia ac puritate coram deo vivat in aeternum [123]). Quamquam Reformatores, si effectus baptismi respicis, prorsus necessarium eum habent ad salutem, eo tamen longissime a catholica ecclesia recedunt, quod non tam conferri, quam offerri vel promitti docent divinam gratiam sacra immersione, quum aqua baptismalis omni careat effectu magico. Unde perspicitur, e Lutheranae ecclesiae mente arctam inter baptismi ideam et propriam hominis vitam esse

---

123) Catech. min. (in Concord. et Confess. fidei et doct. eorum, qui August. Conf. amplectuntur. Lps. 1727. p. 376.): „Quid est baptismus? Baptismus non est simpliciter aqua, sed est aqua divino mandato comprehensa, et verbo dei obsignata. Quod est illud verbum dei? Ubi dominus noster Jes. Christus dicit, Matthaei ultimo: Euntes docete omnes gentes etc.“ — Catech. maj. eod. l. p. 537 sqq.: „Ex his memoratis sanum intellectum percipe, atque interrogatus, quid baptismus sit? ita responde: Non esse prorsus aquam simplicem, sed ejusmodi, quae verbo et praecepto dei comprehensa, et illi inclusa sit, et per hoc sanctificata, ita ut nihil aliud sit, quam dei seu divina aqua, non quod aqua haec per sese quavis alia sit praestantior, sed quod ei verbum ac praeceptum dei ei accesserit.“ Conf. p. 539 sqq.: „Quare iterum atque iterum repetens moneo, ne haec duo, verbum et aquam ullo modo disjungi atque divelli patiamur. Separato enim inde verbo, non alia est aqua, atque illa, qua in culina ad elixandas carnes culinae praefecta utitur, potestque non male balneatorum dici baptismus. Caeterum conjuncto verbo, sicut Christus ordinavit et instituit, tum sacramentum est, ac Christi baptismus dicitur.“ — Articc. Schmalc. l. c. p. 329.: „Baptismus nihil est aliud, quam verbum dei cum mersione in aquam, secundum ipsius institutionem

conjunctionem, ita quidem, ut homo effectibus nequeat vere frui salutaribus, nisi divino mandato et institutioni satisfaciat, vel sincera intimaque fide, quae baptisma offerat, complectatur. Attamen, etsi Lutherus, citra fidem baptismum nihil prodesse, imo absente fide profitetur nudum et inefficax signum tantummodo permanere, nihilominus monet, hac deficiente fide baptismi substantiam vel dei verbum, quo maxime baptismi notio nitatur, nequaquam tolli, quia humana fides non faciat baptismum, sed eum percipiat et apprehendat[124]). Et vere ille; etenim baptisma magice quidem, ut opus operatum, in homine nil efficit, sed divinae istae promissiones, ad quas idea est revocanda, semper manent eaedem,

---

et mandatum, sive, ut Paulus inquit, lavacrum in verbo, sicut et Augustinus ait: Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. Quare non sentimus cum Thoma et monachis praedicatoribus seu Dominicanis, qui verbi et institutionis dei obliti dicunt, deum spiritualem virtutem aquae contulisse et indidisse, quae peccatum per aquam abluat. Non etiam facimus cum Scoto et Minoritis seu Monachis Franciscanis, qui docent, baptismo ablui peccatum ex assistentia divinae voluntatis, et hanc ablutionem fieri tantum per dei voluntatem, et minime per verbum et aquam." — Catech. min. l. c. p. 377.: „Quid autem significat ista in aquam immersio? Significat, quod vetus Adam, qui adhuc in nobis est, subinde per quotidianam mortificationem ac poenitentiam in nobis submergi et extingui debeat etc." — cfr. Catech. maj. p. 548. — Ipsam baptismi administrationem, in nomine dei peracta, Luth. dei dicit opus; nam Catech. maj. p. 536.: — „baptizari" inquit „in nomine dei, non est ab hominibus, sed ab ipso deo baptizari. Quapropter quanquam manu hominis administratur, revera tamen proprium dei opus censendum et habendum est. Ex quo quivis haud difficulter potest colligere, baptismi opus multo esse sublimius et praestantius, quam ullum opus factum ab ullo divorum aut hominum."

124) Conf. August. art. IX. l. c. p. 12.: „De baptismo

licet homo vita sua impia iis nondum satisfecerit; quapropter nunquam baptismum iterari opus est, sed id solum desideratur, ut homines baptizati, a turpi vita ad meliorem frugem redeuntes, omni studio et labore promissionibus illis seu divinae voluntati, uno baptismo semel significatae, obtemperent;

---

docent, quod sit necessarius ad salutem, quodque per baptismum offeratur gratia dei, et quod pueri sint baptizandi, qui per baptismum oblati deo, recipiantur in gratiam dei." Apolog. p. 156.: „Nonus articulus approbatus est, in quo confitemur, quod baptismus sit necessarius ad salutem, et quod pueri sint baptizandi, et quod baptismus puerorum non sit irritus, sed necessarius et efficax ad salutem." — Catech. maj. p. 539.: „Quare rei summam ita simplicissime complectere, hanc videlicet baptismi virtutem, opus, fructum, et finem esse, ut homines salvos faciat. Nemo enim in hoc baptizatur, ut princeps evadat, verum sicut verba sonant, ut salvus fiat. Caeterum salvum fieri scimus nihil aliud esse, quam a peccati, mortis, et diaboli tyrannide liberari, in Christi regnum deferri, ac cum eo immortalem vitam agere" — cfr. Cat. min. p. 376.: „Quid praestat aut confert baptismus? Operatur remissionem peccatorum, liberat a morte et diabolo, et donat aeternam beatitudinem omnibus et singulis, qui credunt hoc, quod verba et promissiones divinae pollicentur." At ipse Luth. omnes illos effectus salutares non tam baptismo, per se spectato, quam baptizati hominis fidei adscribit; etenim Cat. maj. p. 540. libere profitetur, „sane in nobis nihil aliud facere aut operari salutem, quam fidem" — et p. 541.: „sola fides" inquit „personam dignam facit, ut hanc salutarem et divinam aquam utiliter suscipiat. Cum enim hoc in verbis una cum aqua nobis offeratur et proponatur, non alia ratione potest suscipi, quam ut hoc ex animo credamus. Citra fidem nihil prodest baptismus, tametsi per sese coelestis et inaestimabilis thesaurus esse negari non possit etc" — et non multo post: „Dei autem opera salutifera sunt, et ad salutem consequendam necessaria, neque excludunt, sed fidem requirunt, citra quam comprehendi non possent. Eo enim, quod te aqua perfundi sinis, baptismum nondum percepisti aut servasti, ut inde aliquid emolumenti ad te redeat. Verum inde primum tibi proderit, si hoc consilio temet baptizandum obtuleris, ut dei mandato et institutioni satisfacias, ut in nomine domini baptizatus, promissam

quam sententiam, etiam libri symbolici approbant. Jam vero, quum aeternae dei promissiones quamlibet respiciant vitae aetatem, id praecipue in causa est, ut Lutherana ecclesia infantium baptisma habeat necessarium, neque tamen infantes, morte praeveniente non baptizatos, condemnatione afficit [125]).

---

in aqua salutem consequaris" — cfr. p. 549.: „Jam ubicunque fides fructibus foecunda viget, hic baptismus non tantum inanem significationem repraesentat, sed mortificandae carnis opera conjuncta habet. Porro autem absente fide, nudum et inefficax signum tantummodo permanet." Quomodo vero ipso fidei defectu divina baptismi idea non evertatur, Catech. maj. p. 545. hisce ostenditur verbis: „verumtamen in hoc totum versatur, quod dixi, baptismum nihil aliud esse, quam aquam et verbum dei simul juncta: hoc est accedente aquae verbo, baptismus rectus habendus est, etiam non accedente fide. Neque enim fides mea facit baptismum, sed baptismum percipit et apprehendit. Jam baptismus non vitiatur aut corrumpitur, hominibus eo abutentibus aut non recte suscipientibus, qui non fidei nostrae sed verbo dei alligatus est"; cfr. p. 547.

125) Conf. August. art. IX. p. 12., exhibita paedobaptismi necessitate, additur: „Damnant Anabaptistas, qui improbant baptismum puerorum, et affirmant pueros sine baptismo salvos fieri." Sunt, qui ex hoc dicto temere colligant, Reformatores, infantes non baptizatos condemnationi esse obnoxios putasse; quae opinio ficta est, quum libri symbolici non positive pueros condemnatione afficiant, sed negative aeternam salutem iis abjudicent; nec sine jure; nam ad felicitatem consequendam aeternam tenuis ista innocentia et mors subita non magis suppeditant, quam omnino nulla vita; imo potius salutem aeternam vitâ demum verâ et sanctâ, divina libertate fundata, homo potest consequi. Apolog. p. 156. de hac re ita disputatur: „Et cum plerosque alios errores Anabaptistarum damnamus, tum hunc quoque, quod disputant baptismum parvulorum inutilem esse. Certissimum est enim, quod promissio salutis pertinet etiam ad parvulos. Neque vero pertinet ad illos, qui sunt extra ecclesiam Christi, ubi nec verbum nec sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo et sacramentis existit. Igitur necesse est baptizari parvulos, ut applicetur eis promissio salutis, juxta mandatum Christi: baptizate omnes gentes etc." — Articc.

Lutherus praeterea, ut jam monuimus, eos, qui infantes, tamquam fide carentes omni, non baptizandos opinantur, eo studet refellere, quod talem fidei defectum esse in infantibus non possit confirmari, nec sane negandum est, **facultatem** certe credendi in quovis homine a primis aetatis temporibus inesse, etsi occaecatam. Ceterum si totam **Reformatorum** spectamus de baptismo doctrinam, id dilucide appa-

---

Schmalc. p. 329.: „De paedobaptismo docemus, infantes esse baptizandos. Pertinent enim ad promissam redemtionem per Christum factam. Et ecclesia debet illis baptismum et promissionis illius annunciationem.“ **Catech. maj.** p. 544.: „Puerorum baptismum Christo placere et gratum esse, suo ipsius opere satis abunde ostenditur, nempe quod deus illorum non paucos sanctificavit, eosdem spiritu sancto impertivit, qui statim a partu infantes baptizati sunt. Sunt etiam hodie non parum multi, quos certis judiciis animadvertimus spiritum sanctum habere, cum doctrina eorum, tum etiam vitae nomine; sicut et nobis gratiâ dei datum et concessum est, nosse scripturas interpretari, et Christum cognoscere, quod citra spiritum sanctum nullo modo fieri posse, nemo dubitat. At si puerorum baptismus Christo non probaretur, nulli horum spiritum sanctum, aut ne particulam quidem ejus impertiret, atque — per tot saecula, quae ad hunc usque diem elapsa sunt, nullus hominum Christianus perhibendus esset“ — deinde p. 554.: „Nam, quemadmodum diximus, quamquam pueri non crederent, quod nullo modo affirmandum est, tamen baptismus verus esset, neque quisquam eos rebaptizare debet: Veluti sacramento nihil detrahitur, tametsi aliquis ad ejus participationem improbo animo accedit, neque ferendum esset, ut eadem hora propter priorem abusum ad sumendum accedat denuo, quasi initio verum sacramentum non percepisset. — Propterea dico, si non recte credidisti prius tamen adhuc crede etc.“ — cfr. p. 543., ubi quemvis Christianum dicit per omnem vitam suam baptismum debere recte perdiscere atque exercere, firmiterque credere, quaecunque baptismo promittantur et offerantur — ac similiter p. 548. monet, hominis christiani vitam nihil aliud esse, quam **quotidianum baptismum, semel quidem inceptum, sed qui semper sit exercendus.**

ret, illos, etsi nimis interdum ejus virtutem efferre et mysticam conjunctionem quandam inter verbum et aquam videntur admittere, salutarem baptismi tamen efficientiam, ex propria hominis vita, neque e magica quadam vi existimant pendere; id quod a vero non abhorret. Quem vero ad modum biblica illa, quam primum proposuimus, non minus atque haec Lutheranae ecclesiae de sacra immersione doctrina dogmatice et systematice sese explicet, jamjam tertia videbimus nostrae scriptionis parte, in qua simul disquirendum est, quomodo christiana religio ejusque sacramenta differant a ceteris religionibus earumque cultu.

PARS TERTIA.

DOCTRINA DOGMATICA.

Notio religionis cum cultu exteriori quam maxime cohaeret, quare, antequam ethnicarum religionum cultum describemus, vel nexum, qui inter lustrationes sacrificiaque et christiana sacramenta valet, ostendemus, strictim de religionum idea dicamus.

I. IDEAE RELIGIONUM EXPLICATIO.

§. 31.

Religione, quae intima est inter hominem et deum conjunctio, humana natura cum divina et haec cum illa contexitur, qua mutua ratione non minus deus in religione sibi est conscius sui ipsius, quam homo dei; etenim sicut spiritûs solus potest complecti spiritualia, sic homo ad spiritualem dei conscientiam nequit pervenire, nisi ipsum per deum, qui in homine versatus humana innectit divinis. In numine suo genus hominum ipsius contemplatur essentiam: arctumque valet inter mores, instituta, omnem denique eruditionem et historiam atque inter religionem vinculum. In religione enim, omnibus singulis inferioribusque rebus posthabitis et superatis, tamquam in idea sua populi versantur; atque id in hominis natura situm est, ut in semetipso, in ipsius sensibus non possit acquiescere, sed ad majora tendat, et tunc demum satisfactum sibi putet, quum, religione gavisus, se numen exoptatum revera sentit comprehendisse. Duae

autem partes in religione sunt respiciendae, quarum altera est divina, qua religio, nulli tempori obnoxia, cernitur aeterna, altera vero est humana, certo tempore facta et in historia explanata. Cavendum tamen est, ne opinemur totam religionis ideam, tamquam rem humanam, certo tempore esse factam, imo potius eadem ab aeterno in historia est explicita, quum deus in aeternum in homine sese revelaverit. Si enim dei aeternitas non vana est opinio, deus tempore sit aeternus necesse est, neque minus divina quoque vel aeterna religionis pars eo revera semper erat, quod nunquam humanae, quae in tempus et historiam cadit, partis erat expers. Unde facile intelligitur, quae singularum religionum sit ratio mutua; etenim historiam per se si spectamus, multae quidem exstiterunt in mundo religiones, quarum una alteram vix videtur attingere; at divina, temporis finibus non inclusa, omnium religionum si spectatur pars, una tantum ab aeterno erat religio, vel una eademque dei idea omnibus istis religionibus pedetentim sese explicabat et revelabat. Quapropter arctum inter singulas religiones est vinculum, et invicem inter se eaedem ita sunt collatae, ut una in altiori tantum, quam altera, ideae illius revelandae sit collocata gradu, eoque ipso ad veritatem propius accesserit; quo verior igitur nationis cujusdam religio est, eo magis in hac natione divina idea sese manifestavit. Nam humana dei conscientia ad altiorem veritatis gradum non potest pervenire, nisi simul divina sui ipsius conscientia, seu dei idea, in homine magis sese explicavit, quum utraque invicem sese ferat, alteraque cum altera coalescat. Una autem eademque aeterna religio eo est diversa, et plures in religiones non divisa quidem

(nam una religio dividi non potest), sed in variis explicationis posita momentis, quae singula, per se spectata, totum quidem quoddam seu totam ideam, sub vario autem collocatam obtutu, continent; siquidem homines, prout eorum animus plus minusve est conformatus, diversa de numine sentiunt, aliterque unam religionis ideam animo complectuntur. Sin vero universae rei consideramus rationem, triplici modo divina essentia ab homine potest comprehendi, et primum quidem per sensus, ubi essentia illa cum visibili natura omnino est commixta; deinde per humanam mentem, omnia sejungentem unumque alteri opponentem, ubi numinis essentia a natura, mundo, homine prorsus est separata, denique per divinum spiritum, hominis realitatem cum dei veritate arcte conjungentem, ubi deus et homo sunt uniti. Ista religio, sensibus vel contemplatione immediatâ, vel opinionibus fundata, est ethnica; illa porro, quae humanâ, a divino spiritu separatâ nititur mente (i. e. abstracta hominis mente), est judaica; denique, quae ipso in spiritu divino est posita, vel in perfecta dei cum homine unitate, ea est christiana. Sed jam operae erit pretium, quomodo divina idea per diversas has religiones sese revelaverit, strictim ostendere [1]); qua quidem in disquisitione:

---

1) Copiosius ac fusius singulas, quae nobis disserentibus occurrunt, religiones viri pertractant: Windischmann lib.: Die Philosophie im Fortgange der Weltgeschichte p. I. sect. 1. — v. Bohlen: Das alte Indien, mit besonderer Rücksicht auf Aegypten. — Stuhr: Abhandlungen über nordische Alterthümer. — Creuzer: Symbolik und Mythologie der alten Völker etc. — Rust: Philosophie und Christenthum etc. — Wagner: Religion, Wissenschaft, Kunst und Staat. — Qui vero ideam, objective sese explican-

1) religionum ethnicarum triplicem denuo sese offerre videbimus rationem, eamque quidem primam, quae occaecatum respicit sensum atque obscurum, alteram, quae lucis prae se fert speciem, oppositae densis istis naturae tenebris, tertiam, quae artis splendore insignis est ac pulchritudine. Omnibus quidem simul id est commune, quod numinis essentia naturae adhuc viribus est subjecta, quamquam per tertium gradum dii, naturam transgressi, incipiunt hypostatice, ethice, libere agere. Ut igitur ab infimo religionis sese explicantis gradu initium faciamus,

a) religio, quum ipse homo primum ab omnibus rebus spiritualibus maxime sit alienus, ejusque vita unico corporis sensibus et affectibus ducatur, non nisi in sensuum posita est stupore. Externa natura visibilis rudem hominem in potestate tenet totum; suam ipsius auctoritatem quum praetermittat vel omnino negligat, idem ab istis, quae circumjacent, rebus corporeis se pendere, easdem se potentiores, iisdem se opinatur esse subjectum; quare, quum nihil istis rebus, quae sub sensus cadunt, sentiat vel agnoscat excelsius et majus, easdem omnium aestimat maximi, et pro numine habet, quod adorat; unde proficiscitur Fetischismus, quem vocant. Quo igitur hic religio maxime continetur, is cultus est rei cujuslibet visibilis, cui nihil omnino est, nisi quod est, itaque singulum solummodo istud Esse, quod sibi utile homo putat, colitur. Attamen omnes singulae

---

tem, divinum per res mundanas triumphum agentem, voluerit contemplari: ad quem alium virum eum debemus relegare, nisi ad Hegelium, qui tum de plurimis philosophiae locis, tum de hoc inprimis argumento, ut eo dignum est, exposuit in Phaenomenologia p. 625—741.

visibilis naturae res in casu sunt sitae, mutabiles, caducae, neque hominem perdiu fugit, quod ejusmodi res, quae vel imum naturae tenent locum, summae ipsius venerationi aptae esse non possint. Quo fit, ut homo, ad altiorem humanitatis gradum progressus, illarum, quae proxime oculis occurrunt, rerum fluxarum loco tales studeat colere, quae fragilitati minus obnoxiae, stupore eum afficiunt et admiratione; terra igitur neglecta, ac sensibus jam in ea, quae ad coelum pertinent, defictis, stellas incipit sancte venerari; unde prodit Sabaeismus. Quae cultus respicit hic, non pertinent ad frigidum istud singularis alicujus rei Esse, quod casu quovis potest facillime redigi ad nihilum, sed ad ejusmodi Esse, quod, continuo motu vel cursu certo per immutabilia spatia firmissime ac constanter servato, vim in terrae res exserit saluberrimam. Jam adorationis materiâ paulo longius a sensibus ac rebus naturae corporeis remotâ, elementi vis homini coepit maximi esse momenti, quapropter cum Sabaeismo arcte cohaeret, atque ex eo proficiscitur elementorum cultus, quo ipso singulum prius Esse, quod colebatur, a speciali excipitur.

Neque enim singulae istae et fortuitae res, in quas humani sensus, quum primum moventur, extemplo delabuntur, sed ea numinis instar nunc adorantur, quae in quibusvis rebus singulis sunt peculiaria seu specialia; qua in re elementorum cultus priori jam multum praestat. Maxime perfecte hic elementorum cultus invenitur apud Sinenses, qui quinque elementa, lignum, ignem, aquam, metallum, terram ponunt atque adorant omnium rerum principia ac fundamenta, quum eadem tum vires esse ad vitam sustentandam, tum virtutes ingeniique

facultates suppeditare, rebus humanis ut genii consulere, omnia denique formare ac regere dicantur; quoniam igitur haec elementa, quaecunque vigent, coërcere putentur, quodvis Sinensium imperium unum alterumve elementum agnoscit rerum suarum caput, in cujus tutelam sit receptum. Invicem quidem quinque ista principia sibi auxilium ferunt, sed terra, in qua reliqua elementa concurrunt, ampliorem tenet locum; omnium autem elementorum vim ac vigorem procreat coelum (thian dict.), quod, per se lucidum, una cum stellarum illo grege prima summaque habetur manifestatio. Elementis oppositus homo luculentissimam coeli et terrae manifestationis speciem praebet; atque imprimis imperator, qui ipse colitur coeli filius, per suam augustam personam tamquam unius universalis hominis locum obtinet, omniumque civium unitatem repraesentat ac tuetur. Nam ipse, coelo intime conjunctus, voluntatem ejus optime exquirere et consilium accuratissime potest perscrutari, quamquam ceteri homines non minus sunt obstricti ad servandam inter se religiosissime coeli conjunctionem [2]). Jam rei caput, quod Sinensium religioni inest, elementorum restat cultus, qui ad Fetischismum eandem habet rationem, quam particulare s. speciale ad singulum,

2) Buddhaismus sive religio, secundum quam Fo colitur, cui plerique posteriores Sinenses addicti erant, non ex ipsa Sinensium profecta est religione, sed ex Indica, cujus a secta quadam migrabat ad Sinenses. Homini illi, Fo seu Fo-to (Buddha) appellato, cujus ossa servata coluntur, ex Buddhaismi doctrina, Vishnus, Indorum deus quidam, sese incorporasse dicitur. Ceterum ex hujus sectae judicio, indicae religionis omnino fere instar, homo natus est, ut, abjectis omnibus exterioribus, intima vita contemplativa ad numen seu unam naturae substantiam redeat.

quod vocant. Sicuti vero singulare (i. e. singularum rerum visibilium cultum) vidimus esse progressum ad speciale (i. e. elementorum cultum), ita hoc speciale tendit ad generale seu universale. Etenim ipsis elementis unum est commune, quin imo omnes omnino res, quae in mundo cernuntur, licet inter se, forma vel specie respectâ, valde dissideant, uno tamen fundata sunt universali Esse, quo praetermisso nulla ullius rei vel speciei esse potest realitas; ad quod universale Esse, tamquam unum omnium rerum complexum et summam, simulatque hominum sensus, vel contemplatio intendit, exoritur Pantheismus, qui ejus gradus, in quo explicando versamur, summum est fastigium. Religionis idea per hunc Pantheismum progressum fecit gravem, atque in Indorum, qui eundem profitentur, religione, philosophia, poësi non pauca occurrunt, quae animum graviter ac jucunde commovent. Unum istud Esse universale, unicum omnium rerum principium, vocatur Parabrahma, utpote quod constanter et incorrupte ab aeterno in sua erat ipsius potestate, atque in omne tempus manebit, ut, quaecunque reperiantur, unum constituant totum, quo ipsum continetur summum illud numen.

Substantia per se si spectatur, illud Parabrahma unum quidem est atque idem, nulli singularis loci fini, nulli finito temporis spatio subjectum, at si formam simul respicimus, substantia vel Parabrahma istud vivum est ac mobile, ita ut semetipsum contemplando omnia procreasse, et Trimurti seu Brahmanem, Vishnuem, Sivum ex se revelasse dicatur. Qua triplici specie unum numen, per se invisibile, ubicunque praesto est ac praesens; Brahman autem fingitur creator potentis-

simus, cujus consiliis sapientibus, quaecunque vigent, firmiter nituntur; deinde Vishnus dicitur conservator et confector, qui, quovis tempore praesens, semper cum Brahmane illo est, ejusque consilia et celeriter et accurate perducit ad effectum; Sivus denique habetur exstinctor et restitutor, qui velut ignis ac tempus omnia destruit, ut denuo creentur, neque tamen conversio vel exstinctio ista ex arbitrio fit dissoluto, sed firmis perficitur legibus. Tribus his formis Parabrahma perpetuo movetur, omniaque in se complectitur; homo autem immensum istud Esse, in quo creatio, conservatio, destructio omnis est posita, adorat eo, quod in omnibus unum numen suum contemplatur, et quaecunque inspicit, per idem non solum creata et conservata, sed ejusdem etiam quasi vestimentum opinatur esse. Quamquam vero Parabrahma, ut substantia sibi constans ac firma, iis, quae in mundo cernuntur, vere inest totum, et quamquam, destruendo et recreando per omnia progressum, nihil est aliud, nisi perpetua omnium rerum varietas et motus, nihilominus per hunc Indorum Pantheismum Fetischismi ac Sabaeismi vestigia jam exstinguuntur, quoniam e sacrorum Vedorum lege homo dicitur esse natus, ut, singulis, sive ad terram sive ad coelum pertinent, rebus posthabitis, contemplativa ratione in unum istud Parabrahma, variis formis vivum, sese veluti immergat, quo ipse aliquando Brahmanus vel salvus possit fieri. Itaque illud Esse, summi locum numinis explens, quamquam ad naturam pertinet visibilem, tamen neque ut caducum et fluxum, vel tamquam mortuum adoratur omnisque vitae expers; neque quod solummodo sibi constans manet per stellarum motum et elementorum ordinem,

sed quod mobile et vivificum est per totam naturam. Quapropter mirari non possumus, quod nunc, quum ipsum divinum Esse jam sit factum vivum, quae viva et sensibilia sese ostendunt in mundo, maximi aestimentur, initium dum fit a vegetabili, ut dicunt, naturae parte, a plantis, floribus, arboribus. Ipsi Indi, pluribus sanctificatis plantis, in loto, creatorem illum Brahmanem inesse opinantur, quem quidem florem pulcherrimum prae ceteris magni faciunt; neque tamen negligendum est, non tam florem vel omnino plantas, per se spectatas, Fetischismi instar ipsum haberi numen, quam unum istud Esse, quippe quod cum in tota natura tum in hisce floribus vivificum est. Vegetabilium autem vita progreditur ad animalium vitam, et sicut illud in animalibus vivum Esse vegetabili est superius, ita majorem plantarum vel florum cultu adipiscitur dignitatem cultus animalium seu Zoolatrismus, quo, quae ad venerationem referuntur non solum formam habent, ipsam sese evolventem, sicut plantae crescentes, sed etiam arbitrariam libidinosamque vitam, sensus actuosos, cupiditates. Innocens ista simplex ac quieta ratio, quam plantarum cultus non minus ac totum regnum vegetabile ad hominem habet, per Zoolatrismum fit dissipata et turbida, quum bestiae arcta jam necessitudine, ea quae ad humanam pertinent vitam attingant, eamque aut utiliter et salubriter aut nocenter et infeste permoveant. Sane ipsae quidem bestiae coluntur, tum ut, quominus officiant, impediantur, tum ne desinant prodesse; at vero hic cultus nequaquam solus ad bestias, per se spectatas, refertur, sed simul majus quoddam respicit numen, utpote quod in istis habitare, et agitare earumque ope vim suam in vitam humanam putatur exserere.

Animalium ergo vita ibi tamquam visibile numinis domicilium stupenti sensui naturali obvenit; et quum bestiae ipsa sentiendi facultate praestent toti naturae torpenti, Zoolatrismus, quoniam illud Esse, quo vivum numen maxime continetur, sentiendi vi est praeditum, religionis, quae simplici et rudi sensu nititur, culmen adeptus est. Jam Pantheismus, postquam per vegetabilium et animalium vitam penetravit, in eo est, ut aliam induat formam; quum enim vita illa sensibilis maximum, quod natura visibilis potest assequi, sit habendum, quo transitus fit ad vitam hypostaticam, nullo alio modo progredi potest religionis conscientia atque idea, quam ut numinis essentia a natura, sensibus subjecta, magis magisque removeatur, ei opponatur, sensimque propius accedat ad hypostasin, quam dicunt, in suapte potestate sitam, propriaque praeditam conscientia. Hunc autem, quo numen vehementer conflictatur viribus istis naturae, caligine circumfusis, ut iis subjectis sui juris possit esse, hunc igitur locum videmus obtinere Persarum religionem lucis, qua religio, stupidis obnoxia sensibus concluditur, et Pantheismi partes excipit

b) Dualismus. E Zoroastri doctrina mundus per creans verbum, Honover dictum, factum est, et primo quidem mundi creati tempore, quo homines omni innocentiae erant dediti, sancta quaedam lex, a propheta illo, Hom appellato, profecta dominabatur; sed non multo post, mundo genereque humano contaminatis, evanuit innocentia simulque saevierunt in orbe tenebrae ac malum. Ormuzd igitur Persarum religione una habetur pura substantia, qua omne servatur verum ac bonum, vel perennis fons omnis lucis, quae tam naturam

perfundit hilaritate ac lumine, quam hominem, tenebris resistentem, veritate illustrat ac probitate. At vero idem ille Ormuzd quamquam ut unica luminis, puritatis, bonitatis substantia omnibus inest, quae sunt, vivunt, sentiunt, cogitant: non ita tamen est potens, ut jam in istas possit dominari absconditas vires, quae ei obstant, et suo jure regnantes, quaecunque ab illo proficiscuntur, conantur obtrudere. Altera igitur non minus substantialis, luci opposita pars habetur Ahriman, tenebrarum ac mali dominus, qui acerrimae cum Ormuzd pugnae implicitus lumen tenebris suis obnixe studet exstinguere. Jam ex aeterno quidem istae tenebrae, velut obscurum confusumque Chaos, jacebant, sed tunc demum Ahriman ad agendum incitabatur et resistendum contra Ormuzd, quum in creando luminis radii in istam rudem et indigestam rerum molem emittebantur; itaque quum lux ut revera luceret tenebras deberet attingere, Ahrimani origo in ipso Ormuzd sese manifestante est posita. Ceterum apparet, hanc unam per omnem mundum pertinentem lucis substantiam non referri ad prius illud Esse naturale, quo numen erat conclusum; imo potius Ormuzd simplex est lucidum, spirituale Esse, ex quo, etsi nondum ipsum fruitur hypostasi, sed adnititur tantum ad eam, omnis tamen hypostasis humana, non minus atque omne verum et bonum emanat. Ita fit, ut e Persarum religione hominis sit munus, non sicut in Pantheismo, propria cogitandi agendique ratione posthabita, uni universali Esse sese immergere, et ad recte vivendum omnes vires quodammodo enecare, sed illi potius Ormuzd totum se dedere, lucem sequi, puritatem omni studio ac labore contendere. Nec

tamen desinit tristissime vexare hominem illud, quod Ormuzd non totus sit in omnium potestate, et quod bonum continuo misere prematur malo; quare ei nondum potest esse justa et perfecta reconciliatio, sed haec tamquam futura est praedicanda usque ad illud tempus, quo Ahriman ab Ormuzd prorsus fuerit oppressus. Ad finem tamen acerrimae hujus pugnae vel ad solvendum utriusque dissidium non perventum est religione Persarum; Dualismus autem esse desinit, si numen non amplius putatur simplex unaque ista lucis substantia, cui, etsi omnium rerum potiri summopere studet, altera tamen tenebrosa naturae pars est opposita; sed quum prorsus imbutum fingitur reali hypostasi, quippe quae propriam adepta potestatem suam, quamvis naturae nondum omnino sit expers, pertinacis certe istius repugnantiae victrix jam sit facta. Numen quando hocce modo paulatim a naturae vinculis liberatur, ejusque vita redditur individua et peculiaris, hominis instar sentiendo, cogitando, agendo praedita, ita ut non solum humana hypostasis adjungatur et inseratur divinae substantiae, sed etiam haec substantia omnino comprehendatur illa hypostasi, vel quando individua conscientia incipit summi aestimari et hypostatica fingendi operandique ratio, cui natura idem valet atque externum quoddam Esse, quod inserviat tantummodo et obnoxium sit eidem illi hypostaticae conscientiae: tunc prodit artis religio una cum Polytheismo, qui tertium eumque summum religionum naturalium tenet locum [3].

---

3) Possis forsitan in idea religionum explicanda ante Polytheismum, qui arte simul indutus est, Germanorum sive

c) Primum hic consideranda est **Aegyptiorum religio**, a qua cum adorato numine hypo-

---

Nordicarum gentium religionem ponere, quorum numen in innumerabiles jam deos dispargitur, ita tamen, ut singulae naturae vires, **ethicis** animi facultatibus vel virtutibus partim junctae partim acerrima pugna oppositae, veluti **personae** illis repraesententur. Est quidem non tantum inter tenebrosam naturam et lucidum spiritum dissidium, quantum in **Dualismo** perspeximus, sed nihilominus inferiores naturae vires nondum ita subjiciuntur majoribus istis **spiritualibus**, ut hae, nullis finibus circumscriptae, in omni sint positae potestate, per se valeant, efficiant, solaeque imperent omnibus. Primi autem **Germanorum** mythi meri sunt **cosmogonici** ac **theogonici**, quos dicunt, de **duobus**, quae ante omne rerum initium erant, agentes principiis, altero **creante**, altero frigida ista continente elementa. Sed quum, **Ymero** et **Hrymthursis**, **chaoticis** naturae elementis, interfectis, **Odinus** ejusque fratres, superiores omnium tum naturae tum hominis facultatum principes, mundum in ordinem redegissent; singulis naturae viribus, suum cuique imperium, ad **Germanorum** civitatis speciem formatum, est tributum. Atque **obscura**, **perniciosa**, ac **terribilia** elementa **Jettis** subjiciuntur, mitiora ac magis placida salubriaque **Zwergis**; quae inter utraque sunt posita elementa, et ad hominum salutem aeque ac calamitatem spectant, **Alfis** tribuuntur. Quibus in mediis potestatibus **Manaheim** positus est, **hominum** regnum repraesentans; at supremum omnium **Asahemi** est imperium, superiorum deorum mundus. Sunt enim **Asi**, non ut isti omnes singularum quarumdam conditionum naturalium formae, sed singulares hypostaticae substantiae, quae omnia penetrant, ad rerum universitatem spectant, ita ut major iis sit tributa vis et potestas. Quorum supremus **Odinus** habetur **lumen** et naturae et conscientiae, quod conjungit omnia, creat, conservat et cognoscit; neque minus ab eo, qui inter homines meat ut **homo**, in naturae rebus ut **piscis** vel **avis**, proficiscuntur sapientia, honor, facundia. Ut vero **Odinum** videmus **lumen** et naturae et hominis, ita **Thor** non solum ad naturam pertinet, in qua organicarum virium **robur** est (itaque semper contra **Jettos** istos pugnat), sed idem ad mentem respicit, atque excitat tum **virtutem** tum **fortitudinem**. Similiter, ne plura cumulemus, aliae **naturales** et ethicae facultates junctim aliis significantur personis. His praemissis liquet, **Germanos** numinis conscientiâ tam naturae quam

statico initium facit ars. **Isis** et **Osiris** amplissimam **Aegyptiorum** cultus habent dignitatem; videlicet secundum vulgarem mythum **Osiris** certo tempore vixit, homines erudivit et venerationem docuit, instrumenta agri colendi iis praebuit, additis frugibus legibusque, vitam communem stabilientibus. Paulo tamen post **Osiridi** invidet **Typhon**, malevolus frater, et occisum persecat quattuordecim in partes, quas quidem e conspectu hominum remotas, **Isis**, fidelissima **Osiridis** uxor, sedulo investigat ac repertas in unum componit, quo conjux divinus denuo reviviscit, et in aeternum modo invisibili jam permanens, cujusvis generis beneficia perfundit in ipsius cultores. Unde perspicimus, religione **Aegyptiorum** numen altissimum, jam ultra naturam externam progressum, essentiam suam cum hominis specie conjunxisse, rebus humanis sua vi ac potestate consulere, et, quum ipsum fruatur **individua** atque **hypostatica** conscientia, humani ingenii substantiae inesse et tamquam tacite secretoque ejus facultates alere. Sin ita vero **hominis ingenium** prae se fert veluti campum, in quo numinis vires exserendi et exercendi copia datur, ex hominis quoque imaginatione, consilio, voluntate, actione quae manant, superiora habeantur necesse est naturâ, iisque, quae ultro sub oculos cadunt. Neque amplius igitur natura, per se spectata, simplex fingitur et absoluta forma vel unicum numinis vestimentum, sed postquam illa summam amisit dignitatem divinam

ingenii vires tamquam **deos** comprehendere, neque alterum alteri jam potuisse innectere, ita ut **unum** prodiret **totum**, **hypostaticum**, omnibus **superius**, omniaque in se continens.

ipsumque numen in individua hominis conscientia, veluti domicilio suo est deversatum, non minus hominis ingenium, quae in ipso sunt sita, enixe studet explicare et in conspectum proferre, idemque prolatum jam ipsi habetur summum. Utcunque autem prope jam accessit numen ingenio humano, non omnino tamen abest humanum hoc ingenium a natura, cujus modo quasi cunabula deseruit; quo fit, ut fingendi operandique ratio, cui totum se nunc dedit homo, primum conversa sit in naturam, et indigeat naturae auxilio. Ita quae natura offert, sua mente suoque labore homo incipit conformare, quo res naturales, justam nactae dignitatem ac pondus, magis sese applicent cum ad humanum ingenium tum ad ipsum numen divinum. Neque minus ab initio paulo tantum possunt distare, ea quae homo sua arte peragit, ab ipsa rerum materia, qua indigebat suum ad opus persolvendum; id quod accidisse videmus in Aegyptiorum artificiis, in obeliscis exstructis et pyramidibus.

Artis quidem accrescentis fundamenta sunt jacta apud Aegyptios, sed hoc in artificiis illis desideramus, quod nondum ipsâ formâ, quid sint significatura, indicent, sed extrinsecus artifex iis praebuerit significationem aliquam; quapropter rei consentaneum est, ex ipsa Aegypto originem ducere symbola et hieroglypha, quae vocant, ibique sedem habere. Jam artificis studium in eo est collocandum, ut artificiis illam inserat figuram, qua quid vere significent interius, aperte exprimatur exterius; ut porro artificium ad eam tollatur formam ac speciem, quae ipsum artificem adaequet, atque in qua non minus divina, quam humana cernatur vita. Denique omnem operam impendat artifex

nunc necesse est, ut vividam istam imaginem, quam sibi finxit numinis, hominum instar viventis, cogitantis, agentis, statuis ad vivum exprimat; sicut vero multiplex ac varia est imaginandi fingendique ratio, ita non minus ea, quae artis ope ante oculos ponuntur, varietati multiplici sunt subjecta; quare hîc Polytheismo amplissimus patet campus, et ad summam evehitur perfectionem; cujus quidem rei documenta splendidissima suppeditant Graeci.

Naturales religiones Graecorum artis religione in summo stant fastigio, et plane jam sunt commutatae; Fetischismus, ut vidimus, singulas respicit corporeas, vivae et spiritualis formae expertes res, quae externam ad humanum ingenium habent rationem; Polytheismus autem, res informes, deorum naturae repugnare, perspiciens, singulas spectat humana imaginatione et arte fictas figuras, quae internam tuentur et gravem sententiam; deinde Indorum Pantheismus unam respicit immensam substantiam, quae, hypostasi vel individua conscientia carens, per omnes singulas res totumque pertinet mundum, in Polytheismo contra una ista substantia tamquam dilapsa est in singula sua membra seu momenta spiritualia, quae, humanâ induta formâ, vel sensus, cupiditates, cogitationes putantur habere, id quod artifex tota specie, habitu, vi et vigore, singulis statuarum lineamentis significat; denique in Dualismo lucidae spiritualis regni vires nondum sibi possunt subjicere tenebrosas naturae malique vires, in Polytheismo autem Titanes vel infausti isti tenebrarum principes jam oppressi coërcentur et ad terrae extremum expelluntur; quo prior tardae naturae dominatio ad spirituales, liberas, ethicasque transiit naturas. Licet vero Graecorum

religione natura jam postponatur, et deorum hypostasis omnium sit summa, nihilominus ejusdem religionis essentiae, naturalis tamen adhaeret pars quaedam, quoniam tum ipsa humana ars elemento naturali esse non potest destituta, tum dii non sunt ipse spiritus, sed ejus habentur tantummodo participes, vel gaudere dicuntur cogitandi facultate. Nequaquam libero in illo, ab omnibus rebus naturalibus amoto spiritu, sed in statuis, ingenii humani rerumque, quas natura offert, ope atque auxilio confectis, conspicit homo adorandos deos, quales integri sunt et regnant in Olympo; statuae igitur, pulchritudine summa humanae formae et speciei praestantes, vivam quasi coelestium deorum imaginem pingunt, qua homo, ut veram deorum sibi possit proponere naturam, nequit carere. Deorum autem essentiam esse imaginantur naturam cogitando repletam vel hypostatica cum vita unitam; elementa enim seu naturae vires abstractum et substantiale suum Esse referunt ad deos, sive est Jupiter, sive Apollo, sive Neptunus, sive Bacchus, sive Ceres; nec tamen coelestes dii ipsi vere sunt naturales vires, sed substantias universe efficiunt illarum; quare, quamquam Jupiter fulgorem et tonitru efficit, vel Ceres ubertatem frugum et fructuum juvat, vel Bacchus vinum jubet provenire, nihilominus neque fulgor et tonitru ipse est Jupiter, neque ubertas soli Ceres, nec vinum Bacchus, nec lumen Apollo, sed horum omnium dii non nisi substantiales sunt potestates. Attamen deorum natura non solum substantiis istis continetur, sed simul libera hypostasi individuaque conscientia sunt praediti, et quomodo hominum more in Olympo versantur, cogitant, resque suas administrant, sic singulorum homi-

num cogitandi agendique rationi intersunt, ac populi rei publicae quam maxime consulunt, id quod oraculis praecipue in medium profertur. Finitam quidem hominum vitam angustumque agendi campum universales illi dii, quorum libera vita in sua est posita potestate, superant, siquidem iis praesunt, quae pertinent ad mundum vel hominem; sed nihilominus ipsi illi dii immortales aequiparant homines eo, quod, individua vitae conscientia, sensibus, cupiditatibus, libidinibus instructi, innumeris ad vivendum necessariis egent rebus; neque minus iidem sese mutuo alter per alterum finiunt, atque invicem repugnandi studio incensi, ad unum omnes subjecti sunt uni universali totius mundi potentiae invisibili, vel fato. Graecorum dii potentes quidem habentur et sapientes, alterque altero putatur potentior et sapientior, sed haec potentia vel sapientia, quaecunque est, non minus ac tota eorum vita finibus quibusdam est circumscripta; nam finita est uniuscujusque dei provincia, in qua vires exercendi ei data est copia, ultra quam non potest progredi, ac praeterea sicut cujusvis generis necessitatibus sunt adstricti, ita loco vivunt certo ideoque finito, et tempore facti sunt certo, id quod eorum testatur theogonia. Unum autem istud infinitum, omni tempore, omni loco, omni vita individua superius, est fatum, cui neque homines neque dii possunt resistere, quoniam omnipotens omnium rerum est substantia. Atque illud ipsum, quod fatum esse, omnibus diis coelestibus majus, potentius putatur, non potest non efficere, ut mox ipsorum deorum sentiatur conditio circumscripta, eorumque auctoritas sensim diminuatur; nec tamen, historiae respectu exterioris, Graecia ethnicorum deorum est sepulchrum, sed

Roma, ubi, Olympi regno postremo restituto, iidem ad interitum trahuntur necessarium.

Apud Romanos cuncta fere religio ethnica in unum quidem contracta, sed per diversissimas simul partes videtur disjecta, ipsam ruinam atque excidium appetens. Ne ipsam forte putemus religionis ideam hic sese explicare ulterius, sed tamquam complexum earum, quae antea vigebant, religionum, priori integra immediataque destitutum dignitate. Polytheismus orbatur pulcherrima ista Graecorum artis ingenuae forma, et diis quae prius attribuebatur sententia summis, magis magisque solas ad res refertur humanas, terrestres, vanas, quin ipsi dii, interiori hominum vinculo rupto, mundo non connectuntur nisi speciose et maxime extrinsecus. Romanorum, quum primum palam prodiebant, religio exordia capit a rudibus sensibus, defixis in naturae temporisque variis commutationibus, itemque in diversis humanae vitae rationibus; quapropter variorum anni temporum sunt et coluntur varii dii, et cuivis fere hominum conditioni singularis praeponitur deus, qualis est deus pacis, tranquillitatis, famis, aliarumque rerum. Nec tamen prima haec religionis conscientia vel totum occupat hominem, vel interiori nititur firma sententia, stabilique fundamento, qua de causa non multo post innumeri aliarum gentium dii, imprimis Graecorum deportantur in terram Romanam, ibique continuo coluntur. Sed in hoc quoque, id quod aliter fieri nequit, parum acquiescunt; dii enim, universali, atque ex hominum arbitrio non pendenti idea omnino omissa, voluntariae mox cujusvis hominis auctoritati et opinioni subjiciuntur, ita ut sua quisque ex libidine sibi fingat deos, et modo hoc, modo illud habeat sacrum,

quo cultus superstitiosus amplificetur. Accedit denique, ut dii, spiritualis ab hominibus agnoscendae veritatis omnino expertes, unice inserviant commodo vel utilitati; causa igitur numinis colendi non sita est in pio hominis sensu, omne lucri studium fugiente, sed a privatarum rerum desiderio vel ab hominis captando commodo proficiscitur. Nec sensibus istis integris, maxima ubertate vigentibus, quibus primae religiones naturales nituntur, nec jucunda, in qua posita est artis religio, phantasia, movetur Romanorum ingenium, sed, religione ab omni fere firmo et positivo argumento remotâ, nil postremo restat, nisi ut addubitans et negativa cogitandi ludendique ratio oriatur; cujus quidem rei insigne est ac luculentum exemplum satira ista, quae vere et maxime Romanorum ingenio est propria, sicut Graecorum contra est carmen epicum, hymnus, tragoedia, quamquam apud hos quoque postremo res, sacrae vulgo habitae, et comoediâ et alia ratione in ludibrium vertuntur. Quem ad finem Ethnicismus non potest non pervenire; nam simulatque homines incipiunt cogitare, id quod a Graecorum et Romanorum religione non ita multum est alienum, sentiunt et percipiunt, quaenam sit vera fictorum deorum ratio; opiniones istae et imagines, a quibus ethnici dii sunt profecti, cogitationes jam attingunt, quo mox ventum est ad meditandum et ratiocinandum de natura deorum. Quum vero ratiocinationis sit dubitare, et quae sensibus vel phantasiâ accipiuntur tamquam certa, ea ponere incerta, ipsi dii isti addubitantur, vellicantur. Rerum naturam accuratius perscrutatus negat homo, elementorum substantias, per deos repraesentatas, sui juris posse esse; diffidit diis, quippe qui bilingues per oracula ipsi

responsa dederint fallacia; intelligit, diis, licet hypostatica quadem forma sint instructi ab hominibus, hanc ipsam hypostasin non nisi affictam, nec vere iis esse propriam; statuae, quantacumque sunt fictae pulchritudine, jam mortuorum sunt monumenta, Olympus fabulosorum est heroum tumulus; actum est de diis ethnicis! Quam leves et ridiculi Graecis eruditis et Romanis postremo videantur dii, quantopere cultus communi sit derisui, sat superque apparet ex Aristophanis, Luciani, Ciceronis, Horatii, Persii, aliorum scriptis. At vero mundus a deo, vel deus a mundo non potest avelli; etiamsi dii removeantur, deus tamen manet, ad eumque homo magis magisque trahitur. Istae videlicet meditationes, dubitationes, infitiationes primum efficiunt, ut homo priores cunctas de numine opiniones vel imaginationes, quippe quae ejus essentiam parum attingant, rejiciat faciatque nihili; ut quodvis concretum seu corporeum Esse, omnem individuam et finitam naturam, ipsamque humanam vivendi, cogitandi, agendi rationem ab eo abstrahat, itaque deus, mundo, individua hominis conscientia ejusque hypostatica vita superior, mente excogitetur ut essentia una, extra mundum posita, infinita, summa. Ecce Judaeorum Jehova! Ethnicis igitur iisdemque naturalibus religionibus nunc opponitur

2) Judaica, quae, quum abstracta hominis mente ac lege, in qua divina idea jam sese est explicatura, sit fundata, deum profitetur, omni Esse naturali abjecto, solo in Cogitando versari. — Postquam secundum explicationem propositam religionis idea primum a singulis (Fetischismo) profecta per specialia, quae dicuntur (Sabaeis-

mum et elementorum cultum), progressa est ad unam universitatem (Pantheismum), et ab hac iterum sese promovens per dissidium et dimicationem (Dualismum), pervenit ad hypostasin s. ad singulas conscientia praeditas naturas (Polytheismum), ita tamen, ut vel summo gradu naturales adhuc conditiones deorum numini adnectantur: nunc eadem illa idea divina extra omnia, quae ad naturam, mundum, hominem pertinent, procedens, abstracta hominis mente percipitur ut deus, unicus et universus, qui ipse naturae substantiis non inest, sed rationem tantum habet specialem ad creatam terram, mundum praecipueque ad populum quendam electum. In Judaismo igitur non amplius unum solummodo momentum, cum altero omnino confusum, sed utrumque et universum (infinitus Jehova) et speciale (finita natura, mundus, populus) sub oculis est positum, sed discissum item et a sese disjunctum. Perfecta vero ideae sese explicantis veritas, id quod postea videbimus, ita perficitur, ut deus omnium istorum trium momentorum unitate comprehendatur, ideoque tum universus sit, a quo omnia proficiscantur, tum specialis, ipse in natura, mundo, genereque humano praesens, tum singularis, qualis in ϑεανϑρωπῳ fuit, Jesu Christo, atque in aeternum ut spiritus in omnibus est singulis hominibus. Sed jam ulterius ad judaicae religionis naturam significandam progrediamur.

Judaica religio, quum primum in mundum prodiebat, non multum abhorrebat ab ethnica religione, cujus instar numen, in visibili versans natura, commercium cum homine habet, et consilia sua voluntatemque exsequitur, nec minus Ethnicismum

redolent simplices illi atque integri sensus et praesagia, signa et nutus, qui coelitus proficiscuntur, somnii visa, miri et repentini angelorum vel ipsius numinis in terram adventus, et quae reliqua sunt. Moses demum, ethnicis additamentis exstinctis, religioni judaicae propriam naturam verumque ingenium inserit; nam, eo auctore, Jehova, multis istis gentilium diis oppositus, ab omnibus elementis et conditionibus naturalibus maxime alienus, omnique individua carens figura ac specie, una est et universalis essentia spiritualis, cujus homini nulla sit fingenda imago. Deinde, quibuslibet creatis et idolis objectus, idem est omnipotens creator ac dominus omnium, quae condita in mundo cernuntur, ac ne inest quidem ille in his, sed ultra haec cuncta positus, tamquam infinitus artifex extrinsecus accedit ad opus creatum. Denique, humanae cogitandi agendique rationi oppositus, iste Jehova sapientissimus est legislator justissimusque judex, qui, quum ipse homini non sit praesens, sed absconditus et invisibilis — cujus scilicet adspectu homo statim debeat mori! — per nuntium seu servum legem curavit tradendam, qua voluntatem suam jussusque proposuit, et populum suum sanctum ac dilectum, cujus ipse est rex, sibi adstrinxit. Lex igitur intercedit inter hominem, conscientia inanitatis suae, infirmitatis, peccati laborantem, atque inter deum, infinitum creatorem ac judicem justissimum. Ex omnibus, quae vere ad religionis judaicae pertinent ingenium, duplex perspicitur ratio, vel disjunctio, quod quidem mirum esse non potest, quoniam humanae a divino spiritu abstractae mentis est et legis, qua utraque Mosaica religio nititur, unitatis loco sejunctiones statuere et

oppositiones; quo fit, ut deus, creator summusque dominus separetur a mundo creato et homine obediente, nec quisquam nisi summus populi electi sacerdos Jehovae appropinquare possit, isque semel tantum per annum. Ita tempus praeteritum, ut beatum, quo numen vel hominibus apparuit et patriarchis promissiones praebuit salutares, distrahitur a tempore praesenti, ut destituto, quo populus, quamvis Jehovae sit acceptus, nulla tamen peculiari miraque revelatione, nullis extraordinariis eximiisque gaudet beneficiis; ita non solum eorum, quae pertinent ad vitam, continuo purum et sanctum ab impuro et profano disjungitur, sed ipsi Mosaicae religionis sectatores, quibuscum Jehova foedus sancivit aeternum, secernuntur a reliquis omnibus populis, quos deus dicitur negligere ac contemnere. Jam si istam spectamus rationem, quam tum Jehova ad Judaeos, tum hi ad reliquas habent gentes, religio judaica, omni carens natura universali, separationis partes excipit; quod vero ad tempus attinet, eadem illa religio sita est in inopia et dolore, quum omnis salus aut tempori subjiciatur diu praeterito, aut in incertum quoddam conferatur tempus futurum, quo Jehova omne expleat beatitudinis desiderium, eamque effusurus sit super gentem judaicam; denique si legem respicimus, qua deus ut summus dominus, homo autem ut servus constituitur, religio Mosaica servitutis prae se fert speciem. Itaque quum haec religio neque sit universalis, neque libera, neque hominem vere reconcilians cum deo, non minus ac priores naturales religiones semina necessarii tam interitus, quam in aliam transitus in semetipsa continet. Recte quidem deus visibili natura, homine vel individua finitaque

conscientia est superior, sed nequaquam separatus a mundo genereque humano, quod si esset, facile deus merum abstractae hominis mentis videretur figmentum; deinde, quamquam lex, quae revelata religionis Mosaicae est dei idea, maximi est aestimanda et necessarium tenet locum, quum, quae probitatis conscientiae sunt insita atque innata quibusque communis fundatur vita, ea, peccato opposita, cuilibet observanda ac diligenter curanda plane perspicueque pronuntiet: nihilominus veram hominis conditionem haud explet, qui licet praecepta videatur sequi, interioris tamen pii sanctique sensus expers possit esse. In hoc ergo rerum cardo vertitur, ut tum ille deus magis inseratur homini, tum hic homo pectus suum compleat iis, quae pertinent ad dei naturam. Latius autem sese explicantis religionis ideae locum proximum maximeque necessarium obtinent Prophetae, qui ipsi rationem istam externam, quam lege homo obediens habet ad deum dominantem, eo incipiunt tollere, quod unumquemque jubent, non privati commodi studio, vel poenae timore, vel exspectatione beneficiorum, sed interna pietate atque amore ductum, divinae voluntati satisfacere probeque vivere. Hi dei gratiam, amorem, spiritum non uno singulari coërcent populo, sed super omnes omnino gentes pronuntiant effundendum; arctissimamque inter deum et hominem intercedentem conjunctionem divinantes, animum advertunt ad Messiam venturum, in quo item verus deus sit futurus in mundo praesens. Prophetae igitur, quum, disjunctione, quae universae inest religioni judaicae, abjecta, in eo sint, ut dei ideae arripiant unitatem generisque humani naturae, animum remoturi a metu ad fidem firmamque in deo positam fiduciam, ab obedientia

ad amorem, a servitudine ad libertatem vel a lege ad spiritum: abstractam mentem efferre student ad rationem, divino spiritu servatam, quò transitum faciunt ad christianam religionem, utpote qua omnis religionis idea divina per θεανθρωπον ad summum evecta est fastigium.

3) Tempus vel externam historicam partem si consideramus, religio christiana certam habuit originem, et sicut reliquae omnes religiones peculiarem suum locum tuetur, at vero si divinam atque aeternam ejus notionem vel naturam perpendimus, non solum arctissime cum reliquis cohaeret, sed ipsa est illa dei idea, per omnes religiones explicita, ita ut, quod in hisce inest verum, ad christianam pertineat, eâque demum perficiatur. Quoniam enim dei filius ab aeterno hominum rationibus diligenter consuluit ac prospexit, non possunt priores religiones omnis christianae speciei omnino esse expertes, imo potius illis ipsis via est munita ad christianam, quae tamquam complexus est ac complementum omnium religionum veritatis. In ethnica autem religione numen omnino nihil est aliud, nisi substantia, cum iis, quae sunt exorta, in unum confusa, ita ut hocce numen in rerum universitate per se comprehendatur, naturâ, tamquam exteriori forma, a substantia, veluti interiori essentia, nondum sejunctâ. Sane quidem deus, ut realis sit, extra ea, quae vere sunt, esse non potest; at veritas dei nequaquam in naturali Esse, sed in eo est posita, ut deus simul sit spiritus, ad quem substantia illa tollatur necesse est. Unde intelligimus, ad summum in ethnica religione hominem praesagire vel obscure sentire verum; quoniam tamen sensus, vel opiniones, vel imaginationes

ad meras cogitationes nondum sese possunt attollere, ethnicum numen, licet realitatem habeat, cogitatae tamen veritatis est expers. Deinde in judaica religione substantiae loco prodit essentia cogitans (Jehova), in sua posita potestate neque ab alio quoquam definita, quae causa est infinita, abs qua eae, quae praesentes sunt res, ut creatae seu effectae, disjunguntur, ita ut causa seu creator et effectus seu creatum, veluti duae, quae per se valent, existentiae cogitentur. Etsi vero deus, ut ad veritatem possit pervenire ab iis, quae in conspectum veniunt, secernendus est, non omnino tamen a natura, mundo, genereque humano est separandus, sed haec omnia in illo servantur; alioquin deus omnis realitatis esset expers. Itaque in judaica religione excogitatur quidem verum, at quum hoc fiat abstracta mente, quae vel ipsi causae opponit, quaecunque ex eadem ipsa proficiscuntur, vel rerum praesentium auctoritatem omnino negligit, Judaeorum Jehova realitate caret praesenti. Quae in utraque hac religione separata arripiuntur, ea ipsa in christiana religione intelligimus unita; etenim hujus religionis summa est realitatis (substantiae in rebus praesentibus sitae) cum veritate (infinita omnium rerum causa) conjunctio, quae comprehenditur eo, quod divinum Esse et Cogitare sunt unita seu in identitate versantur, quae disjuncta membra complectitur; unde christiani dei essentia ac natura nihil aliud est, nisi ipsum Esse (realitas), quod est Cogitare (veritas); quae quidem unitas non ficta est inani imaginatione vel temeraria hominum mente, sed ipsam in θεανθρώπῳ Jesu Christo perspicuam ac praesentem habemus, in quo non minus

Esse sit verum, quam Cogitare reale. Rectam vero hujus notionis conscientiam homo non potest assequi, nisi per rationem, a dei spiritu non sejunctam, sed in eo ipso servatam, seu per eam intelligentiam, quae, quum veritatem in rebus praesentibus s. realitate perspiciat, concreta dicitur, tam ab ethnica ista sentiendi et imaginandi, quam ab judaica abstracte cogitandi ratione alienam. Est autem deus primum substantia, simplex eadem atque absoluta, in qua omnia reclusa tenentur, quae tantum abest, ut ex aliis pendeat, ut ipsa sit causa finisque sui, et fundamentum omnium, quae sunt, in se contineat. Quae quidem substantia, ut ne sit Esse inane, non potest non interiorem suam copiam immensam ac sententiam evolvere atque exserere, quo fit, ut deus, quae sunt in ipso sita, infinitum in modum explicans seu ad effectum exteriorem producens, sit creator, quae vero explicantur, sicut natura et homo, sint creata. Quaecunque tamen creantur, quoniam facta apparent et causam originemque non e semetipsis, sed e creatore derivant, distincta sunt ab hoc, qui causam sui habens in semetipso neque in alio quoquam, non est factus; unde jam exsistit magna ista inter finitum et infinitum discrepantia, cujus summum fastigium est temeraria hominis libido et malum. Sed deus, quum in creando ipsum se revelet, nec quidquam a se suaque natura alienum ac separatum, creatoris et creati vinculum tenetur arctissimum, neque ullum omnino, quod attinet ad unam substantiam, inter utrumque est discrimen; quapropter deus non est creans solum, sed, quae e legibus firmissime constitutis vigentibusque creavit, ea secum simul habet conjuncta, ipsique homini, avulso per libidinem malum-

que suum a deo, revertendi ad deum seque cum eo reconciliandi ac conjungendi tam facultas, quam necessitas insita atque innata est. Hac autem mutua efficacia vel hoc invicem sese recipienti motu creati cum creatore uniendi, deus cernitur in aeternum per genus humanum vivus, infinitus, spiritus liber, qui tum mundum ex prima substantia proficiscentem, tum revertentem per continuam explicationem ad unitatem ejus, tum sese ipsum comprehendit universae vitae omnisque unitatis culmen.' His jam praemissis, deum nec secundum Ethnicorum opiniones naturali tantum Esse totum inclusum, nec a mundo omnino seclusum, ex Judaeorum judicio, et sola in cogitatione abstracta versantem liquet esse, sed in mundo vivum spiritum, ad quem reale Esse cum vero Cogitare conjunctum pertinet. Individua et peculiaris hominis ratio seu intelligentia tum cogitat, tum cogitans (in cogitando) simul est; ejusdem ergo Cogitare et Esse non est unum ab altero sejunctum; quoniam vero eadem est individua, eo ipso est finita, vel loco et tempore vel necessitatibus, vel alterâ individua ratione. Deus autem in omnibus individuis et peculiaribus intelligentiis s. rationibus est unum illud universale Esse, quod ipsum est in iisdem illis omnibus intelligentiis Cogitare; itaque deus prodit spiritus, qui, in toto genere humano libere et infinitum in modum sese explicans, ex altera parte dum in semetipso est, una in individuis est intelligentiis (quoniam ille esse non potest extra has) ideoque realis est, ex altera parte dum in individuis agit intelligentiis, in semetipso (quoniam illae esse non possunt extra hunc) ideoque verus est. Attamen difficillima haec dei notio ut accurate expone-

retur, gravissimae christianae religionis doctrinae dogmatice essent explanandae, id quod a nostra re proposita est alienum. Opinamur autem, interiorem ideae in religionibus sese explicantis nexum strictim nos significasse; quapropter jam progredimur ad exponendam alteram eamque exteriorem religionum partem. In qua re primum quidem imprimis purgandi ritus describemus, deinde ethnicum omnino et judaicum cultum, cum christiano comparatum, dijudicabimus, quo facilius transeamus ad sacramenta.

II. RITUUM PURGANDI DESCRIPTIO ATQUE ETHNICI JUDAICIQUE CUM CHRISTIANO CULTUS COMPARATIO.

§. 32.

Exterior nationis cujusvis cultus totum se fingit et accommodat ad interiorem numinis conscientiam, quae quo verior magisque spiritualis est, eo puriorem et a rebus corporeis remotiorem reddit illum. Quum homo pietatis sensu, per intimum pectus incense, motus, majus aliquid altiusque agnoscit, ipso cultu nihil aliud studet efficere, nisi ut rationem, inter se et agnitum numen intercedentem, arctiorem reddat, quo ipsum numen propius sibi accedat mireque faveat. At opiniones, quas habet de numine, quum corporeae sint, ejusdem generis debent esse ipsa adjumenta, quibus numen sibi vult propitius reddere; quo referas sacrificia, lustrationes, purgandi ritus[4]). Impurum enim, puro numini suo oppo-

---

4) Plura de ritibus veterum gentium sacris, lustrationibus, sacrificiis inveniuntur apud Meiners in lib. isto, vigoris et san-

situm, homo mox sentit se esse, sed interioribus cum exterioribus prorsus commixtis, lustrationes purgandique ritus usurpat, quibus una cum corporis ablutione ipsa animi purgatio efficiatur; neque minus, quum istis purificationibus non tam numinis, quam suam potius respexerit conditionem, res ipsi carissimas, quo numinis desideriis satisfaciat, lubenter ei praebet, sacrificia offert, tamquam illi sint necessaria. Purgandi igitur ritibus, quibus homo a sordibus sese vult purgare, conscientia discordiae, sacrificiis autem, quibus numinis gratiam benevolentiamque studet acquirere, desiderium reconciliationis, obscure significatur. In imo tamen religionis gradu, sicut in Fetischismo, homo vel ipsam istam nondum habet conscientiam, quod numen sibi fictum omnium rerum sit summum, labium expers, castum et sanctum, et quod homo, improbus cupiditatibusque deditus, ab isto sit alienus ideoque cum eo reconciliandus. Quod quum ita sit, sacrificiis quoque et lustrationibus illic non opus est, sed homo rudi naturae appetitu vel puerilibus sensibus ductus nihil agit, nisi ut singulas sensibus subjectas res modo blanditiis magni aestimet, modo rejiciat, itaque e libidine dissoluta eas tractet, securus de animi affectionibus ejusque salute. Quando vero homo ex hac rudis stupentisque sensus conditione ad altiorem religionis conscientiam est evectus, tunc cultum ceremoniis sacris, sacrificiis, lustrationibus continuo videmus im-

---

guinis omnis experte: Kritische Geschichte aller Religionen. I. p. 101 sqq., II. p. 105 sqq. Itidem non pauca miscet ac turbat Lomeier lib. insc.: de veterum gentilium lustrationibus etc. Praeterea multa, lectu digna, leguntur libris, quos supra citavimus.

pletum. Jam apud Sinenses magno sunt in honore cujusvis generis sacrificia, quorum uno maxime, ab ipso imperatore certo tempore oblato, coelum cum populo toto expiari putant; atque omnino coeli adoratio potissimum sacrificiis offerendis continetur [5]). Indis, licet cruenta sacrificia sint interdicta, quoniam animalium vita habetur sancta, alia tamen non desunt, et praeterea ceremoniarum sacrarum et purgandi rituum auctoritas tanta est, qua vix major possit ulla alia reperiri. Hominem enim quum mundana quam maxime negligere, et totum velint vitae contemplativae deditum esse, rerum munera earum, quae sub sensus cadunt, negotiorum administrationem, sedulam cum hominibus consuetudinem imprimisque peregrinorum atque eorum, qui vel morbi vel ordinis causa habentur impuri, usum, haec igitur omnia et quae reliqua sunt, hominem opinantur ab uno universo Esse abducere eumque polluere. Qua de causa Vedi jubent, unumquemque tum ante gerendas res suas, tum post eas purgationibus uti praescriptis. Neque minus magnum habetur officium, ut legis studiosus, siquidem puritatem vult assequi et sanctimoniam, purgationibus omni, qua par est, ceremonia indulgeat, easque pluries per diem ex ordine praecepto in semetipso adhibeat. Tam anxie in externis ritibus progrediuntur, ut vel praescriptum sit, qualis esse debeat purgandi ista aqua, quo tempore et loco, nec non qua manuum parte, et quo corporis habitu ac positione purgatio sit peragenda, quae corporis partes imprimis sint purgandae, quoties purgatio sit repetenda, quotque sint obser-

---

5) Quae ad Sinensium pertinent religionem et cultum, accurate pertractat Windischmann lib. sup. cit.

vandae ablutiones sacrae; neque enim eaedem in omnibus adhibentur, sed prout homo vel ad hunc, vel ad illum pertinet ordinem seu propriam vitae sectam, varium quoque in modum idem purgatur. Sicuti denique Indi innumeras res habent sordidas, quae ne tangantur, homini sit cavendum, nisi itidem se contaminatum esse velit, ita homines quidam aegroti, ut leprosi, quorum morbum divinam opinantur esse poenam peccatorum, vita antecedenti commissorum, censentur impuri, qui vita solummodo contemplativa, poenitentiae suppliciis juncta, ceremoniis sacris, et purgationibus praescriptis a sordibus magis magisque possunt liberari [6]).

Non minori in auctoritate lustrationes sunt apud veteres Parsos; summa enim, in qua eorum cultus idea versatur, disjunctio est earum, quae purae existimantur, rerum ab impuris, et Zoroastro auctore, hominis est, tam in cogitando, dicendo,

---

6) Singula, quae Indis ad vitam moderandam necessaria habentur, praecepta enumerantur in: Manava — Dharma — Sastra or: The Institutes of Manu — edited by Gr. Ch. Haughton. Lond. 1825. Quae nostrum propositum attingunt, proferre liceat, quapropter vid. cap. II. n. 58 sqq. p. 29.: „Let a Bráhmen at all times perform the ablution with the pure part of his hand denominated from the Véda, or with the part sacred to the Lord of creatures, or with that dedicated to the Gods, but never with the part named from the Pitris. — Let him first sip water thrice; then twice wipe his mouth; and lastly touch with water the six before mentioned cavities, his breast, and his head. — He who knows the law, and seeks purity will ever, perform his ablution with the pure part of his hand, and with wather neither hot nor frothy, standing in a lonely place, and turning to the east or the north. — A Bráhmen is purified by water that reaches his bosom; a Cschatriga by water descending to his throat; a Vaisya by water harely taken into his mouth; a Sudra by water touchet with the extremity of his lips." — Cfr. n. 104. ej. lib. p. 36.; et cap. V. n. 76 sqq. p. 155.

agendo, quam quotidiana in consuetudine sese abstinere ab omni impuro, assiduaque prece ea, quae puritatis prae se ferunt speciem, colere; unde jam Dualismus, quem supra consideravimus, non obscure perlucet. In Zendavesta quattuor praescribuntur purificationum genera, quorum primum (Padiav dictum) ad singulas plures corporis partes solenniter abluendas adhibetur; secundum (Ghosel) totius corporis est ablutio, aliis nonnullis ceremoniis additis; tertium (Baraschnom no schabé) et quartum (Si schoé) prioribus habentur graviora et efficaciora, imprimisque tertium istud, omnium gravissimum et efficacissimum, tunc usurpatur, quum aliquis Parsorum sacra secutus, ex inferiori gradu pervenit ad superiorem. Justa porro Parsorum initiatio multis quidem ceremoniis rite perficitur, maxime autem in eadem valet tertius ille purgandi ritus, quem homo subit, simulatque ad certam aetatem provectus est et zonam (Kosti) potest induere. Quae initiatio locum suum habet non minus in infidelibus, qui, ad Parsorum religionem transituri, primum confessionem fidei pronuntiant, se Zoroastri legem velle sequi, ter palam professi, deinde tres per dies peculiari a Persis praeparato victo puro nutriti, plures discunt precationes, varia occasione oblata adhibendas, quo facto purificationem istam tertiam accipiunt, et inter justos Zoroastri doctrinae sectatores referuntur [7]). Multum de

---

7) In „Zend-Avesta, ouvrage de Zoroaster par M. Anquetil du Perron — à Paris 1771. tom. sec. p. 546 sqq. Parsorum purificationes ita describuntur: „Les Parses ont quatre sortes de purifications, le Padiav, le Ghosel, le Baraschnom no schabé, et le Si schoé. — Le Padiav consiste a se laver avec de l'eau les mains et les bras, jusqu'aux

eo disputatum est, num **Judaei** suum proselytorum baptismum ab hac **Parsorum** initiatione petierint, neque injuria mireris, quod de eo non sit disceptatum, numne **Judaei** purgandi ritus ab istis **Parsorum** purificationibus duxerint. **Judaicus** certe proselytorum baptismus, etsi valet inter ipsum et initia-

coudes, le visage jusque derrière les oreilles, et les pieds jusqu'à la cheville etc. — Le Ghosel est une simple ablution de tout le corps, faite avec de l'urine de boeuf. On se sèche ensuite avec de la terre, et l'on se lave après cela avec de l'eau etc. — Le Baraschnom no schabé, c'est-à-dire, le Baraschnom de neuf nuits, est la plus efficace de toutes les purifications" — de qua purificatione postquam plura addidit, aliasque nonnullas ceremonias descripsit, ita pergit: „Ceux qui sont souillés ne recoivent dans l'Inde que le Si schoé, c'est-à-dire, les trente ablutions, qui demande moins de préparatifs" etc. — p. 554. Parsorum initiationem hisce enarrat verbis: „Telles sont les deux degrés de l'initiation Parse. Vivifiés en quelque sorte à leur naissance par le Hom qu'ils boivent alors, et lavés par le Néreng, les Parses ne sont malgré cela entièrement purifiés que par le Baraschnom no schabé, qu'ils prennent avant que de mettre pour la première fois le Kosti; ensuite le No zoudi, ou le Gueti-kherid (c'est-à-dire: acheter le monde céleste), leur donne droit au Ciels comme vrais Behdins. Et cette initiation a aussi lieu a l'égard de l'Infidèle; c'est-à-dire qu'il peut devenir Behdin. Voici de quelle manière la chose se fait. D'abord celui, qui veut être Behdin prononce la profession de foi, qui est au commencement du livre des Jeschts, et dit trois fois: je veux suivre la Loi de Zoroaster. On le conduit ensuite devant le Mobed, qui recite sur lui plusieurs prières. On le nourrit pendant trois jours de mets préparés par des Parses, parceque la nourriture qu'il a prise jusqu'alors est reputée impure; il apprend les prières qui se disent aux cinq gâhs du jour, celles des repas, des sanctions naturelles, celles qui se disent avant et après le sommeil, avant et après l'action maritale, après la pollution involontaire. On lui donne ensuite dans l'Inde le Si schoé, au Kirman le Baraschnom no schabé; il met le Saderé, le Kosti, et est Behdin. Il doit après cela faire le No zoudi ou le Gueti-kherid.

tionem istam persicam similitudo quaedam, profectus est e judaicis purgandi ritibus, qui una cum lege Mosaica jam existunt; in omnibus autem veterum gentium religionibus, quippe quarum essentia non tam spiritum, quam sensus respiciat, lustrationes vel purgandi ritus necessarium obtinent locum, et quum causa prima, ut iidem existant, in proprio sit sita rudi hominis sensu, difficile sane est investigatu, utrum haec, an illa gens eos prius habuerit, id quod nostra prorsus nihil refert.

Item Aegyptiorum cultum quibusvis ritibus sacris satis refertum videmus, neque in solemnitatibus solum utebantur lustrationibus, sed iis etiam, qui praeerant cultui, cavendum erat, ne se et quae pertinerent ad necessaria, sive erat cibus, sive vestes, sive vasa potoria et escaria, contaminarent; quocirca sacerdotes pluries per diem ac praesertim ante sacra agenda solemniter sese lavabant. Quam vero in peragendis purificationibus adhibebant aqua talis erat, quae, arctius cum numine aliquo cohaerens, sacra putabatur, qualis est, ex qua Ibis bibisse dicitur. Ad amplificandam porro sacrificii offerendi gravitatem efficaciamque, Aegyptii sacrum purgandi ritum ubique praemittebant; id quod etiam apud Judaeos itemque apud Graecos Romanosque in more fuisse constat [8]).

---

8) Herodotus II, 37. plurium, quas Aegyptiorum sacerdotes peragunt, ceremoniarum facta mentione, haec narrat: „λουνται δε δις της ἡμερης ἑκαστης ψυχρῳ (ὑδατι), και δις ἑκαστης νυκτος.“ Porphyrius de Abstin. IV, 7. ter eos sese lavasse dicit: „τρις δε της ἡμερας ἀπελουοντο ψυχρῳ, ἀπο τε κοιτης, και προ ἀριστου, και προς ὑπνον.“ — Plutarch. de Isid. et Osir. cap. 89.: „οἱ ἐν Αἰγυπτῳ ἱερεις ἑαυτους περιῤῥαινουσιν οὐ παντι ὑδατι, ἀλλ᾽ ἐκεινῳ, ἐξ οὑ πεπιστευκασιν ὁτι ἀρα και Ἰβις πεπωκεν“;

Ut naturalia cum **Graecorum** tum **Romanorum** religioni elementa adhaerebant, quibus **spiritualem** numinis naturam vidimus corruptam; ita cultus verâ interiori destitutus cum pio animo conjunctione, qua colendi ratio abit in spiritualem, ritibus innumeris gravibus, sacrificiis, lustrationibus redundabat. Tria autem apud illos inveniuntur purgandi genera; etenim homines lustrandi aut **taeda** purgabantur et **sulphure** s. **igne**, aut **aqua** abluebantur, aut **aëre** ventilabantur [9]). Solemni ista ablutione, quae quo efficacicr esset, aliis nonnunquam rebus erat permixta, varie utebantur; modo enim totum immergebatur corpus, modo singulae tantum lavabantur corporis partes, eaeque quidem maxime, quae sacras res tangebant vel, sicut manus, actiones solennes peragebant; modo adspergebatur solum corpus, quem ad finem et **Graeci** et **Romani** fasciculos ex arboris ramis colligatos solebant usurpare; praeterea vel **immersio** vel **lavatio** vel **adspersio** ter vulgo repetebatur. Effectus horum purgandi rituum tanti habebantur, ut iidem male factorum vel criminum ipsiusque homicidii culpam poenamque ac deorum iram posse putarentur tollere [10]).

Ibid.: „των ἱερων ἀει προπομπενει το ὑδρειον ἐπι τιμῃ του θεου". — Cfr. Tertull. de bapt. cap. 5.; de praescriptt. cap. 40. Nec negligenda sunt, quae Creuzerus l. c. tom. I. p. 252. de Aegyptiorum ritibus sacris disserit.

9) Servius ad Virgil. Aeneid. VI. v. 740.: „Unde et in sacris omnibus tres sunt istae purgationes. Nam aut taeda purgantur et sulphure, aut aqua abluuntur, aut aëre ventilantur" — atque id ad Georg. II. v. 388.: „Omnis autem purgatio aut per aquas aut per ignem fit, aut per aërem." — Cfr. Creuzer l. c. t. III. p. 325.; et Lomeier. l. c. p. 224.

10) Unum dictum sufficiat proponere ex Ovid. Fast. II, 35.:

„Omne nefas, omnemque mali purgamine causam
Credebant nostri tollere posse senes.

Neque minus ad actionem aliquam subeundam solemnem homines sacris sese praeparabant purgandi ritibus, ita ut nemo in templum intrare, ad deorum preces accedere, iis sacrificia offerre vel vota facere, vel omnino solemnia posset celebrare, nisi antea lustrationibus ad haec perficienda esset praeparatus. Ipsius purgandi causa ad templorum portas magnum aquiminarium quoddam (gr. *χερνιψ* dictum) erat collocatum, limpidae aquae plenum, quo intrantes, aqua adspersi sacra, abluerentur dignique essent, qui ad deos accederent [11]. Quum porro ante omnia mysteria celebranda praecederent purgationes, fieri non poterat, quin sacris mysteriis initiandus prius purgaretur; quem ad modum in Eleusiniis et

---

Graecia principium moris dedit: illa nocentes
  Impia lustratos ponere facta putat.
Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
  Caede per Haemonias solvit Acastus aquas.
Vectam frenatis per inane draconibus Aegeus
  Credulus immerita Phasida juvit ope.
Amphiaraides Naupactoo Acheloo
  Solve nefas dixit: solvit et ille nefas.
Ah nimium faciles, qui tristia crimina caedis
  Fluminea tolli posse putatis aqua.“

Tertull. de bapt. cap. 5.: „Penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgarice aqua se expiabat.“

11) Vid. Lysiae orat. in Andocidem: „*εἰσηλθεν εἰς το ἐλευσινιον, ἐχερνιψατο ἐξ ἱερας χερνιβος.*“ — Athenaeus lib. IX. cap. 18., quid sit *χερνιψ* exponit ita: „*ἐστιν ὑδωρ, εἰς ὁ ἀνεβαπτον δαλον ἐκ του βωμου λαμβανοντες ἐφ᾽ οὑ την θυσιαν ἐπετελουν, και τουτῳ περιρραινοντες τους παροιτας ἡγνιζον.*“ — Apud Homerum Odyss. *μ* v. 336 sq. Ulyssès, manibus lotis, diis supplicat, ubi locus erat tutus a vento:

„*χειρας νιψαμενος, ὁθ᾽ ἐπι σκεπας ἠν ἀνεμοιο,*
ἠρωμην παντεσσι θεοις, οἱ Ὀλυμπον ἐχουσιν·“

Tum post contaminationem, tum post actum gravem et sacrum fiebant lustrationes, narrantibus Persio Sat. II. 15., et Porphyrio II. 24.

Samothracibus mysteriis initiationem videmus peractam [12]). In communi denique apud **Graecos Romanosque** more erat positum, ut primis post infantem natum diebus, tum mater, priusquam ad sacra deorum templa vel ad aliud quoddam munus solemne posset admitti, tum recens natus lustrarentur; qui quidem dies, **lustricus** appellatus (gr. *ἀμφιδρομια*), quo ipso etiam nomina infantibus imponebantur (unde **Nominalia**), apud **Romanos** puellarum erat **octavus**, puerorum **nonus**; apud **Graecos** vero **quinto** die lustrabantur, et **septimo** nomina vulgo accipiebant [13]). Nec vero quas strictim descripsimus, aquae solum purgationes magno erant in honore, sed victimarum etiam sanguine effuso quae peragebatur purgatio apud **Graecos Romanosque** non minori auctoritate florebat, quam apud **Judaeos** (v. Ebr. IX, 22 sq.), atque inter omnes constat, hanc **sanguinis purgationem** ad expiandas peccatorum labes omnium lustrationum vel efficacissimam esse habitam.

Neque est necesse, opinor, ut postremo **judaicorum** purgandi rituum singulorum descriptione

---

12) **Clem. Alex. Strom.** lib. V. cap. 11.: „*των μυστηριων των παρ' Ἑλλησιν ἀρχει μεν τα καθαρσια, καθαπερ και τοις βαρβαροις το λουτρον*“ et lib. VI. cap. 9.: „*ἐπει και προ της των μυστηριων παραδοσεως καθαρμους τινας προσαγειν τοις μυεισθαι μελλουσιν ἀξιουσιν, ὡς δεον την ειθεον ἀποθεμενους δοξαν, ἐπι την ἀληθη πρεπεσθαι παραδοσιν.*“ E scriptoribus profanis plures allegat locos **Lomeier.** l. c. p. 224.

13) **Macrob. Saturn.** lib. 1. cap. 16.: „lustricus dies olim appellabatur, quo pueri lustrabantur et nomen accipiebant.“ **Sueton.** Neron. cap. 6.: „Die lustrico Neroni nomen Claudii impositum est, quod infelicitatis praesagium fuit.“ Cfr. etiam **Persii** Sat. II. 31., et **Casauboni** ac **Plumii** ad hunc locum annotatt. nec non **Festum** sub illa voce et **Scaliger** ad. h. l.

moremur, quorum summam prima scriptionis nostrae parte jam tetigimus; nec quisquam est, qui censeat inter Judaeorum tum lustrationes tum sacrificia multum interesse et Ethnicorum, quoniam ejusmodi ritus itidem judaici cultus intima est pars. Parsorum imprimis cum Dualismo miram quandam esse similitudinem Judaeorum religioni ac cultui, sole clarius est. Sicuti enim illic assiduum lucis ac tenebrarum certamen fingitur, ita hîc, multo tamen altiorem ac magis spiritualem in modum, acerbissima coeli terraeque, dei et hominis disjunctio; et quod in Parsorum cultu puri et impuri discrimen perpetuum statui vidimus, idem non minus apud Judaeos ad mundi et vitae res, qualescunque sunt, refertur; quod in causa est, ut Judaei purgationum suarum vim non solum ad sacra solenniter celebranda, ad mali conscientiam purgandam vel ad peccata abluenda, sed etiam ad humanas conferant necessitates, ita ut omnes omnino, quae vitam attingunt res, nisi ante lustrantur, tamquam impuras, homo non possit usurpare. Si religio, sicut judaica, abstractâ innititur mente, quae, altero alteri opposito, ipsa hac oppositione veram rerum naturam sibi videtur perspexisse, istam hominum, animalium, rerumque omnium, quae in mundo cernuntur, divisionem in sanctas ac profanas, vel in puras atque impuras ex ipsa re consequi, quis est, quin videat? Spiritus demum, quippe qui res per se nequaquam sibi invicem esse oppositas cognitum habeat, rerum veritatem, sublata divisione ista, unitate comprehendit. At vero insistamus hîc, et animum vertamus primum quidem ad dijudicandum et ethnicum et judaicum cultum, deinde vero, significata chri-

stianorum sacramentorum idea, ad explicandam baptismi notionem.

§. 33.

In ethnico cultu primum is, qui numen colit (subjectum, quod dicunt), non spiritus, sed sensuum pio desiderio movetur, ita quidem ut hominis causa et finis numinis ceremoniis celebrandi nil sit aliud, nisi quod ipso demum cultu vult vel dignitatem sibi colligere, vel deorum gratiam jure ac merito consequi, vel omnino divina beneficia acquirere. Quoniam homo, nisi cogitando sensibus jam est superior, id quod in ethnicis religionibus maximam partem desideratur, omnia fere naturali affectione metitur, etiam cultu id maxime agit, ut sensuum desideriis satisfaciat. Quamvis igitur aliquis, sese vertens ad numen, interiori religionis conscientiâ sincerae pietatis gerat speciem, exterior tamen ejus cultus, siquidem non per integrum animum, ab omni commodi vel lucri studio alienum, sed sensuum suarumque rerum respectu ad numen ceremoniis ducitur colendum, a vero abhorret. Neque minus id, quod colitur (objectum, ut dicitur), naturae sensibusque obnoxium, vero cultui parum videtur convenire. Vidimus supra, ethnicos deos a singulis quidem, quae sensibus percipiuntur, rebus magis magisque discerni ac removeri, sed nihilominus formam servant ac speciem finitam; et quum homines sensus opinionesque ad spiritualia nondum valeant efferre, ea, quae ad numinis naturam trahuntur, iis sunt plane consentanea, quae ad vitam pertinent humanam. Quapropter non solum homo ritibus sacris, lustrationibus, sacrificiis se, a peccati sordibus purgatum, deorum benevolentiam conservare putat, sed ipsi dii sacrificiis istis, tam-

quam necessariis, indigent. Ejusmodi autem cultus, qui ad mutua tendit beneficia efficienda, ex quo tum homo vult suppeditare ea, quibus deorum natura non potest carere, tum diis quodammodo necessitas imponitur, hominum optatis obtemperandi, is igitur externam spectat numinis cum homine copulationem, ac veritatis est expers. Ethnicus denique cultus non solum per eum adulteratur, qui, plerumque suarum rerum amore ductus, numen colit, vel per id, quod, multis rebus ad vivendum egens, colitur, sed falso quoque impletur, quia a certis hominibus, sive sunt sacerdotes sive alii, administratus, certo tempori ac loco adstringitur. Spiritus solus, neque singularum quarundam personarum neque spatii neque temporis finibus est circumscriptus, sed ultra omnem finitam conditionem, universalis est, infinitus, aeternus; cujus quidem rei conscientia aperta ethnicae religiones carent. Quum enim illic ipsa numina spatio sint finita, et stabilem certamque suam sedem dicantur habere singulari quodam loco, sive est mons, sive silva, sive fluvius, sive aedes, ad haec maxime loca, utpote quibus deos opinentur mirum in modum efficaces sese praebere ac clementes, cultus revocatur. Accedit etiam, ut tempus itidem ac singulares sacerdotes in ethnico cultu maximi sint momenti; nam quoniam dii certo tempore nati sunt, eorumque agendi ratio non minus, quam humana tempori est subjecta, salutifera insolitaque exterioris cultus efficacia a certis simul diebus festis, qui propter deorum vitam vel efficientiam habentur sacerrimi, pendet; atque his ipsis sacris diebus itemque in omnibus rebus majoribus singulares imprimis personae inter numen ac populum intercedunt, divinam voluntatem et consilia vel indicantes, vel interpretantes. Jam si,

quae cursim attigimus, reputamus, ethnicum cultum apparet, intimo integroque animo parum fundatum, sincera dei natura indignum, externis rebus finitum, a spiritu seu veritate alienum esse; quem vero ad modum ethnica religio esse desinit, quum sensus opinionesque evehuntur ad cogitationes, sic totus quoque iste cultus imperfectus cognoscitur vanusque, quum primum homo coepit vere cogitare; quod tum Graeci multi, tum Romani testantur.

Exterior quamquam Judaeorum cultus numen respicit non visibile nec praesens in corporeis rerum substantiis, a falso tamen non remotus est, adeo etiam omnia fere ethnici cultus elementa praebet. Nam quod primum attinet ad eum, qui colit Jehovam, causa finisque hujus cultus est inprimis vel inveterata ista, quod praestat reliquis gentibus, arrogantia, singulari miroque amore, quem deus in patriarchas dicitur aliosve judaici populi duces ostendisse, fundata, vel metus poenarum rerumque adversarum, vel spes praemiorum futuraeque felicitatis; quae omnia impuram privati commodi speciem prae se ferre, quisque intelligit. Est quidem numen praesto ac praesens omnibus, quae homini accidunt, sive est res secunda sive adversa, quod tam religione, quam cultu nemini est negligendum; sed peccat homo, quum exteriori cultu suo numen opinetur continuo eo posse adduci, ut ad libidinem miris vel ineptis humani ingenii inventis, commentis, optatis satisfaciat. Ubi vero divina efficientia tam arbitraria simulque finita ratione cogitatur agere, non ita multum abest, quin homines, quaecunque ipsis placent, res vel ceremonias non minus deo gratas esse atque acceptas sibi fingant; ac revera, ex Judaeorum judicio, Jehova ab hominibus sacrificia postulat, eaque magni fa-

cit bonique. Nec vero Judaei isto a mundo et hominibus abstracto deo contenti sunt, sed ipsi etiam eum ad res praesentes realesque imaginatione propius jam adducunt, quin etiam Ethnicorum more certum in locum contrudunt, siquidem Jehovam tempore quodam in certo monte vel pone hoc templi velum versari et versatum esse opinantur. Neque omnes tamen eum possunt videre vel loquentem audire, quod summo solum a Jehova concessum est sacerdoti, qui semel per annum pone templi velum magnum sacrificium piaculare pro toto populo Israelitico offert; quo fit, ut etiam hîc gravissimum cultus momentum e singulari quadam persona pendere arbitrentur; reliqui vero Jehovae cultores divinae voluntati obsequium agunt, quum non solum legem diligenter curant, sed etiam, lustrationibus peractis, sacrificia solemnia rite faciunt, itaque omnem omnino cultum praescriptum, qui certo itidem anni tempore nusquam alibi, nisi Hierosolymis est observandus, sequuntur. Ex quibus perspicimus, judaicum cultum, summa rei respecta, ethnico non multo superiorem, vero interiori itidem carere fundamento, et tamquam remedium putari, tempore, spatio aliisque rebus circumscriptum, quo homo tum ipsius desideria terrena, tum Jehovae voluntatem, conditione manca corruptam, velit explere. Quarum rerum omnium falsitate intellecta, prophetae interius illud spirituale vinculum, inanium rituum gravitate valde perturbatum, arctius connectunt, quoniam, ad christianae religionis ingenium animum jam acclinantes, non externas docent ceremonias, vel lustrationes vel sacrificia veris cultoribus esse digna, deove placere, sed sinceram male factorum poenitentiam, pium sensum, justam probitatem;

ac sane in hisce verus dei cultus maxime nitatur necesse est.

Christianus cultus, cujus notio postremo est significanda, spiritu fundatur ac veritate; nam, Christo auctore, tum is, qui deum colit, totus in spiritu inesse ac per eum numini debet accedere, tum id, quod colitur, ipse est unus totusque spiritus; quam ob rem hic ceremoniae, singulares sacerdotes quidam, tempus et locus, quo deus adoratur, levissimi sunt momenti. Ubi sensibus numen vel mente comprehenditur abstracta, utrisque veram dei hominisque essentiam perperam intelligentibus, causa dei colendi ipsaque numinis adorati natura multis falsis rationibus permiscetur; deinde ubi realis dei existentia visibili natura concluditur, vel ejus mira efficacia unice ad particularem gentem ejusque patriam trahitur, etiam cultus vis intra certum locum, vel urbem vel templum coërcetur; ubi deus autem intelligitur, qui sit verus, infinitus, in genere humano vivus spiritus, itidem cultus neque privatarum rerum studio et cupiditate corrumpitur, neque loci temporisque limitibus circumscribitur; quae quidem ratio pertinet ad cultum christianum, qui, veritate instructus ac libertate, utrumque priorem, quem modo percensuimus, notione integra induit atque idea. Veritate autem christianus cultus implicitus est, quod non commodi studium, neque poenarum metus, neque praemiorum exspectatio, sed sincera fides pietasque efficiunt, ut homo deum adoret maximum; quae fides vel pietas a divino spiritu, in hominibus sese explicante, quum proficiscantur, ad eumque unice adspirent, ipse cultus illius, in qua spiritus versatur, divinarum rerum intelligentiae expers esse non potest. Neque igitur humili cupiditate, singularia ca-

ptandi beneficia, neque opinione ista, quasi deus exteriori hominum cultu indigeat — nam deus est infinitus humanae vitae usibus longe superior spiritus —, sed spirituali animi desiderio motus, homo sese vertit ad deum colendum; quod desiderium explent verbum divinum, doctrina, publicaque, quae celebrantur, sacra. Cujusmodi cultu, neque tempori certe neque loco neque externis, quae a veri cultus natura multum aberrant, ceremoniis obnoxio, homo dei spiritum sentit in se versantem, seu se in deo vere esse conservatum, ideoque revera liberum; sed quoniam vera libertas, amore imbuta atque probitate, sua sponte tendit ad ea perficienda, quae dei voluntati sunt consentanea, liber cultus necessario simul postulat, ut homo secundum dei veritatem intellectam vivat et ad sanctitatem in agendo sese applicet. Si vero fides et amor, vel pietas, quae intellecta simul divini spiritus veritate tenetur, et probitas, cum divina libertate conjuncta, veri liberique cultus naturam conficiunt, idem hic cultus, e spiritu (ut causâ) exortus, ad spiritum (ut finem s. objectum) tendens, ipse est profecto spiritualis, seu spirituali ratione perficitur. Unde fit, ut in hoc cultu (quo non minus is, qui spirituali ratione per fidem amoremque deum colit, quam id, quod colitur, unus est spiritus), homo et deus sint uniti, quoniam si homo in divino spiritu (s. deo) deum amat, deus in homine semetipsum amat. Ad hanc autem unitatem, qua redemtionis summa continetur, neque ethnicus, neque judaicus cultus, qui spiritus essent expertes, poterant pervenire. Nae istud dissidium, quod peccando homo efficit, tolli non potest per lustrationes, sacrificia, aliasve ceremonias! Symbolice quidem lustrationes et

sacrificia possunt significare, hominem, tum ad poenitentiam versum, a delictis expiari, tum rerum divinarum desiderio incensum, in numinis gratiam lubenter velle redire, neque tamen expiatio illa, neque haec gratiae reconciliatio per ceremonias possunt revera perfici. Omnes ejusmodi falsae ac superstitiosae opiniones, prioribus ritibus junctae, per sacramenta, quae, quum lustrationum ac sacrificiorum partes suscipiant, ecclesiae christianae necessario sunt administranda, removentur; nam sacramenta eorumque administratio, per se spectata, nequaquam adjumenta, quibus aut exstinguantur peccata, aut gratia dei vel redemtio efficiatur, sed sacra habentur symbolica signa, quibus significatur illa idea, quod singulus quisque homo non solum e facultate per θεανθρωπον, qui humanam cum divina unitam tuetur naturam, jam sit cum deo conjunctus, sed etiam re ac vita, in Christi coetum receptus, spiritu vero ac sancto adjuvante peccatis eripiendus et deo sit reconciliandus —; atque haec idea ita declaratur, ut tamquam oculis eam intuearis. Quod deus ab infinita aeternitate in genere perficit hominum, quippe quos illustrationis ope et sanctificationis, avocatos a malo et ad veritatem ductos ac sanctitatem, secum conjungat, id, ad singulum hominem accomodatum, visibili modo sacramentis subjicitur, eorumque larga est sententia atque copia. Omnis vero hominum vita in eaque ipsius dei vita duorum sacramentorum signo comprehenditur, quorum alterum dei, quam ad homines gerat per Christum rationem indicat, secundum quam sua cuique sit moderanda vita, qui intret in ecclesiam Christi; altero autem hominem, qui per vitam suam a deo desciverit arbitrio, sui studio, peccato, magis

magisque per **Christum** reconciliari cum deo significatur. Illud, quod est **baptisma**, hominem recens natum respiciens, qualis sit indole atque ingenio instructus, qualisque debeat esse vitae **christianae** ratio, universam pertinet per vitam, nec potest fieri nisi **semel**: haec, **coena sacra**, hominem, ad suum arbitrium agentem, spectans, qualis sit per vitam identidem contaminatus peccato, qualisque rursus cum deo magis ac magis conjungendus, singulis diversisque humanae vitae annectitur conditionibus, ideoque **saepius** est repetenda. Ceterum **baptismate**, quippe quo hominem ex lege ipsi insita, relicta **naturali** et voluptatibus inquinata vita, **spirituali** se totum debere dedere indicetur, **lustrationes** vel **purgandi ritus** omnes absolvuntur; nec minus **eucharistia**, cujus e notione Christus declaratur **unum** pro genere humano cuncto oblatum deo sacrificium, quod itidem cuique, in **Christo** vere versanti, gratiae tribuat reconciliationem, **sacrificiorum veterum** explet veritatem. Nobis jam **baptismi dogma** propositum est accuratius explicare[12]).

III. BAPTISMI EXPLICATIO.

Tria inprimis sunt, quibus baptismi articulus dogmatice explicatur; et primum quidem quaeritur,

---

12) Summam tum subsequentis explicationis, tum totius nostrae, bona quidem errorum venia, dogmaticae ratiocinationis continet princeps illa **theologia**, in qua divina, per omnem doctrinam christianam viva, **idea** momenta sua seu dogmata, ut mortua membra **vulgo** temere disjecta ac mutilata, ad **integram unitatem**, ab omnibus partibus **absolutam**, concludit; vid. **Marheineke**: „**Grundlehren der christlichen Dogmatik als Wissenschaft.** ed. 2."

qua nitatur baptismatis origo sententia, seu quae sit hujus dogmatis idea; deinde videndum est, num forma, quae in administrando baptismo observatur, illi ideae sit consentanea; quibus expeditis restat, ut de fine baptismi atque effectu disseramus.

1. BAPTISMI IDEA.

§. 34.

Baptismi idea arcte cohaeret cum regenerationis necessitate, e cujus notione homo, quum naturalis ortus nequaquam sufficiat, iterum spiritualiter renascatur necesse est (Jo. III, 5.; cfr. Tit. III, 5.). Quaenam vero est ratio hominis, quum primum naturaliter nascitur? etenim utrum pertineat regeneratio necne ad hominem, id pendet ex eo, utrum prima hominis conditio sit bona an mala. Homo, quippe quem deus ex ipsius imagine crearit, ita natus est, ut quae in deo sunt sita vera ac sancta, in se contineat, atque ad explicandum perducat; quapropter divinae substantiae manifestatio in homine formâ induitur humanâ. Primo tamen ortu homini nihil aliud dei imaginem imprimit, nisi quod ad verum bonumque perveniendi facultate gaudet; quae quidem integra facultas quum ab ipso deo proficiscatur, homo per creatorem, nondum tamen per semetipsum dici potest bonus, vel potius aptus ad verum et bonum. Ut autem homo vere sua e potestate ac libertate evadat verus bonusque, discrimen oportet possit intercedere inter verum et falsum vel inter bonum ac malum, et si homini facultas insita est veri bonique adipiscendi, idem simul poterit cogitatione ac voluntate illud discrimen ponere, a veritate desciscere malusque fieri. At neque deus neque mundus (seu

quaecunque **humana** specie et **hypostatica** conscientia carent), utrumque per se si spectaveris, **mali** origo est vel causa, sed quod **malum** potest fieri, id positum est in eo, ut **mundus**, necessitate fundatus, evehendus sit ad **hypostasin** et **libertatem**, seu ut **natura externa**, libertatis expers, necessario cum divina essentia conjungatur in **homine**, qui, illam naturae deique **unitatem** complectens, verum ac bonum, **sua** ut **sponte** possit cogitare, velle, perficere, non minus ad **contrarium** valeat sese vertere necesse est. Licet vero ita homini, ne machinae instar externo tantum pulsu moveatur, sed libertatis particeps suo consilio suaque voluntate ducatur, **mali** simul **facultas** sit insita, deus tamen hominem nequaquam creavit **malum**; neque enim **malum** in homine jam revera cernitur, sed **facultate** modo retinetur, ideoque homo, quum neque bonus jam vere sit neque malus, **innocens** est, cujus vita firmiter adhuc naturae conditioni innexa, necdum deo est opposita. Simulatque autem integer hic atque innocens homo ad conscientiam sui progreditur, se a natura exteriori deoque distinguit, quo **alium** se esse sentit atque deum et res naturae cunctas; quod quidem **discrimen** per se jam malum non est judicandum; quamquam enim prima hominis innocentia jam in eo est, ut evanescat, **culpa** tamen adhuc omni caret, quae improbis demum adhaeret factis. At vero homo non sensu solum seu cogitatione fingit, se esse **alium** atque deum, unde prodire coepit utriusque disjunctio, sed arbitrii, proprii studii ope ac libidinis **vult** etiam **alium** se esse atque deum et contraria efficere, quo ipso, innocentia priori omnino exstincta, revera existit **malum**, atque homo, sensuum affectibus ac cupiditate ductus,

dei voluntati resistens, jam est in culpa. Quum igitur sua quisque e mente et arbitrio agere neque ex dei auctoritate velit pendere, captans, quae sensibus inserviunt ac voluptatibus, peccandi libidine (concupiscentia) est obstrictus; quae libido, humanae affixa naturae et ad unum omnibus adhaerens, vitiositatis innatae seu peccati hereditarii est notio. — Jam omnia haec et sacrae immersionis idea invicem ad se pertinent; prima enim naturali hominis conditione respecta, baptismus declarat, hominem, quoniam ob vitiositatem istam innatam neque a dei gratia atque amore sit exclusus, neque prohibitus, quominus veram, sanctam, beatam assequatur vitam, spirituali regenerationi propius debere accedere, ut vi peccandi libidinis magis magisque fracta, verus Christi fiat discipulus vel justus coelestis regni civis. Sed quo tandem modo fieri potest, ut homo, siquidem, peccandi libidine captus et tam divina ratione quam libertate abusus, pravis studiis inservit atque cupiditatibus, id perficiat ut cum deo denuo conjungatur? Imaginem illam divinam, facultate rationis et libertatis insitam humanae naturae, homo erroribus, peccatis, vitiis deformavit quidem, neque tamen radicitus exstinxit; nam ipsum post lapsum homo conservavit essentiam spiritualem, cujus est tam cogitare, quam velle, quod utrumque, quamquam falso adhuc ac mendacio impletum, nihilominus necessarium est, ut spiritus possit vere cogitare ac velle, vel agere. Hinc efficitur, ut homo, quando internam suarum cogitationum ac voluntatis copiam, falso compositam ac vitio, facit missam, revera denuo possit ad verum justumque sese efferre, vel ad divinam rationem et libertatem, quarum veluti vestimentum necessa-

rium nihil est aliud nisi ipsum illud Cogitare ac Velle. Nec magis negligendum est, hominem, etsi suo ex arbitrio peccatum voluit suaque sponte divinam legem violavit, excusationis tamen speciem quandam prae se ferre, quoniam causa culpaque mali non soli ipsi sit injungenda. Sicuti enim facultatem mali non ipse sibi inseruit, ita, priusquam ad veram rationem et libertatem valeret pervenire, non potuit non consilia et cogitationes suas referre ad res externas vel ad captiosam naturam et mundum; itaque ultro delapsus ad lapsum simul inductus est. Quare, quum homo eam in culpam irruerit, qua totum humanum genus plus minusve laboret necesse est, nequaquam omni divina dignitate, ipsius naturae insita, omnino privatur — alioquin ne ullum quidem desiderii rerum divinarum in homine post lapsum poterat residere — imo potius, quamquam peccato commisso occaecata ista mali facultas est perducta ad apertam realitatem, in hacce tamen realitate mansit facultas veri bonique obtecta; ut qui, sui studium arbitrariamque voluntatem secutus, per malum a deo sit remotus, is, adspirans ad spiritualia, non minus per deum, a malo abstractus, ad rationem denuo et libertatem possit duci; id quod legi, generi humano innatae, prorsus est conveniens. Etenim ex infinita dei voluntate de hominum sorte et salute, seu ex aeterna dei praedestinatione, quam dicunt, ad unum omnes homines vocati sunt ut assequantur veritatem, sanctitatem, beatitudinem; quae quidem divina vocatio hominem per totam vitam comitatur, nec vel ipso peccato potest tolli. Attamen hacce vocatione homo non magis est bonus, quam facultate rationis et libertatis, et quum, nequaquam

externa alienaque necessitate ad bene aut male agendum tractus, libero semper ducatur arbitrio, ex ipso quoque pendet, num, deo juvante, illam ita velit facere suam, ut verus bonusque re ac nomine fiat. Illa enim vocatio, non ut mortuum fatum, cui omnis voluntas humana sit subjecta, trans mundum versatur, sed in ipsa hominis inest facultate, qua in Christo inter dei filios potest referri; atque homine hancce facultatem evolvente, ipse una deus est, qui illustrandi ac sanctificandi vi in illo efficacem sese praebet, ejusque tum animum a rebus externis falsisque ad spiritualia ac vera, tum voluntatem avocat a peccato ad justum et sanctum. Ut facultas boni divina est, ita omne verum bonumque, deo auctore perficitur; neque homo dei veritate ac sanctitate vel perfecta ratione et libertate potest potiri, nisi per deum, qui non solum vocat, sed etiam ducit quemque, non resistentem, ad eam, qua natus est, conditionem vere acquirendam per spiritum suum sanctum. Quem quidem in modum nequaquam hominis auctoritas, liberum arbitrium, propriaque agendi ratio finitur vel dissolvitur, quoniam ipse animum suum et voluntatem cum dei spiritu ac libertate conjungit; minime ergo a deo invitus cogitur homo aliquid facere, sed liber ac sui juris idem sese valet movere vel per divinum spiritum ad verum et bonum, quo beatitudinem consequitur, vel, deo repugnans per sui studium ad falsum et peccatum, quo miseriam sibi parat. Ipsa vero divina advocatio omnisque gratia itidem eo demum ad verum effectum adducitur, ut deus spiritum suum ac libertatem cum hominis ratione liberoque arbitrio conjungat, unde existit mutuae efficientiae unitas, cujus ut homo sit consors, lex postulat humanae naturae innata. —

Cum baptismatis idea hoc advocationis dogma, quod strictim attigimus, non minus conjunctum est, quam dogma peccati originalis; baptisma enim hominem respicit quidem, qualis primum a natura natus, sensuum cupiditatibus adstrictus, peccandique libidine contaminatus vel peccato originali seu una ista toti humano generi communi vitiositate affectus est. Sed quum recens natus, nondum excitatis e vitiositate ista innata actualibus, quae dicuntur, peccatis, ab omni culpa alienus simul sit innocens, factusque ad verum bonumque; baptisma declarat, hominem, quamvis aptus sit ad pravorum amorem studiorum, nihilominus ex aeterna infinitaque dei voluntate praedestinatum esse ad divinam rationem et libertatem, vel ad veritatem, sanctitatem, beatitudinem, quae regeneratione spirituali vel pia probaque ad Christi doctrinam atque exemplar directa vita sint impetrandae. Ex idea igitur ista, qua sacra immersio innititur, baptisma non humanum nec vulgare est opus, sed divinum sanctumque institutum, ex ipso Christi religionisque christianae spiritu profectum, eaque quidem de causa, quia eodem hominum christianorum animus delegatur ad deum, qui infinito ductus amore veram sanctamque suam essentiam in mundo revelet, hominem a naturali vita, cupiditatibus, erroribus, peccatisque dedita, liberatum, per spiritum ad fidem, Christo habendam, amorem et libertatem ducat, atque id unice agat, ut unusquisque per aeternum λογον secum conjungatur. Quamvis igitur baptisma non ipsa sit causa regenerationis seu vitae carnalis ac mundanae in spiritualem divinamque commutationis, nihilominus eâdem illâ ideâ, quam significavimus, ad vitam christianam arcta conjunctione est referendum, quoniam homo,

facultates suas divinas explicans vel innatam vivendi legem sequens, nihil perficit aliud, nisi quod deus sacrae immersionis sententia ac notione a quovis Christi discipulo postulat. Spectato enim illo aeterno amore, quo deus genus humanum sibi suaeque gratiae omni firmissime tenet injunctum, foedere baptismali necessitas inculcatur, ut vel singulus quisque baptizandus homo, omni contra divinam voluntatem repugnantia exstincta, magno rerum coelestium desiderio debeat esse incensus, quo ipso deus eum per sanctum veritatis et libertatis spiritum sibi possit magis magisque consecrare atque in se omnino recipere. Quodsi hanc ideam vel notionem, qua, e Christi spiritu ortâ, baptismus naturam tuetur vere christianam, abjicimus, totum baptisma inani est simillimum ritui, qui non gravius ethnico quovis vel judaico purgandi ritu pondus ad christianam vitam habet et religionem. Visibilem quidem in modum haec divina idea, quae baptismum reddit sacrum Christi institutum non inspicitur; at quum eadem ab ipso baptizandi ritu, qualis cernitur et administratur, non possit disjungi, sed alterum alteri arcte sit junctum, eo ipso sacrum illud institutum simul visibile est aliquid atque humanum, vel exterior et publica actio, quae, ab hominibus perfecta, sub oculos sensusque cadit. Itaque quaeritur, quem locum in ecclesia teneat sacramentum, et quantopere exterior haec baptismi forma interiori illi ideae, quam ecclesia visibili administratione vult oculis objicere, respondeat?

2. BAPTISMI FÓRMA.

Ea, qua ecclesia est constituta, conditio non alia potest esse, nisi ut, quae dei filius revelavit divina,

quaeque praescripsit necessaria, ea in se recipiat, quo veri discipuli salvatoris educentur, ac regnum mundi seu falsi et mali evertatur regno coeli seu veritatis justitiaeque. Quum tamen dei revelatio certo tempore coërceri non possit, sed omni tempore sit superior, etiam verae ecclesiae tum initium tum finis certo tempore circumscribi nequit, sed sicut ante Christi tempus jam vestigia ecclesiae dei inveniuntur, ita post illud ipse dei filius per spiritum suum eandem pleniorem ac perfectiorem reddere nunquam desinit. Ethnicismus et Judaismus veluti viam munierunt, ut regnum dei in mundo totum cerni vel ecclesia vera posset constitui, omninoque vel singuli quidam inter Ethnicos et Judaeos nunquam defuerunt, qui pietati dediti ac probitati ad divinum regnum prope accederent. Sed vere demum per θεανθρωπον ecclesia perfecta et universa condita est, quippe qui, surgente religione christiana, omni divina regni coelestis copia patefacta, aeterna infinitaque jecerit ejusdem fundamenta. Christianae hujus ecclesiae divina substantia, per se si spectatur, ex quo fonte omne verum, quod in illa inest, manat, recte quidem extra visibilem exterioremque rerum naturam versatur, et tamquam invisibile fundamentum obtectum est rebus praesentibus iisque latet. Veruntamen, quum, quaecunque illâ substantiâ tenentur reclusa, per aeternum λογον revelari, et, ut realitate induantur, in mundo apparere, oporteat, vera ecclesia simul praesens est ac visibilis, quae, licet multis difficultatibus erroribusque non possit non conflictari, nihilominus per verum et sanctum spiritum ad summa valet pervenire. Vera igitur ecclesia, quae invisibilis vulgo vocatur, non divellenda est a reali, quae

praesens est; cujus ecclesiae unum caput est dei filius, in membris vere vivum, sectatores autem Christi religionis multa illa sunt ecclesiae membra, uno capite animata arcteque conjuncta. Quo mutuo motu, ac vitâ, et aeternus λογος, quae in divina substantia (patre) sunt sita, detegens, vere est in ecclesia, et Christi discipuli, fide instructi amoreque, ipsius λογου veritate gaudent ac libertate in eadem illa ecclesia. Unde videmus, Christum non aliter ecclesiae semper esse praesentem eamque conservare, nisi ut infinitam rerum divinarum copiam in discipulis justis revera explicet; atque e contrario christiana ecclesia interius quidem ita semper adolescit et renovatur, ut revelatum verbum divinum sibi servet et λογον in se receptum efficacem studeat sese praebere, exterius autem, ut, sacramentis peractis, nova membra sibi adjungat, discipulos suos edoceat, et quae ad Christum pertineant curet peragenda. Si igitur baptismum spectamus, quis tandem est, qui cum et conservandum et administrandum jubeat? Neque singuli homines, qui, naturalibus sensibus ducti, suis maxime rebus consulunt, neque peculiaris familiae animus, neque communis reipublicae mens, suas tantum rationes persequens, postulant, ut illud sacramentum administretur. Qui enim, sensuum libidini deditus, suis tantummodo rebus movetur, ei nihil videtur grave, nisi quod vel cupiditatibus comparat voluptatem, vel ad necessarios vitae usus refertur, vel utilitatem aliquam affert, vel omnino privato commodo inservit. Quae quidem cuncta quum baptismus, ad spiritualia hominis animum deducturus, parum attingat, omnino fieri nequit, quin ejusmodi ritus tamquam inutilis ceremonia despiciatur. Neque minus singulares fami-

liae, quae, ut victus necessarius acquiratur, neve quidquam vitae singulorum domesticae desit, studiosissime persequuntur, gravitatem baptismi, ex quo ad res familiares emendandas fructus capiuntur nulli, levidensem aestimant. Parentes enutriunt quidem infantes suos, educant, variasque et jucundas et utiles res edocent, quo iidem ea, quae consuetudinem quotidianam ac commercium respiciant, aetate provecta possint praestare; sed quum tantum absit, ut baptismi administratio peculiaribus familiae rationibus prospiciat, ut vix eas tangat, nullius fere momenti ac gravitatis est ipsis familiis. Civitatis denique studium et munus eo tendit, ne jus singulorum detrectetur, sed omnium salus exterior servetur, ne reipublicae instituta periclitentur, neve justitia laedatur; quin etiam ipsi curandum est, ut religio communisque cultus omnium in honore maximo omni sit tempore. Nec tamen causa conservandi et administrandi baptismi in ipsa civitate, quatenus legi servandae publicisque rebus juvandis operam dat omnem, est posita. Pietas e contrario omniumque, quae ad religionem revocantur, rerum amor facit, ut tum singulis, tum familiis, tum civitati persuasum sit, gravissimam esse baptismi administrationem; quae quidem persuasio, quo laxius aut arctius cujusque cum una omnibusque communi ecclesia est vinculum, eo vel infirmior est vel validior. Unice igitur ecclesia, reliquis cunctis mundi rationibus minoris aestimatis, quaecunque a Christo sunt instituta enixe studet sibi servare, atque ut ipsa exterius propagetur neve dissolvatur, recens natos aliosve jam adultos sibi vel christianae vitae initiat solenni illo baptizandi ritu, quo publice declaretur, hunc singulum hominem, baptisma subeuntem, ad christianam pertinere reli-

gionem et ecclesiam, dignumque esse, qui omni in genere Christi discipulorum jure beneficiisque fruatur. Sed ecclesiae simul est, divinam illam, quam supra significavimus, sacrae immersionis ideam veluti ante oculos ponere; quantum igitur singulae, quas ecclesia in administrando baptismo adhibet, ceremoniae sacrae ad interiorem attingendam ideam valeant, brevi jam expediamus.

Exterior sacramenti administratio symbolicam quum teneat sententiam vel duabus cernatur partibus, naturali videlicet et spirituali, tum sensui hominis convenit tum spiritui; id quod naturae plane consentaneum est sacramenti, quum neque ad corporeas tantum pertineat res, neque solum ad spiritum. Naturalis autem baptismatis pars, sensibus maxime objecta, visibile est aquae elementum, quod ipsum purgandi suâ vi in peragendo hocce publico ritu multum habet ponderis, quandoquidem interiorem simul et invisibilem significat animae purgationem, exsequendam per totam vitam. Purgatio igitur haec externa, impuram atque inquinatam (negativam) vitae partem, quae sit tollenda, respiciens, nihil aliud sibi vult, nisi ut homo a naturali carnalique suo ortu, qui parum adhuc verae, humano ingenio innatae, legi ac conditioni respondeat, magis magisque sit purgandus, quo in spiritu possit reviviscere; vel ut istae maculae, quae, e naturali carne, carnali voluntate ac libidine, voluntaria libidinosaque agendi ratione exortae, adhaereant humanae naturae, sint eluendae ac delendae, quo casta labiumque expers veritatis ac sanctitatis vita possit degi. Unde quidem patet, aquam significationi baptismi omnium esse aptissimam materiam, nec quicquam, ad illius ritus naturam magis accommodatum, posse inveniri;

sed nihilominus sacra immersio hocce aquae usu naturam suam vere christianam nondum praebet, parumque in hac re ab ethnicis istis atque judaicis purgandi ritibus recedit, in quibus itidem aqua usu communi moreque erat recepta. Quod quum ita sit, christianum oportet baptismum arctius cum Christo divinaque ejus doctrina conjungi, apertiusque in administrando graviorem ejus magisque spiritualem sententiam proferri in lucem; cui rei jam adjumento esse videmus symbolicum immergendi emergendique ritum, quo non solum, quae (negative) homini sunt fugienda, sed etiam, quae (positive) ei sunt appetenda, significantur.

Redemtionem, quam θεανθρωπος ut singulus in quo deus inerat totus, homo summa divinae voluntatis exsecutione, perpessione, morte ac resurrectione certo tempore effecit, quamque spirituali ratione vere perficit in omne tempus ut infinitus aeternusque λογος, qui in genere humano vivit totus, ob hominum peccata patitur ad mortem usque, denuoque in iisdem resurgit; hanc igitur redemtionem ejusque singulorum hominum communionem idem ille immergendi emergendique ritus significat (vid. Rom. VI, 3. 4.; Gal. III, 27.; cfr. Eph. IV, 23.; Col. III, 9. 10.). Immergitur autem homo, quo indicetur, eum per Christum debere exuere veterem hominem, crassas istas ignorantiae, erroris, mendacii tenebras fugere, mundo peccatoque renuntiare, itaque cum Christo mori; itemque emergitur idem, quo significetur, eum in Christo debere induere novum hominem, lucem fidei, cognitionis, veritatis sequi, divinae justitiae et libertati adhaerescere, itaque cum Christo resurgere. Hinc perspicimus, id maxime symbolico illo ritu innui, quod homini, quibuslibet rejectis

atque exstinctis pravis studiis, quae vera hominis christiani conditione sint indigna, omnibus nervis contendendum sit atque in eo laborandum, ut cum dei filio arctissime uniatur, quoniam aeterna et infinita θεανθρωπου vita conjunctissime sit implicita humanae vitae. Quam symbolicam significationem etiam adspergendi ritus tenet, quo pariter indicatur, hominem, sanguine mundi sospitatoris adspersum, vanis mundi rebus abjectis, a vitiis abstinere, et vitae in Christi veritate ac sanctitate positae, debere esse deditum. Licet vero non possit negari, hunc immergendi vel adspergendi ritum non minus, quam illum aquae usum ad exprimendam interiorem baptismi ideam aptissima esse signa, in utroque tamen baptisma nondum sese ostendit vere spirituale; ubi enim spiritualia vel rebus corporeis includuntur vel ceremoniis, nondum perfectam habent suam formam, accommodatam ad ipsorum naturam; quae perfecta veraque spiritus forma est verbum, quo interna illius ritus copia exhibetur integerrime. Quocirca etiam in administrando baptismate spiritualis et christiana sacri hujus ritus sententia luculentissime et perfectissime exprimitur verbis illis, quae formula baptismalis solet appellari (vid. Matt. XXVIII, 19.).

Sacra immersio formula baptismali cum ea, qua reliquae omnes fundantur, doctrinâ connexa, aeque ac religio ipsa christiana tam ab ethnica quavis specie, quam ab judaica longissime abest. Summam enim veritatis, quae religione christiana servatur, complexa, palam super baptizandum profitetur ecclesia tum contra Ethnicismum tum contra Judaismum, deum esse trinunum, quem unusquisque debeat confiteri, siquidem veram dei notionem

vel fide vel intellectu comprehendere, re ac nomine inter justos Christi discipulos numerari, beneficiisque, quae inde proficiscuntur, velit frui omnibus. Etiamsi is, qui baptizatur, vel singuli quidam christiano coetui adscripti, non conscii sibi sint veri, quod in illa formula baptismali inest, ecclesia i. e. verbi divini praedicatores et doctores, qui non solum fide, sicut pii coetus sodales, sed etiam scientia veritatem debent testificari, non possunt non perspicuam Christi dicti notionem cognitam habere atque comprehensam, quo aperte sciant, trinitatis ideam non esse figmentum quoddam, sacramento temere affictum, seu somnium vacuum, quo ignari sint usi patres eccll., sed hac ipsa trinuni dei doctrina tum ethnicas tum judaicas de numine opiniones imaginesque esse sublatas, ideoque tantum abesse, ut formulâ istâ pronuntientur falsa vel fallacia, ut nihil nisi verum expleatur funditus. Quod verum strictim jam hisce opinamur posse demonstrari verbis. — Tria in cognoscenda dei idea sunt animo tenenda, quorum est primum, quam rationem deus habeat ad semetipsum, seu in quo deus, ut substantia omnium, causam habeat sui? alterum, quam rationem deus, ut creator, habeat ad ea, quae proficiscuntur ex eo? tertium, quomodo deus utraque hac ratione, ut spiritus, infinite atque aeterne sibi sit satis, satisque faciat? Si primum perpendimus rationem, quam deus habet ad semetipsum, in quo ipse inest totus, idem est unice verus, infinitus, in suapte causa et potestate simplicem et absolutum in modum situs. Nisi enim deus suam ipsius causam haberet in semetipso, sed in alio quodam, quod poneretur extra eum, ipse esset alteri isti seu spatio subjectus, quo vel id, quod per-

tinet ad spatium, statueretur in semetipso in suaque situm esse potestate. At e contrario, spatio quae cernuntur, causam habent suam non in semetipsis, sed continuo in alio quodam, quod est extra ipsa; nam sicut hic locus fundatur alio, ita hic alius denuo nititur alio, alterque altero nunquam non finitur, id quod nec ullo quidem interjecto intervallo continuo progreditur ac repetitur. Deus autem, quippe cujus essentia sit το Esse, quod ipsum est infinitum Cogitare, omni externo fine excelsius, immensum illud spatium vel cunctas, quae sunt, res scit in semetipso fundatas; itaque quum omnia causam ducant suam ex deo, nec deus ipsius causam habeat in alio, quod extra eum esset — nam dum deus inest in omni universitate, quae ipso nititur, in semetipso remanet — in suapte causa ac potestate est positus. Unde deus est infinita substantia, cui omnia, quae sunt finita, succumbunt, atque ex qua omnia proficiscuntur; quamobrem dici potest pater. Sed quum deus, ut quae in ipso sunt sita, revera sint, in aeternum sese revelet, jam secundo loco considerandum est, quomodo id, quod manifestatur, sese habeat ad illud, quod manifestat, vel quam rationem gerat is (filius), qui est ex deo (patre), ad hunc (patrem), ex quo est. Deus autem nihil potest revelare, nisi suam essentiam seu semetipsum, ideoque unum illud totum, quod revelatur, quamquam quoad formam a deo revelante multum differt, quoad substantiam tamen cum deo unitum esse oportet; nec tamen deus in manifestando, sicut res singulae, quae factae sunt, vel fiunt, vel fient tempori est subjectus, sed temporis fines itidem omnino superat. Nam tempus perpetuus est motus, quo alterum deinceps sequitur alterum, ita ut tem-

pus praeteritum transferatur continuo in tempus praesens, denuoque praesens in futurum, qua constanti inconstantia haec temporis particula, sicut e priori quae fuit, orta est, ita in posteriorem, quae futura est, transit, quod aeque atque in spatio semper repetitur. Quorum finium deus, licet non extra omne sit tempus, expers est; neque enim e priori quodam, quod jam praeteriit, factus est, neque in posterius quoddam, quo esset futurus ex alio, transit; sed, sicut infinitam habet causam suam in semetipso, ita etiam sola ex ipsius causa est seu prodit aeterne, atque ex ejus aeternitate demum oritur tempus praeteritum, praesens, futurum, ita quidem, ut hae temporis dimensiones, quas vocant, unâ aeternâque dei praesentiâ contineantur. Itaque dum deus in tempore inest, quod non e semetipso prodit, sed ex ejus aeternitate, ipse neque temporis finibus succumbit, neque in eodem illo tempore ex alio, sed e semetipso est; et quemadmodum unum aeternum tempus, a dimensionibus istis liberum, omnibus, quae temporis finibus subjiciuntur, est praesens, sic deus quoque simplici et absoluta praesentia omnibus est praesens atque in omnibus, ex ipso profectis, aeternitatem suam servans, existit ex semetipso. Dei essentia seu το Esse, quod ipsum est Cogitare, semetipsâ, ut vidimus, neque alio quodam fundata est, quare deus infinita est substantia seu pater; realitas autem dei seu το Cogitare, quod in aeternum vere est Esse, ex suametipsa est causa, neque ex alio quoquam; in quo aeterno, se ex semetipso manifestandi, actu, deum si animo tenemus, idem quippe qui nihil, nisi se possit gignere, unigenitus est filius, in omnibus rebus creatis omnipraesens, ab omni fine liber, suaque sponte in omne

tempus agens. Attamen, id quod tertio denique reputandum est, non solum in se atque ex semetipso deus est, sed unice simul pro semetipso nec pro alio quoquam; quaecunque enim pater substantiâ suâ includit, ea destinata sunt, ut per filium revelentur et conformentur, ideoque pater pro filio est; quae vero filius in creata universitate complectitur, ea facta sunt, ut evanescente quovis inter creatorem et creatum dissidio, ad patris substantiam redeant vel cum eadem teneantur conjuncta, ideoque filius pro patre est. Deus quum infinite sit solus verus, qui in suapte causa ac potestate est positus, itemque deus, quum in aeternum sit liber, qui ex semetipso est atque ex ipsius sancta voluntate in omne tempus agit, hic igitur deus non alio quodam eget, quod extra eum positum, ei satisfaciat, sed ipse omni ex parte sibimetipsi satis est satisque facit sibi. Dei essentia (veritas) seu *το* Esse, quod omni fine superius, est Cogitare, pro nullo alio est, nisi pro dei realitate, utpote quae est *το* Cogitare, quod, ab omnibus rebus, ad vitam individuam necessariis, liberum una est Esse, ac vice versa haec realitas non nisi pro illa est essentia; quo infinito atque aeterno utriusque complexu vel mutuo alterius ad alterum motu deus est sanctus amoris spiritus, qui eo ipso, quod tum pater infinitus satis est aeterno filio, tum filius in omne tempus satisfacit patri, omni in genere est beatus. Ex hisce omnibus si christianae dei ideae summam comprehendimus, deus ut pater seu substantia, posita in sua ipsius causa, infinitus est ac verus, ut filius seu realitas, manifestata ex suametipsa substantia, aeternus et liber; unito autem utroque hoc momento, veritate videlicet ac

realitate, in qua unitate deus aeterne versatur, spiritus est beatus. — Hinc, ut ad propositum nostrum revertamur, jam possumus facile dijudicare, quid formula baptismalis sibi velit, quo tendat, cur in baptismo administrando adhibeatur. Quoniam, rejecta trinuni dei idea, veluti medulla e Christi doctrina exhauritur, et praeterea quoniam baptisma eo tendit, ut christianae religionis essentia significetur, non temere sane ecclesia, fidei confessionis memor, inde a primo Christi tempore plurimum ponderis illi formulae tribuebat, eamque in peragenda sacra immersione prorsus habebat necessariam. Pronuntiatâ autem hacce formula ecclesia libere confitetur, ex christiana fide patrem ab aeterno sese revelasse in filio, et perfectissime quidem in Jesu Christo, qui per illum, in quo ipse semper permaneat, λογον seu per sanctum amoris spiritum omnes, pietate imbutos ac probitate, ducat ad patrem, eosque vere reddat liberos dei filios; quapropter summum esse, quod homini christiano sit contendendum, ut, in Christo vivens, per sanctum spiritum sese ad divinam veritatem, libertatem, beatitudinem sinat moveri.

Quae hactenus tum de interiori baptismatis idea, tum de exteriori ejus forma sunt dicta, ea quo facilius intelligamus faciunt, quid vere baptisma efficiat, cur sit necessarium, qua inprimis aetate homini conferendum; quae quidem omnia de fine hujus, ideâ ac formâ suâ perfectae, sacrae immersionis agentes, paucissimis absolvemus.

3. BAPTISMI FINIS.

Quod homo Christianorum coetui adscribitur, eoque a Paganis et Judaeis distinguitur, hoc non

solum est, quo spectat finis baptismi, sed simul vitam respicit, Christi doctrina ecclesiaque dignam, veram, spiritualem, qua naturalis ista, carnalis et mundana tollitur (Jo. III, 5. 6.; Marc. XVI, 16.; Actt. II, 38.; 1 Cor. XII, 13.; Gal. III, 27.). Qui e natura proficiscitur, ejus vita ex iis quoque pendet, quae naturae sunt propria; corporis sensibus solum dominantibus, spiritualia tenentur compressa, nec quidquam est, quod naturalem hominem ab animalibus discernat, praeter occaecatam illam cogitandi et considerate agendi facultatem; qua in rudi conditione dum homo vivit, carnalis (σάρκικος) est. Quando vero cogitatio ac voluntas sensim commoventur, hae itidem primum in iis sunt defixae rebus, quae cum sensibus arcte cohaerent; cogitat igitur non nisi de iis, quae sensibus quoque percipiuntur, nec dubitat, quin terrestres et fortuitae omnes, quae oculis occurrunt, res et vere sint et verae; itemque ejus voluntas nihil appetit, nisi quod vel ad libidinem et voluptatem vel ad utilitatem quandam continuo potest conducere. Ubi ita homo ex arbitrio mentem ac voluntatem suam sinit duci rebus finitis perversisque, animalis est ac mundanus (ψυχικος — κοσμικός), qui tam a spiritu, quam a veritate et probitate est alienus. Ex alia quadam ratione si humanam vitam consideramus, non minus imperfecta apparet et vitiosa; ut enim homo, quum e natura primum nascitur, etiam omni ex parte ei succumbit, neque aliis nisi corporeis necessitatibus obstringitur, ita certae quoque vitae domesticae gentisque indoli peculiari innascitur, inscius a parentibus educatur, et propriis populi sui moribus imbuitur. Qua ratione hic aeque sub patriae, atque illic sub naturae potestatem redigitur, donec, aliorum auctoritati minus obnoxius, ad

liberum ipsius arbitrium vitae rationem possit dirigere. Etiamsi autem homo tum vitae domesticae injunctus, res familiares omni, quo decet, studio curet, tum populo adstrictus, moribus, institutis, rebus publicis intersit, ejus tamen vita nondum eo pervenit, quo debet pervenire, quum divina lex, humanae naturae innata, postulet, ut homo non solum familiae membrum, vel mundanae alicujus civitatis, sed etiam divinae sit civis. Oportet ergo, ut quisque, sicut familiae immiscetur ac nationi certae, ita etiam ecclesiae inseratur ac religioni, quo non solum cum mundo, sed etiam cum deo divinisque rebus arcta ei sit necessitudo. Cujus veritatis conscientiâ ecclesia intime commota, ipso baptismate ex hac parte pronuntiat, unumquemque, sibi adjunctum, quandoquidem naturalis, mundana, et propria vel familiae vel nationi addicta vita, sanctae dei voluntati nondum satisfaciat, debere justum esse religionis christianae sectatorem integrumque coelestis regni civem, qui, ut veram apud deum possit tenere dignitatem, verumque esse tam ecclesiae, quam familiae et civitatis membrum, curam diligentiamque omnem in eo adhibeat, ut pietate ac probitate ductus, divinae veritatis et libertatis vere sit consors. Sacram immersionem eodem esse pondere ac gravitate apud singula ecclesiae membra, quam omnino apud ecclesiam opus est; ex iis autem, quae jam supra diximus, ecclesia ratum habet, baptisma esse administrandum, quo, novis semper receptis sodalibus, semetipsam exterius conservet; singulus contra hic homo baptizandus est, quo, ecclesiam Christi ingressus, obstringatur, ut ex dei voluntate non solum mundani finitique regni fieri debeat civis, sed etiam divini atque infiniti; unde apparet baptismi necessitas. A divina igitur ad quemvis

hominem pertinente voluntate, quam ecclesia baptismate aperit, necessitas proficiscitur; licet enim sacra immersio baptizati hominis sponsoribus, parentibus, cognatis simul officium imponat, ut de pia vereque christiana illius hominis educatione curam adhibeant, eo tamen officio omnis baptismatis finis vel necessitas nequit comprehendi. Neque enim quod divinâ ideâ baptismus innititur, negligi debet, et quum dei voluntas, ipso baptismate de singuli hominis initiandi vitâ, declarata, non ex illorum hominum officio, sed hoc potius ex illa pendeat, etiam singulus homo non illorum officii causa baptizatur, sed ob dei voluntatem; secundum quam tum illi sponsores tamquam subsidio debent esse, ne negligatur, quod baptismatis idea requirit, tum ipsius baptizati hominis est munus, ut, conscientiae plane compos, foederis baptismalis semper memor sit, omnique labore, quod divina voluntas baptismate postulavit, id studeat per totam vitam consequi. Si verò sacra immersio, quia divinitus homini necessitatem injungit, ut, in ecclesiam cooptatus vereque christiane educatus, ex regno tenebrarum vel ignorantiae et peccati per sancti spiritus lucem intret regnum dei seu veritatis et libertatis, habetur necessaria, jam existit quaestio, num dei voluntas e baptizandi ritu pendeat, ita ut ad singulum quemque hominem prorsus non possit referri, nisi per baptisma, deinde, num homo, si sacra illa immersione casu adverso careat, necessitudine cum deo privetur, denique, num omnino e baptismo nova interior quaedam cum deo conjunctio exoriatur, prius desiderata? Minime baptisma ducendum est veluti medium, quo demum homo cum deo interius connectatur, etenim quoniam ab aeterno humana natura per dei filium cum divina

jam conjuncta est, etiam singuli a primo vitae momento jam ex innata facultate (κατα δυναμιν) cum deo sunt connexi; neque porro efficit vel confert baptisma gratiam amoremque dei, sed pignus est divinae gratiae vel sanctum publicumque testimonium, neminem divini amoris esse expertem. Itaque nequaquam ut homo fiat demum aptus ad veritatem aliquando consequendam et libertatem, sed quia ab aeterno per ipsum deum advocatus est et destinatus ad verum divinumque regnum, baptizatur eoque obligatur, ut, in ecclesiae membrorum numerum receptus, ipsius studio ac labore revera quoque id assequatur, quod secundum divinas facultates suas debeat assequi. Omnes vero superstitiosi vel magici effectus a baptismo remoti sunt; neque enim magici quidquam ecclesia observatur, quum baptismum judicet necessarium, quo divinum illud consilium patefiat, quod homo, coetu christiano adscriptus, spiritu duce divino magis magisque deo consecrari, vel Christo sese debeat dedere totum. Unde apparet, internam illam rationem, quam homo habet ad deum, nequaquam corrumpi, si quis forte casu adverso sit prohibitus, quominus baptismum potuerit subire, ideoque, quum baptisma, per se spectatum, non valeat efficere salutem ullam, ipse ille baptismus, qui ob vitae periculum peragitur, solius pii parentum vel cognatorum desiderii respectu, neque necessitatis causa, est probandus. Accedit, ut infantes nulla poena vel culpa propria habendi sint digni, quamquam baptismum non acceperunt; etiamsi enim vitiositate hereditaria affecti in vitam veniant, nondum re tamen peccata commiserunt, sed, innocentia gavisi, omni delictorum culpa carent. Impie autem, licet baptisma, necessitate urgente, possit omitti, ii

agunt, qui, ipsi sacram immersionem minimi aestimantes, alios ab eo student retinere; cujusmodi homines non obscure aperiunt, se vel ipsam ideam divinam, baptismo servatam, parvi aestimare; qua agendi ratione quum piam communemque ecclesiae fidem offendant, non injuria multandi sunt. Summatim id ecclesiae maximae debet esse curae, ut tam praedicatores verbi divini, quam singuli coetus christiani sodales firmissime credant, baptismum non eodem cum externa ceremonia quadam loco habendum, sed sacrum esse institutum, in qua gravis vereque christiana insit sententia. Quae fides eo magis necessaria est in infantibus baptizandis, quippe qui, credendi et cogitandi adhuc expertes, non possint scire, quae sit hujus ritus significatio, quo tendat, quid efficiat. Horum vice inprimis sacrorum ministri, parentes, sponsores sibi sint conscii necesse est, quae christiana hujus sacramenti sit idea, cur administrandum atque ipsis in illis adhibendum. Verumenimvero quum infantes prima exeunte aetate sensuum stupore teneantur, nec quidquam queant mente capere, quaeritur, cur tandem paedobaptismus sit necessarius, quidni soli adulti, qui, fide ac conscientia jam praediti, libero ex arbitrio possint evangelium amplecti, sacram immersionem accipiant? Ad quae brevi respondendum est.

Sacramentum baptismi in ecclesia servatur et administratur, non quo interior humani animi affectio subito immutetur, sed quo publice indicetur, quali teneatur vinculo homo et cum deo et cum ecclesia christiana, neque minus, quomodo ei e lege divinitus innata, vera vitae ratio sit dirigenda. Quo magis vero homo potestate caret ac vi, ut suâ demum vitâ vel cogitationibus, voluntate, actione fundamenta

et semina faciat, quibus cum deo sese conjungat, eo minus ipse valet efficere, ut per se solum religionem christianam attingat, sed, si ejus ingenium spectamus, jam per deum aptus est factus ad conjunctionem quandam tum cum divina natura, tum cum Christi religione. Alioquin non magis quam animal, omni destitutum cogitandi saneque agendi facultate, vel ad religionem et fidem vel ad divinam veritatem et libertatem posset accedere. Primo naturali ortu respecto homo, id quod supra latius exposuimus, proclivis quidem est ad malum, at quum non conscius suaque sponte mali jam quidquam fecerit, una est innocens, cui, ad verum bonumque destinato, dei gratia amorque est praesens. Qua ipsa innocentia, facultatibus ornatâ spiritualibus, ecclesiae persuasissimum est, hominem quemvis sicut ad rationem divinam et libertatem, ita ad Christi religionem et doctrinam esse natum, qua unice eadem illa ratione et libertate possit vere frui. Itaque, quum unusquisque a primo vitae initio jam per deum ad religionem christianam, qua omnis veritatis culmen teneatur, interius sit destinatus, ecclesia quoque, quae illa religione fundatur, non potest non eundem quam primum exterius in se recipere baptismoque sibi initiare. Hinc cognoscimus paedobaptismi necessitatem; atque illud ipsum baptisma, in adultis, qui christiana sacra volunt sequi, usitatum, paedobaptismi naturam servat ea de causa, quod proselytum ad ecclesiam ducit, fide ac spiritu integerrime comprehendentem ea, ad quae interius ab innocenti infantia erat natus ideoque debebat admoveri et informari. Quapropter ecclesia quoque ejusmodi hominem adultum innocentis instar infantis habet, cujus mens tamquam ab integro vitae initio ad Christi do-

ctrinam, fidem, amorem sit fingenda. Si igitur rei naturam spectamus, proselytorum baptisma non discrepat a paedobaptismo, qui hominem, ipsa innocentia imbutum, per dei filium spirituali regenerationi significat adducendum; quodsi infantes, sicut proselyti, provecta demum aetate baptizarentur, omne baptisma tollendum potius esset, ne religio externis ritibus videretur adstricta; nam non opus est, eum, qui a Christianis secundum Christi ecclesiae ingenium jam est eductus, externo insuper ritu christianae vitae obstringi, vel in christianam transire ecclesiam, in qua jam inerat. Insane autem garriunt, qui paedobaptismo infantium libero arbitrio vim afferri autument; ut enim homini nulla omnino infertur vis, quum inscius per alios pie sanaque ratione educatur, ita minime proprius assensus vel voluntas sunt necessaria, quum per alios eo pervenit, ubi fides amorque, verum et bonum maximi aestimentur. Sed istis simul nugis abdite innuitur, incertum esse, utrum religio christiana verum tueatur, an forsitan alia religio veritati propius accesserit, ideoque hanc confiteri deceat; a qua opinione qui alienus est, is rationem istam, contra paedobaptismum allatam, absurdam esse non negabit. Reliqua argumenta contraria, partim e sacra scriptura partim ex historia sumta, non minus videntur levia; nam sacrâ scripturâ, id quod supra ostendimus, neque unum neque alterum potest probari, quamvis non omnino illa sacrae immersionis et circumcisionis analogia sit negligenda, quam et sacra scriptura (Col. II, 11.; cfr. Rom. II, 25 sqq.), et scriptores eccll. nonnunquam attingunt. Utraque enim hominem justum reddit religionis sectatorem, et circumcisio quidem signum est veteris foederis, ex

quo servus domino per legem est devinctus, sacra autem immersio est signum novi foederis, ex quo filius omnesque per eum ut dei filii adoptati cum patre per sanctum amoris spiritum sunt conjuncti. Quod porro ad historiam attinet, reputandum est, primum, quod aetate apostolica et sequenti saeculo, quibus potissimum Christi doctrina longe lateque erat divulganda, ecclesia omnino fere non poterat augeri, nisi per adultos Judaeos et Paganos; deinde, quod ipsis primis saeculis in baptismo administrando plures erant usitatae ceremoniae, quae hominem transiturum ut innocentem atque infanti parem respiciebant; denique, quod jam ineunte saeculo tertio ecclesia, sentiens baptismum natura sua vere esse paedobaptismum, infantes, plures dies natos, baptizabat [13]).

Arcte cum paedobaptismi notione cohaeret, quod baptismatis natura omni iterationi repugnat. Vidimus enim, sacram immersionem non ad singulas vitae partes, inter se diversas semperque plus minusve peccatis inquinatas, sed ad unam referendam esse innocentem vitae aetatem, atque inde pronuntiare, qualis homini ex ingenio divinitus insito omnis vita futura sit moderanda; quod quidem in causa est, ut eadem ad totam vitam subsequentem pertineat, una solummodo sit, nec possit repeti. Aetatis initio quasi complexum exhibet totius vitae baptismus, justusque eventus, effectus, finis ex proprio pendent vitae cursu, quum homo vitâ demum, ex libero ipsius arbitrio directâ, vere christianâ, et in fide amoreque

---

13) Inspiciantur, quae fusius de hoc loco tum prima scriptionis nostrae parte p. 101 sqq. et p. 141. not. 55., tum secundâ p. 187 sqq. sunt disputata.

positâ, ei, quae baptismo servatur, ideae seu divinae voluntati possit satisfacere. Sin vero homo vitam degit flagitiis deditam, quae foederi baptismali resistit, nequaquam tota ejusdem sacra immersio ad nihilum redigitur, ita ut, quum ad meliorem redeat frugem, denuo sit baptizandus, sed semel patefacta baptismo divina declaratio stat firma, neque exstingui potest ab homine, etiamsi non perficiatur. Declaratur autem baptismate, singuli hujus hominis innocentis christianam simulque spiritualem, a divina gratia sustentatam vitam, quamvis adhuc sit occaecata, initium cepisse, et hominis esse illius, hancce vitam, deo auctore, magis magisque ad perfectam regenerationem ac redemtionem perducere. Itaque, quoniam vitae vel omnino cujusvis rei initium non potest saepius fieri — nam quaevis res unum solummodo tenet initium, quum falsum rei initium prorsus sit nullum — etiam baptisma non potest iterari, sed repetitionis loco nihil aliud requiritur, nisi ut homo, poenitentia, fide atque amore ad piam probamque vitam reversus, semel baptismate declaratae dei voluntati morem gerat. Baptismum vero si consideramus non in semetipso praebere perfectum finem justumque effectum, sed subsequentem demum per vitam humanam religionis fructum spiritualem sese posse ostendere, itemque ipsum hominem baptizatum sacro illo ritu obstringi eidem fidei, quam ecclesia profitetur universa, jam liquet confirmationem, quam dicunt, et baptisma connexa esse inter se et apta. Nec tamen, quamquam in utroque ritu unius ejusdemque fidei christianae pronuntiatur confessio, confirmatione vel repeti tantum baptismum — quod si esset, baptisma superfluum videretur — vel ad integram jam perfectio-

nem duci, statuamus. Etenim baptismo sacerdos universae ecclesiae nomine ideoque ipsa ecclesia christiana dei voluntatem, quam suâ quisque e divina lege sequi jussus est, palam fatetur super baptizandum, quem sibi adjungit; at confirmatione singulus Christianus omnium communem se habere fidem dicit coram ecclesia, cujus essentiam sua sponte facit suam. Quo magis tamen ritus solus a summo baptismatis fine abest, eo minus homo confirmatione fini illi, divinitus proposito, satisfacit, nisi fides, quam professus est, omni innectitur vivendi rationi. Quando vero homo unam omniumque communem christianae ecclesiae fidem pectori animoque firmissime habet injunctam atque implicitam, ut facta amoris plena eam declarent et comprobent, tunc divino illi omnis vitae humanae proxime accedit fini, qui cum pietate ac probitate vel cum vere cogitandi sancteque agendi ratione unitam comprehendit libertatem et beatitudinem.

BEROLINI. TYPIS HAYNIANIS.





